I. N. D.

Exercitatio Historico - Theologica

DE STATU ECCLESIÆ ET RELIGIONIS MOSCOVITICÆ,

Consentiente

VENERANDA FACULTATE THEOLOGICA UPSALIENSI,

Pro summis in Theologia Honoribus,

Placidæ Eruditorum Ventilationi

proposita,

PRÆSIDE

M. NICOLAO BERGIO,

Per Livoniam Generali Superintendente & Academiæ Pernaviensis Procancellario,

RESPONDENTE

M. GUDMUNDO KROOK,

d. 14. Maji in Auditorio Gustaviano majori, horis solitis.



Lubecæ, Impensis JOH. WIEDEMEYERI, 1709.

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO REGI AC DOMINO,

DN. CAROLO XII.

Sueciæ, Gothiæ ac Wandaliæ Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Æsthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Vehrdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ; Principi Rugiæ, Domino Ingriæ ac Wismariæ;

Nec non

Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium Duci &c.

Pio, Justo, Magnanimo, Felici.

Domino meo Clementissimo,

Omnia, quæ Christiani Principis esse possunt, vota!

Augustissime Rex.

CUm inter innumera RegiæClementiæ in me collata beneficia, haud postremo loco memoranda veniat concessio nectendi moras Narvæ, quæ non ita pridem victricibus R. M.tis V.æ armis & Moscorum clade

nobilitata, ut in Statum Ecclesiæ & Religionis Moscoviticæ curatè inquirerem: hunc qualemcunque istiꝰ morulæ fructum ad pedes R.M.^{tis} V.^{stræ} submisse deponere in animum induxi, futurum gratitudinis devotissimæ tenue monumentum; quod ut R. M.^{tas} V.^{a} serenâ fronte admittat, humilimè oro, & exoraturum me confido. Ab hoc proposito arcuisset me quidem moles ista negotiorum R. M.^{tis} V.^{æ}, in quibus vertitur cardo salutis &

Arctoi

Arctoi & Europæi Orbis; niſi plane convictus eſſem, R. M.tem V.am jam pridem ſupergreſſam Zelum Maximorum Imperatorum & Principum, in procurandâ ſalute animarum, non ſolum ſubditorum ſuorum, ſed & aliarum Gentium, cum tenebris luctantium: quas inter ſi Nationi vicinæ Moſcoviticæ locum aſſignavero, nihil â ratione alienius me feciſſe, mecum fatebuntur, qui ejus ſortem miſeram ſatis perſpectam ſibi habuerint. Huic au-

tem illustrandæ cum hæ pagellæ destinatæ sint, cui majori cum successu offerri possent, & â quo luculentius Patrocinium exspectarent, quam â Rege, cujus facta heroica, cum stupore seculi præsentis & admiratione futuri loquuntur, re ipsa Eum præstitisse quod de se prædicârat, inter Imperatores optimos haud postremus, *ARCADIUS: Nulla res æque nos habet solicitos ac sanctarum Ecclesiarum cura, & fidei in Christo firmissima basis, per quam salvamur, & subjiciuntur nobis barbaræ Nationes.* Neque

alia

alia mens est R. M.ti V.stræ quam quæ fuerat fratri hujus Imperatoris *HONORIO*, de se professo: *Inter Imperii nostri maximas curas, Catholicæ legis reverentia aut prima semper, aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum DEI cultum orbis nostri plebs devota custodiat.* Quid mirum proinde, si DEus O. M. arma R. M.tis V.stræ justitiâ radiantia, felicissimo victoriarum cursu, multis seculis inaudito, coronavit? Agnoscit etenim R. M.stas V.stra cum piissimo modò memorato *ARCADIO*, hæc omnia di-

vinæ benedictioni acceptum ferenda, dum ipsius verba, Cristiano Principe digna, sua facit: *Nam neque viribus nostris hoc agimus, neque robore equorum & curruum bellicorum, sed virtute DEI roboratis omnia prospere cedunt* Quas autem magis acceptas grati pectoris victimas DEO offerre posset R. M.tas V.stra quam si plures animas regia & cura & munificentia lucraretur, suppeditando ea, quæ huic scopo attingendo videbuntur conducere quam maxime? Et licet belli-

co-

corum motuum turbulenta tempeſtas, qua R. M.tas V.ſtra tantum non obruitur, videatur arcere hanc ſolicitudinem; Ejus tamen rationem inter media arma habitam, docecunt Reſcripta regia plurima, quæ teſtium loco erunt, bellorum Domini R. M.tem V.am non dememiniſſe. Extollant itaque alii admirandum R. M.tis V.ſtræ in rebus gerendis felicitatem & incredibilem in hoſtibus opprimendis celeritatem, qua factum, ut in R. M.tem V.am quadret,

quod

quod de ſe Cæſar olim dixerat: *Veni, Vidi, Vici*: deprædicent heroicum plane periculorum contemptum, quò acta R. M.tas V.ſtra in medios hoſtes, per ferrum & flammas ruit, eorum animos fregit, phalanges disjecit, turmas fugavit & in campo toties de hoſte, viribus longe ſuperiore, Victor ſtetit: inſerant æternitatis tabulis Pietatem & Juſtitiam, queis ex ſententia Auguſti Imperatoris auguſtiſſimi, *Dii ſiunt Principes*: Clementiam incomparabilem in victos æque ac ſubditos debitisſimis elogiis proſequantur: Virtutum reliquarum gemmas, quæ R.æ M.tis V.æ diadema diſtinguunt, vivis depingant coloribus: mihi ſatis erit ſeræ poſteritati exemplum omni ævo imitandum propoſuiſſe, & commendaſſe Zelum illum, qui hæreſes arcet, pacem Eccleſiæ tuetur, res ſacras ſupra

vota

vota promotum ivit, ibitque nunquam ſiſtendo gradu. Eſt ſane quod ſibi gratuletur Svecia, & quæ in illa Chriſto colligitur Eccleſia, quod a tempore *GUSTAVI I.* veræ Religionis in his terris ſtatoris, & Regiæ Familiæ Progenitoris, gaviſa ſit Regibus Religionis Zelo ad miraculum usque florentibus, qui & Pontificiorum & Calvinianorum artes evertit, & quosvis Hæreticos fores noſtras irrito ſucceſſu pulſare docuit : ſed videor tamen absque omni ſuſpicione me aliquid auribus dediſſe, aſſerere poſſe, ſuperari omnes a R. M.te V.ſtra & ſi Deus vitam, quam optamus prolixam & florentem, R. Mti V.æ conceſſerit tot, illius fore monumenta, ut nullus Anteceſſorum R.iæ M.ti V.ſtræ ſit comparandus. Videbunt anni ſecuturi, divini hujus

Zeli

Zeli tot fructus dulcissimos, quibus gloria DEI promovebitur, libertas Ecclesiæ pressæ vindicabitur, Veritati Pietati junctæ campus tam spatiosus aperietur, ut nec votis amplius sit futurus locus. Cui ut quantocius eventus respondeat desideratissimus, nostrum erit ex intimis cordis penetralibus vota nuncupare ardentia, pro R. M.tis V.æ incolumitate, Regiæ domus felicitate, Solii stabilitate, Regni tranquillitate, vocem imitati Regii Vatis: *Jehova, de robore tuo lætatur Rex & de salute tua, quam exultat valde! Desiderium cordis Ejus des ei! Prævenias Eum benedictionibus boni! Liberes Eum ab inimicis suis! Concedas ei longitudinem dierum in seculum.! Sit magna gloria Ejus in salute tua, decus & majestatem ponas in Eo. Dispone*

spone

ſpone illi benedictiones in ſempiternum, Magnificam præſta ſalutem omnimodam, & exerce benignitatem erga unctum tuum, CAROLUM; erga Domum & Regnum Ejus in ſeculum! Quoniam ipſe Rex confidit Jehovæ, ideo fretus benignitate Excelſi non dimovebitur! In hoc voto ſiſtit

Sacræ Regiæ Veſtræ Majeſtatis.

Subditus & cliens humilimus
Nicolaus Bergius.

Lectori Benevolo.
fausta Omnia.

QUid me potissimum moverit, ut meæ tenuitatis quam optime mibi conscius, denuo audeam in celeberrimo Arctoi orbis Athenæo me sistere, publicæ luci expositurus Exercitationem hanc Inauguralem de Ecclesiæ & Religionis Moscoviticæ statu; non opus esset exponere prolixius, nisi hic conatus multis videri posset supervacaneæ diligentiæ. Post tot de hoc argumento Scriptores felicissimos, quid attinet post Homerum scribere Iliada? Sed velim ad animum revocent, paucissimis juniorum studiis apud nos operam dantium, Autores hosce esse notos; & si vel quicquam de his inaudivere, non facile esse parabiles: qui autem haberi possunt majoris molis, ab ære imparatis acquiri non posse; nec illos, qui in compendium rem misere, ubique prostare: quid quod si vel maxime unum vel alterum exemplar inveniretur; non tamen sufficerent omnibus, quorum interest horum Sacrorum habere notitiam.

Hos inter nos principem occupamus locum, tum quod Genti vicini, tum quod non exigua pars incolarum Ingriæ, gladio Augustissimi Regis GUSTAVI ADOLPHI M. acquisitorum, Sacris Moscoviticis sint addicti. Cujus Principis indulgentia, cum ipsis usus sacrorum avitorum fuerit concessus, quis

quis non videt è re nostrâ esse, ut de his quid statuendum sit, simus edocti? Cum autem mihi ne per somnium quidem de hac statione cogitanti, oblata sit cura istius Provinciæ, in qua plures adhuc florent Ecclesiæ Moscoviticæ; inde mihi natum desiderium addiscendæ linguæ Slavonicæ & experiundi, annon, annuente Altissimo, ignorantiæ spissæ tenebræ, quibus involvuntur, clarioris Evangelicæ veritatis jubare, feliciter dispelli possent.

Quid hâc fini à summè Reverendis Dominis Antecessoribus meis tentatum, longum nimis foret explicare; quod autem metam sibi propositam ex voto contingere nequiverint, tristis illorum hominum conditio loquitur: Eò magis deploranda, quod nec ipsi Reges, *nulli operæ, nulli impensæ parcentes, eam feliciorem reddere potuerint. Zelus* Gustavi Adolphi M. *emicuit clarissimè, cum non tantum* de adornanda hic Holmiæ typographia Russicâ *mandata dedisset, teste rescripto regio Anni 1625. d. 14. Aprilis, sed &* Catechismum Lutheri in forma 12. *& in* 4. Russico-Svecicum, *itidem* Finnonicum literis Russicis in 8. *tum & collationem* Chronologiæ Moscorum *cum nostra in folio impressa viderit. Nec defuit huic negotio promovendo* Regina Christina, *cujus Tutores & Regni Senatores Illustrissimi Excellentissimique Heroes* Petrus Brahe, Jacobus de la Gardie, Ericus Ryning, Axelius Oxenstierna & Gabriel Oxenstierna *Artic. 20. Instructionis Superintendenti Narvensi Summè Reverendo Domino* M. Henrico Stah-

Stahlio *data d.* 16. *Junii Anno* 1642. ut Sacris ordinibus initiandi utramque Linguam Finnonicam & Russicam calleant, *majorem in modum exegerunt*, ita ut ante ritum ordinationis Conciones illis linguis expeditè habere queant: *& Artic.* 21. singulis annis Mense Martio & Septembri ab omnibus & Finnonicis Pastoribus & Ecclesiasticis Russicis visitationes locales instituendas *sanxerunt; jubentes*, ut in iis examina catechetica frequententur, Casus annotentur & Pietas sedulo inculcetur; *ut taceamus reliqua, Ejus aquè ac Regum maximorum* CAROLI GUSTAVI *ac* CAROLI XI. *gloriosissimæ memoriæ, Rescripta sæpius iterata, quæ quam solicitè gentis conversionem urserint, amplissimum perbibent testimonium. Quin & sub postremo loco nominato Monarcha, ae adornandis scholis Russicis in Confiniis Livoniæ nostræ actitatum, certis nunciis edocti sumus.*

Nec taceri potest, absque ingratitudinis notâ, quod hodiè soliciter de hostibus suis ac nostris triumphans Invictissimus Rex CAROLUS XII. *de horum ignorantia expugnanda inter tot alias curas gravissimas cogitarit, & ut de illa triumpharet felicius, partem tributorum remiserit omnibus, diligentiam in addiscendis veræ doctrinæ capitibus probaturis, & ad nostræ Ecclesiæ pomœria accessuris: quia Regia planè munificentiâ nonnulli permoti, animæ salutem magis cordi habere incipiebant, & institutionem admittere.* Verum hæc salubriter destinata, omni ratione potentior fortuna evertit; *ut Curtii verba mea faciam;*

&

& irruens hostis, totam inundans provinciam, cursum Evangelii sufflaminavit.

Qua fide in isto saxo volvendo occupati fuerint Provinciæ istius Præsides, illustrisſimis orti Familiis, locus hic dicendi esset amplisſimus: Dignisſimi namque sunt, quorum virtutes heroicæ & studium promovendæ salutis proximi, ab oblivione vindicentur. Ex his itaque quosdam tantum, prout memoria eos suggesserit, recensuisse operæ erit pretium. Primus fuit Illustrisſimus & Excellemtisſimus Comes, Dominus Benedictus Oxenstierna, Reg. Senator, Gener. Gubernator Livoniæ & Ingriæ, qui circa annum superioris seculi 31. primus statutis æquisſimis ordinem Ingriæ & in Ecclesiasticis & Politicis intulit, quæ materiem præbuere Reginæ legibus utilisſimis. Hunc excepit Illustrisſimus & Excellentisſimus Dominus Ericus Gyllenstierna, Lib. Bar. qui Zeli pro orthodoxa Religione, quo a multis annis floruit illustrisſima familia, nunc Comitibus adscripta, pluscula per plures annos dedit argumenta, prorsus eximia. Huic inter alios succesſit Illustrisſimus & Excellentisſimus Comes, Dominus Ericus Stenbock, cujus cura provida, Templum Christinæ incrementa habuit invidenda; qui & illud inaugurari curavit, & Curatoribus ipsius Anno 1652. 19. Sept. normam dedit, ad quam illius commoda irent promotum. Quanta cura Illustrisſ. & Excellentisſimus Comes & Reg. Senat. Georgius Sperlingius in id incubuerit, ut barbaries & ignorantia propulsarentur, non posſumus paucis adumbrare; nec opus omnino, cum in omnium adhuc versetur memoria: quod ipsum in causa est

quoque, ut Illustrisſimi & Excellentisſimi Generalis Domini Ottonis Wellingk, *Lib. Bar. hodierni Gubernatoris Ingriæ & Kexholmiæ benevolum desiderium, ut rectius informentur Russi nostri, iteratis literis Consistorio Regio Narvensi dum ei præsideremus testatum, silentio potius involvere, quam strictim commendare judicemus tutius. Reliquorum Illustrisſimorum Dominorum Gubernatorum*, Mannerſchiöldii, Mörneri, Helmfeldii, Schultzii, Ferſenii, Taubii *& si qui fuere alii; ut & Summe Rever. Dominorum Sacrorum Antistitum*, Stahlii, Rudbeckii, Matthiæ, Thauvonii, Albogii, Bangii, Gezelii, Langii, *& plurium isto munere functorum, amplisſima in Ecclesiam merita, alio, si fata sinent, tempore prosequemur.*

Cum autem non tantum de procuranda Ingrorum salute, utpote minimæ partis Eccleſiæ Moſcoviticæ, *teneamur esse soliciti; sed & curas nostras ad amplisſimam illam Ecclesiam, quæ* Czaris *subest imperio extendere, haud dubie indagatio & adhibitio mediorum illi illuminandæ aptorum, christianæ esset Charitatis & Vigilantiæ. Media vero ejusmodi a paucis video exposita. Tetigit tamen quædam Reverendisſimus R. S. Archiepiscopus* Dn. Ericus Benzelius, *SS. Theol. Doct. & Academiæ Upsaliensis Procancellarius, Patronus meus colendisſimus, cui quantum debeam, quod prolixa & paterna benevolentia, me ab Anno* 1677. *constanter est complexus, longum foret exponere; nec permitteret Viri Summi modestia. Debeo autem inprimis quod* CAROLUS XII. *Regum felicisſimus, sub Eminentisſi-*

tissimi Archiepiscopi directione, in novâ Suecani Sacri Codicis editione adorandâ, me quoq; voluerit occupatum. Qui ubi intellexisset me moliri quandam de Ecclesia Moscovitica tractationem, pro innato sibi bonas literas juvandi studio, communicare mihi dignatus est continuationem operis inediti, à beato socero suo Maximè Rev. Domino D. Erico Odhelio *Professore Theologo Upsaliensi celeberrimo, ad mandatum regium inchoati, & varia eaque haud ubivis obvia eruditione refertissimi, cui* Palmæ Paciferæ, *seu de modo conciliandi diversas religiones, dederat Titulum, in quo de* Ecclesia Græca *cap.* 9. *& de* Moscovitica *cap.* 8 *prolixè egit, & quomodo malis, quæ hanc urgent medicina paranda* §. 16. *brevibus indicat. Summa hûc redit:* videndum 1. quâ ratione juventus rectius edoceri queat, & informatio juventutis literata, quam in deliciis habere incipiunt, promóveri. vide *Olear. l.* 3. *c.* 22. 2. Ut prudenti conversatione in vita privata & commerciis conemur eos lucrari; quod facilè effectui dari posse, experientia comprobat. 3. *His addimus*, non tam oneribus & laboribus esse frangendos, ut nullum tempus, nec discendi ardor ipsis suppetat. *Institutionem autem faciliorem redderet quam maximè*, bonorum Præceptorum, tum & librorum copia; quam si erectis apud nos Typographiis Russicis, ipsis suppeditaremus, rem DEO gratissimam, ipsis salutarem, nobis faceremus proficuam.

Hic mihi objici video, libros Theologicos

apud nos impressos, nullo apud ipsos loco futuros: *cum* Czar *in privilegio suo cujus* Sect. 1. cap. 16. §. 9. pag. 156. *mentio, omnino eximat hujus generis libros.* * *Verum si initium fieret ab iis, quæ & nos apud ipsos probamus, illos receptum iri, vix dubitandi erit ratio. Nec ab incepto desistere nos jubebit, Genti connata pertinacia in avitis tuendis erroribus, cujus accusantur* Sect. 1. cap. 5. §. 6. p. 63. *neque incuria salutis animarum promovendæ, quâ laborant plurimi, inutiles reddet conatus hosce; nam utrique vitio remedium suppetit, tollendo malo par, si doctâ & fraternâ adhibeatur manu. Non enim tam altas radices egit vel pertinacia, vel incuria, ut evelli nequeant: nec omnium insedit animos. Rem authoritate* Regenvolscii *extra dubitationis aleam ponam. Is* lib. IV. Hist. Eccles. Slav. c. 3. pag. 485. *sequentia memoriæ prodidit:* Referebatur quoque Vilnæ à Nicolao Ziehowicz Succamerario Osmianensi Evangelico, de Moscis, animos eorum ad Evangelium inclinare: Vitepsciæ, & in aliis conterminis Ecclesiis, centenis & ultrâ, ad conciones sacras confluere: Biblia Polocina editionis Brestensis avidè coëmere & legere: Novi Testamenti Exemplaria, quæ sumptu suo Vilnæ imprimi curavisset, aliquoties centum coempta in Moscoviam detulisse. Aperiri & illic copiosam DEI messem; modo non operarii desint. *Quod si vel maxime aliter esset comparatum, obstacula ejusmodi omnia, fideli mutione, & impigro labore essent removenda.*

Ex-

Extra controversiam est, quod Pontificii omnem moveant lapidem, ut Moscos ad gremium Romanæ Ecclesiæ alliciant, quod facile successurum jam suo tempore existimavit legatus Cæsaris Perniſten, *qui An. Chr.* 1579. *ad Moscos delatus, de hoc argumento, scriptum reliquit:* Quei populi ſi potrebbono brevemente & facilmente condurre nel grembo della Santa Chieſa, tanto piu, che mai non ne ſono uſciti, ma hanno ricevuta & imparata quella fede, che dalla Chieſa Greca vien data, & quella hanno ſervata ſino à queſt' hora, con tanto Zelo & fervore, che è meraviglia. h. e. *Hi populi possent per compendium facile adduci ad gremium Sanctæ Ecclesiæ, eò magis, quod nunquam ex eâ exierint, sed acceperint & didicerint fidem, quæ ipsis ab Ecclesia Græca est data, & quam custodivêre in hanc usque horam, cum tanto Zelo & ardore, ut sit admiratione dignum. Ut taceam Legationem, quam obiit* Antonius Poſſevinus *Pontificis nomine, cui inter alia id negotii datum, ut animos Moscorum inescaret: Nonne* Dn. de Neuville *Relat. pag.* 9. *memoria prodidit, Czarem* ALEXIUM MICHAILOWITZ *Anno* 1672. *misisse Legatum Romam, qui Papæ unionem offerret? Ce Prince, inquit, le nomma en* 1672. *pour aller de sa part à Rome, offrir au Pape Clement la reünion de l' Eglise Russienne à la Romanie, à de certaines conditones? Quo instigante hoc factum, divinare non est difficile. Semper enim Jesuitæ, Pontificis Cohors prætoria, sunt in excubiis, & talia suggerunt consilia, quæ Pontificis Majestati*

amplianda creduntur proficua. Rediit equidem tunc infecto negotio Legatus; sed quid impedit credere, eadem hodieque agitari consilia? Quod si à parte nostra in id incubuerimus, ut in fumos abeant; nonne rem DEO gratissimam, & Ecclesiæ utilissimam nos effectui dedisse lætari possemus? Neque tam facilè coalescent hæ Ecclesiæ, uti existimavit Dn. Perniſten *dum dixerat:* Spero que V. Excel. comprènderà chiaramente d' eſſer coſa facilmente d' ottenere in tam proſſimi ſimbolizantibus, il ſopra da me detto tranſito. *Spero, quod V. Excell. clare inde percipiet, esse rem facilem obtentu inter tam prope consentientes, transitum illum, quem supra dixi. Obstat namque* 1. Dictatoria poteſtas quam in Sacra affectat Pontifex. 2. Communio ſub utrâque in Sacra Cœna. 3. Conjugium Sacerdotum. 4. Doctrina de Purgatorio. 5. De Proceſſione Spiritus Sancti, *& alia, quæ obicem huic unioni ponunt.*

Existimavit equidem laudatus Dn. Perniſten, *maximum errorem Moscorum in eo consistere, quod contendunt nemini licitum præter* 7. *Generalia Concilia alia celebrare:* Il loro magior errore à mio guiditio è che affermo, non eſſer ſtato lecito ad huomo alcunó celebrare altri Concilii che i primi 7. *Sed cum ipsimet Concilia convocarint, ut* Sect. 1. c. 19. pag. 179. *indicavimus, illius amplius accusari nequeunt: cujus si rei essent, inter leviores connumerandus foret. Utinam* 1. *Cultui imaginum idolatrico.* 2. *Invocationi Sanctorum.* 3. *Fiducia in operum suo-*

suorum merita, qua se gratuita peccatorum remissione indignos reddunt. 4. *Fictitiis bonis operibus,* & 5. *Supinæ ignorantiæ mysteriorum fidei nuncium mitterent, alia longe Ecclesiæ ipsorum & DEO accepta futura esset facies, quod & annotarunt Viri Celeberrimi* Rudbeckius & Palma *in sua Expositione fidei* pag. 32. seq.

His omnibus moti hanc selegimus materiam, maxime cum & præsens, quod nos inter & ipsos fervet bellum funestum, nos moneat, ipsorum erroribus opportune bellum inferri, fine licet diversissimo. Illud enim geritur cum internecione corporis, & non raro animæ: hoc nostrum, ut debellatis errorum monstris, & corpus & animam æterna maneat salus & tranquillitas. Queis si addideris, quod de ea in hac Musarum sede, nihil fere ex professo, ut ita dicam, sit publicæ luci expositum, si excipias Theses 50. *a* Dn. D. Bothwidi *Anno* 1620. *ad disputandum propositas, sua facti mei constabit ratio; potissimum si memineris, me non scripsisse Viris omnigena eruditione florentibus, sed junioribus & in his minus versatis.*

Methodo de cetero usi sumus arbitraria in Sectione I. Historica, prout sese argumentum notatu dignum obtulerat, idem prosecuti. In II. Dogmatica, Confessionem presse sequentes; illius partis I. *a vero declinationem indice digito monstravimus, & paucis ad lineam veritatis examinavimus. Secundam & tertiam Confessionis partem, Theologiam moralem potissimum complexam, suo, si DEUS volet, tempori reservantes; quemadmodum & alia non pauca ad historiam facientia, quæ*

prolixitas inserere probibuit; qualia sunt, quæ de aqua lustrali, indulgentiis, & bis similibus indicari debuissent. Nec ea quæ tradidimus ab omni errore libera pronunciamus, cum ipsi deprehenderimus nimis credulos nos fuisse, cum Sect. I. c. 9. §. 4. pag. 89. *scriberemus, in minoribus templis Missias quoque recitari cum tamen ob defectum altaris consecrati ibi celebrare nequeant. Quod si etiam propria Bibliotheca ad manus fuisset, felicius baud pauca expedivissemus. Agnoscimus equidem grato animo, quod amicorum Bibliotheca nobis patuerint, imprimis Nobiliss. & Gener.* Dn. Sparfwenfeldii, *quæ plurima suggessit; cujus possessor veteri & infucata amicitia, a multis retro annis, nobis junctus, nulli pepercit studio, ut pro ea, qua præ omnibus aliis, etiam Moscis, excellit & linguæ Slavonicæ & Regni Moscovitici status notitia, amicas nobiscum sociaret manus, amplissimas eo nomine a nobis promeritus gratias; ut & Rever. & Clar. Viri* Dn. Erici Holmen, *hospitis mei & amici a longo tempore integerrimi: Sed religio nobis fuit toties amicorum adire scrinia, quoties opus, & nobis absque scrupulo integrum fuisset, si propria licuisset excutere. Tantum itaque abest, ut aliis satisfecisse me confidere audeam, ut potius lubens fatear, ne quidem mihimet ipsi ulla in parte factum esse satis. Imo nec satisfieri potuit, ab animo curis fracto, & toto triennio dilectissimæ Conjugis*, Christianæ Julianæ Oxenstierniæ *& quatuor thori pignorum tristia & præmatura fata lugendo, vitam inter gemitus & suspiria exigente: quam quorundam sinistræ censuræ intolerandam reddi-*

reddissent; nisi in benigniori Bonorum suffragio paratum mihi fuisset præsidium.

Horum monitu consilium mihi natum est hæc pro laurea Doctorali Theologica ventilandi; tum ut Dominorum Antecessorum meorum vestigia premerem; tum quoque ut publico denuo munitus testimonio, felicius invidiæ tela eluderem. Dubitantem in sententia confirmavit Venerandæ Facultatis Theologicæ Giessensis *benevolum de studiis meis judicium, quod ad calcem hujus præfationis exhibui, grata mente recolens Celeberrimorum tum temporis Professorum, Dominorum* Hannekenii, Clodii, Christiani, S S. Theolog. Doct. *& totius Senatus Academici prolixum in me affectum. Nec parum hoc propositum firmavit vox beati Parentis mei* Dn. M. Olai Bergii, Pastoris Ecclesiæ Sueticæ Acropolitanæ Revaliensis & Consist. Assess. *qui puerum me ad diligenter tractanda studia hortaturus, hoc inter alia argumento utebatur: se facile aditurum fuisse gradum Doctoris in Theologia, si iis subsidiis instructus Musarum accessisset castra, quibus me beasset Cæli indulgentia. Sed vix duodecimum exegeram annum, cum ipse fatis concederet: & Mater indulgentissima* Wendula Rylandra, Past. Suet. civitatis Reval. D. Suenonis Rylandri filia, *mœrore victa, in flore ætatis intra proximum biennium vitam cum morte commutaret; ut spes studiorum continuandorum tantum non omnis exaruerit.*

Revixit tamen quamprimum Upsalienses Musas salutassem, & Dominorum Præceptorum nun-

)( )(5 *quam*

quam absq; honoris præfatione nominandorum, Max. Rever. Dominorum Petri Rudbeckii, Martini Brunneri, Samuelis Skunck & Petri Holm, SS. Theol. Doctorum & Professorum, *qui omnes in Domino placidè obdormierunt, sed inprimis* Dn. D. Erici Benzelii *Reg. Sv. Archiepiscopi hodieque, utinam diutissimè superstitis, favorem planè singularem expertus essem, qui fideli suâ informatione, & Regii Stipendii in Facult. Theolog. concessione, ita res adflictas erexerunt, ut post exactum Upsaliæ quinquennium, & alterum quinquennium peregrinationibus per principes Europæ partes insumtum, primus Pastor Gallicus Holmiæ, CAROLI XI. Regis Zeli gloriâ fulgentissimi jussu Anno* 1687. *ab Illustrissimo & Excellentissimo Comite* Domino Christophoro Gyllenstierna, *Senatore Regio & Civitatis Gubernatore, Patrono suspiciendo, & Amplissimo Magistratu Holmensi vocatus, & paulo post Regiis literis confirmatus fuerim; à* CAROLO *autem* XII. *Domino meo Clementissimo primum An.* 1700. *Superintendens Narvensis & Pastor Suecicus, dein Anno* 1701. *Generalis per Livoniam Superintendens, præter & meritum & expectationem fuerim constitutus, ab utriusq; Provinciæ Præsidibus & Militia præfectis, inprimis Perillustribus & Generosiss. Dn.* Carolo Gustavo Frölich *Lib. Bar. Generali & Gubernatore Rigensi & Dn.* Henningo Rudolpho Horn, *Lib. Bar. Generali Majore & Narvensi Præfecto & Vice-Gubernatore; Dominis Administratoribus Regiis Districtûs Æsthonici Nob. & Gener.* Gustavo Adolpho Strömfeldt; *& Districtus Lettici Nob. & Generos.* Michael von Strokirch, *& harum*

Pro-

Provinciarum Secretariis Dominis Segebad *&* Teppati; *nec non utriusque urbis Amplissimo Magistratu, tantâ exceptus fuerim benevolentiâ & amicitiâ, ut majorem in modum me ipsis obstrictum esse fatear. Ex ordine Senatorio autem conatibus meis maximè faverunt Viri Nobiliss. & Ampliss. Dominus* Thomas Vegesack *Rigensis Burgravius Regius & Consul, Dominus* Christophorus von Koch *Burgravius Narvensis, Dn.* Johannes Stiernstet *Consul Justitiæ, Dominus* Hermannus Ditmer *Consul Politiæ, Dn.* Matthias Porten, *Dn.* Alexander Eckholm, *Dn.* Herman Porten, *Dn.* Johannes Folckern *Narvenses Senatores, qui & libris Moscoviticis dono datis, & aliis beneficiis meruêre, ut hic loci eorum gratam mentionem facere non dubitarim. Vetat quoque Lex gratitudinis, silentio involvere fraternum plane animum, quo & Livoniæ & Ingriæ Sacrorum Antistites, & Pastores Ecclesiarum me sunt dignati, quos inter præcipuè mihi meorandi sunt Max. Rev. & Celebr. Superintendens Regius Civitatis Rigensis, Dn.* M. Liborius Depkin; *Item Dn.* Liborius Depkin *Pastor ad S. Johan. & Consistor. Assess.* Mag. Reinerus Brochmam *Præpos. & Past. in Lais,* Mag. Willebrand *Past. Eccles. Germ. Dorpatensis,* Johannes Dauth *Pastor Roopensis: Ex Diœcesi Narvensi Plur. Rever. & Clar.* M. Johannes Andreas Helwig, *Past. Prim. Eccles. Germ. Dn.* Ericus Quist *Past. Legionis Præsid. Dn* Ericus Bure *Past. Finn. Dn.* Heinricus Bruningk *Compast. German omnes Reg. Cnos. Assessores, Ex Præpositis* Mag. Zacharias Lithovius *Noviensis, Dn.* Johan-

hannes Sarcovius *Novaburensis*, *Dn.* Johannes Schutz *Caporiensis*, *Dn.* Johannes Elianus *Ingrensis*, *Dn.* Andreas Ahlgren *Lembalensis*, *Ex Pastoribus Dn.* Levin Andreas Schwartz *Gubanitzensis &* Ericus Holmenius *Moloscovitzensis*, *qui multis modis amicitiam testatam voluêre. Sed & non uno nomine me sibi devinctissimum reddidit Academia & Senatus urbis Pernaviensis; illa quidem oneri cui alias impar, humeros supponendo, uti fecêre Max. Rev. & Celeb. Viri, Dominus* Olaus Moberg *SS. Theol. D. & Prof. Prim. Dominus* Laurentius Molin *SS. Th. Lic. & Prof. nunc Th. D. & Reg. Majest. Reginæ Conc. Supr. & Dn.* Johannes Folcher *SS. Theol. Lic. & Prof. Consist. Reg. Assessores & Collegæ fidelissimi: Hic autem mihi offerendo Spartam Pastoris Ecclesiæ Germanicæ, quâ & Regiâ postmodum Authoritate Anno* 1703. *sum auctus; omnes dignissimi, ut eorum apud nos vigeat memoria benevola. Ultimo loco, quod primo factum oportuit, celebranda mihi est Illustrissimi & Excellentissimi Domini Comitis & Regii Senatoris* Nicolai Lillierot *in Musas Pernavienses, & tenuitatem nostram paternus plane animus, quo motus* Cancellarii *munus ad se devolvi, ad intercessionem nostram gratiosè est passus; cujus patrocinio uti lætamur enixè, ita ut Ejus nutantem valetudinem fulciat, & ipsum cum illustrissima familia in seros annos servet divina clementia, est quod supplici voce â DEO efflagitamus quam ardentissime! Non est, optime Lector, quod succenseas mihi, quod fortè molestus fuerim exponendo, quæ mea fuerint*

fata

fata, & per quos mitiora sint reddita : dabis hoc pro candore tuo, tenerrimo amori, quo maritus Conjugem dulcisſimam, filius Parentes, diſcipulus Præceptores optimos proſequitur : queis dum vitali aura fruerentur, quia gratitudinis documentum dare non licuit, hic ſaltem eorum gratam ſe ſervare & ſervaturum memoriam indicare voluit, debuit.

Prævideo equidem novam me Cenſuræ ſuppeditaſſe materiem, nec defuturos Momos ; ſed meminerint me paratum ad excipiendum ictus ipſorum alacri animo, cum gaudeam & adprobatione R E-GUM MAXIMI, *& Illuſtrisſimi Excellentiſſimique Senatoris Regii intimi & Upſal. Academiæ Cancellarii Magnificentiſſimi, Domini Comitis* Caroli Piper, *Patroni noſtri faventisſimi, cui & toti Illuſtrisſimæ Familiæ omnigenam ex alto benedictionem, larga manu admetiendam, animitus apprecor ! quin & Eminentisſimi Procancellarii calculus candidus acceſſit, nec non Venerandæ Facultatis Theologicæ conſenſus : quorum authoritas nobis & clypeus erit & aheneus murus.*

Poſſem hic finem dicendi facere, niſi præteritorum malorum jucunda recordatio, & divinæ Providentiæ illuſtre monumentum me adigeret, ut bona cum venia Lectoris, adhuc quædam addam, de adflictiſſima ſorte mea, ad quam me Anno 1688. *deduxerat, juſta quidem, paterna tamen Nemeſis divina, ita ut ne ſpes quidem meliorum ſucceſſuum relicta fuerit. Sed cum omnia viderentur conclamata, derepente cœlitus miſſa adfuit manus, quæ me mihi reſtituit, & omnia quæ rati triſte minabantur naufragium, ictu oculi diſſipavit, eamque in portum ſubduxit incolumen. Quot*

pro-

procella brevi post jactam, alibi dicendi erit locus: nunc celebranda est divina bonitas, quâ factum ut omnes minitantium fluctuum minas hactenus eluserit, & cursum suum tenuerit minimè interruptum, ita ut venerabundus dicere queam cum Patriarcho Jacobo: Impar sum Domine omnibus his beneficiis, totique illi fidei quam præstitisti servo tuo; *& cum Samuele:* Usque hûc nos Jehova adjuvit. *Quæ eam posthac maneat sors, cum quo magis in altum provehitur, ea magis quoque furibundo exponatur Cæciæ, novit solus is qui novit omnia, cui me meaque commendo, confisus ejus misericordiæ, quod cum à pueritia mea ad clavum sederit, Eum porro tenebit, donec in exoptatum æternitatis portum delatus, pro omnibus in me congestis donis, ipsi pæana canere licebit in seculorum secula. Dum autem undis furentibus confligendum nobis in hoc turbido & æstuoso pelago, confugiamus ad Dominum mitissimum, ipsique commendatum eamus Pacem Ecclesiæ:* O DEUS exercituum revertere jam, intuere è cœlis & respice: ac visita Vitem hanc, quam plantaverat dextera tua! Noli permittere ut suffodiat eam porcus sylvestris, aut animal agreste eam depascet, aut vulpes per eam liberè eant! Sub umbrâ alarum tuarum vireat, vigeat, perennet! Floreant bonarum mentium officinæ, propagandæ & vindicandæ cœlesti veritati destinatæ, ut in iis omni ævo, de mendacio alma triumphet Veritas! *Pacem Patriæ:* Restitue nos, ô DEus salutis nostræ, & irritam fac indignationem

tuam

tuam contra nos. An in seculum irascens contra nos? Annon Tu reversus, vitæ restitueres nos; ut populus tuus lætetur in Te. Ostende nobis Jehova benignitatem tuam & salutem tuam da nobis. O DEUS! restitue nos, & fac ut luceat facies tua: ita servabimur! *Sic Benignitas & fides occurrent inter se, justitia & pax osculabuntur se. Fides è terra germinabit, & justitia è cœlis prospectabit! Nos autem læti ingeminabimus uno ore, uno spiritu:* Sit nomen Domini benedictum, deinceps usque in seculum: ab ortu solis ad occasum ejus, sit laudatum nomen Jehovæ! Halleluja. *Tu autem, Lector amice, vale & fave conatibus meis & Clar.* Dn. Respondentis, *cum nunquam non simus habituri in votis:* Ut Tibi mella fluant, ferat rubus asper amomum!

Facultatis Theologicæ Gissenæ in Hassia Decanus, Senior, & cæteri Professores CHRISTIANO LECTORI prosperitatem â Domino.

TEstimonia de benè meritis & rectè damus & piè desideramus. Cæterum in veritate pondus est, non in copiâ verborum; quamvis & copiâ possit veritas illustrari, magis tamen compendiosa placet veritas quam diducta.

Dum

Dum de meritis plur. Reverendi & Clarissimi Dn. M. Nicolai Bergii, Sueci, pauca dicemus, ea pius Lector in compendio dicta ita æstimabit; ut veritati examussim consona, & quæ alibi uberiori sermonis apparatu poterant commendari. Vidimus certè apud nos Eum Academicis studiis enixe incumbentem, vidimus exercitia crebra & solidæ Pietatis & eruditionis, quorum meritis applaudente toto Senatu nostro, ad primas inter multos philosophiæ Candidatos evectus partes, famam clarissimam nominis sui nobis reliquit. Hunc porro sin consvetis de more statutorum nostrorum examinibus præsentem sistere se discupiat, dignissimum existmamus esse, cui & supremi in Theologia honores possint decerni. Ita testamur, ita judicamus, ipsiusque instituto & proposito, & muneri sancto omnem benedictionem cœlestem apprecamur! Gissæ A. O. R. MDCXC. Id. Junii. Sub Sigillo Facultatis Theologicæ.



Lucæ

Lucæ 21. verſ. 15.

As bo vvam uſta davvat, i Mu-
droſt is vvischnijch poslati
Budu, davvams'che nikto, njc
Mogby protivv ghlagholati.

BEs wytschitánija ótzew woſtótschnych,
J beswysnánija Práwil tol Mótschnych,
Aschtsche Slawjáno-Roſſiiskuju wjéru
Chótschet wysnáti Kto, tójas'chie Mjéru;
Sdjè w'sei bedsédje obrjásch-tschet Koné-
tschno,
Jés'che doſtóino Cchwalíti jeſt wjétschno:
Mnóghich Naródow twortsì bo Písachu,
Jás'che tòi wjérje Prótiwnaja bjáchu:
Glúpo, Njewjés'chdo, Bes-ſtúdno, i los'chno,
Chót by im byllo Moltscháti wosmós'chno.
Sdjè S' sámych jésnych iſtótschnikow
S' skátschet
Práwdy wodà, chotja nénawiſt plátschet.
Nynje pridís'che ty drjáchlogho wjéka,
Ghórde Prewódnitsche, Pjén tschelo-
wjeka!
Ti ſamomù treba Práwdje utschítsjæ,
Jéjus'ch' tak mir wes naſtáwit ti mnítsjá.
Sljépa kak Chótschet sljep pút Pokásati,
Drúgh drugha búdet Propáſt prowos'ch-
dáti.
Tjæs'che, wladíko doſtoi: o Blas'chíti,
Wsém nales'chít Blaghodárnyms'che
S'chíti

)()()(Trúd

Trúd ſa ſei twój, Saslus'chíl ti slus'chbóju
Mus'chei rasúmnich ſaplátu drus'chbóju.
Tschtós'che jeſt drùs'chba, mirskája ſapláta?
Tschtó nam welmos'chnago jásna paláta?
Odna bes smérma ſebjè Dobrodjétel
Sámoi sapláta jeſt í Blaghodjétel.
Nénawiſt chót nas Grisét slo subámi,
Táks'che slonráwen pokléplјet gubámi;
Náms'che utjécha da ſówjeſt bywájet,
Jús'che newínnoſt ott Bógha Dawájet.

Preoswjasch-tschennomû, imjenitomú, Doſtoch-walnomú, welmi utschennomu, Prepotschtennomu, o Chriſtje duchownomu ottzu, i wladitsje, Goſpodinu Nicolje Bergiusu, Jegho Korolewskogho welitschеſtwa wjernomu mus'chu, i gheneralnomu Superintendentu Liwonskomú, doſtoinomu; Prijatelju i blagbodjetelju swojemu priunomu i wsegda potschtennomu, o wjerje Slawjano-Roſsyskoi, K'wosprijatiju obytschnyja wo swjatoi Boghoslowij ſtepeni docktorskija, mudrenno besjedujusch-tschemu, ſija wo Swoje wospominanije, so wsjakim blaghopolutschenija blagho-priwjetztwowaniem piſal jego Miloſti.

Prijatel i rab

Ioann Ghawriil Iwanowitsch
Sparwenfeldt.

Verſio Latina.

Luc. XXXI. 15.

Os nam ego ſapientiamque vobis
Invictum dabo, nemo cui reſiſtet.

NOn eſt neceſſe in perlegendis Patribus
Orientis illorumque ſanctioribus
Eccleſiaſticisque duris legibus
Triviſſe tempus eruendis. Scilicet
Qui noſſe Fidei vult Slaveno-Roſſicæ
Confeſſionis intimos ſenſus, librum
Iſthunc perenni laude condignum, rei
Compendium totius integrum, legat.
Illam attigêre plurimarum gentium
Docti viri. Sed plurimi temerariè
Solidi parum ſatisque nugarum afferunt,
Quos nulla vis ad ſcriptionem compulit.
Aſt, invidia plorante, limpidiſſimis
Hic veritas jam profluit de fontibus.
Huc fragilium contemtor omnium veni
Antiquitatum, interpres futiliſſime:
Hic diſce, quam docere vis audaculus
Præceptor alios, veritatem conſonam.
Cœco duce cœci, concidunt ambo in ſpecum.
Sed Te beatum jure prædicabimus
Præſul ſacer, debemus & Tibi gratias
Gra-

Grati labore pro Tuo Tibi præmii
Inſtar daturo doctiorum amicitiam.
Humana ſed quid amicitia & quid præmium eſt?
Excelſa quorſum proderint palatia?
Sibi ſola virtus non moriturum eſt præmium.
Nos dente livor mordeat: linguis, labris
Nos criminetur pervicax mendacibus:
Lætitia noſtra recta conſcientia
Erit alma diæ filia innocentiæ.

Famigratiſſimo, laude digniſſimo, valde docto, longe honoratisſimo in Christo Spirituali Patri Eccleſiæque Præſuli, DNO. NICOLAO BERGIO, *Sacræ Regiæ Majeſtatis fideli Viro & Generali per Livoniam Superintendenti meritisſimo, amico ſuo perpetuo jugiterque colendo, de* RELIGIONE SLAVENO-ROSSICA, *ad capeſſendum in S. Theologia præſignem Doctoratus gradum, erudite diſputanti, hæc in ſui memoriam cum omnimoda felicitatis apprecatione ſcripſit*

Reverendiſſimæ Ejus
Dignationis

amicus

SPARFWENFELDT.

I. N. D.

Exercitationis Historico-Theologicæ

DE STATU ECCLESIÆ ET RELIGIONIS MOSCOVITICÆ,

PARS II.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis & Moscoviticæ Partium 2. & 3.

Theologiam Moralem Complectentium

Brevem Censuram exhibens,

NICOLAO BERGIO
S. S. Theol. Lic., Generali per Livon. Superintendente & Acad. Pernaviensis Procancellario Authore.



LUBECÆ,
Impensis JOHANNIS WIEDEMEYERI.
Anno M DCC IX.

SAC. REG. MAJ.
Summæ Fidei Viro,
SENATORI,
CONSILIARIO INTIMO
&
CANCELLARIO
Academiæ Upſalienſis,
Illuſtrisſimo atque Excellentisſimo
Comiti ac Domino,
DN. CAROLO
PIPER,
Mecænati meo
Magno,
Felicitatis incrementum
perpetuum!

Illustrissime atque Excellentissime
COMES.

EA fuit *Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ* in me clementia, non heri demum aut nudius tertius, sed longâ annorum serie, eaque non interruptâ, declarata, ut mortalium forem ingratissimus, ni animi beneficiorum acceptorum memoris, aliquod extare vellem monumentum: quod cum, more in *Minervæ* castris re-

X 2 cepto,

cepto, facere adgredior, hasce pagellas in devotissimi cultus signum *Excell. Tuæ* offerendo, eas ab *Excell. Tua* serena fronte admissum iri, plane confido & submisse contendo. Neque enim hæ *Confessionis Ecclesiæ Græco-Moscoviticæ* partes, jure potiori ulli offerri poterant, quam *Excell. Tuæ*, cui inter Summos voluit esse locum DEUS, & DEI in Patria nostra Vicarius, *Invictissimus Rex CAROLUS*: ad cujus Monarchæ Augustissimi pedes, cum partem primam, in fidelissimæ subjectionis symbolum anno proxime elapso, *Heilsbergæ* humilime deposuerim, has posteriores *Excell. Tuæ* Nomini dicatas, in Famæ Fano suspendendas duxi, meæ erga *Excellentiam Tuam* observantiæ, documentum futuras perpetuum. Solenne equidem est Eruditis, de gratæ mentis tesse-

râ

râ ſolicitis, poſteritati commendare heroica illorum facta, quorum benignitatis aura ſeſe quam maxime refocillatos gaudent: Verum ne ſingularem illam, qua *Tua Excell.* in tanto dignoque ſuis Virtutibus faſtigio eminet, modeſtiam onerem, & meam prodam infantiam, aliis, quibus felicior obtigit calamus, exequendum relinquo, quantis rem Literariam & Patriam univerſam meritis devinxeris: mihi tantum ea verbo memoranda ſumo, quæ ad conſervandam pacem Eccleſiæ noſtræ, a *Tua Excellentia* non ſolum ſub imperio feliciſſimo CAROLI XI. *Regis immortalis & gloriæ & zeli;* Sed & hodie triumphantis Succeſſoris CAROLI XII. animo magno feceris. *Curlandia* teſtis erit rejectæ petitionis Reformatæ gentis: *Warmia & Epiſcopi ſedes Heilsberga,* ubi ad beneficia

quibus *Excell. Tua* me beârat plurima, insignis accessit cumulus, dum mea desideria sibi voluerit esse commendatissima, illo in loco, tot negotiorum mole onerato, & in ipso temporis articulo, castris movendis destinato; quo luculentius specimen summi in me favoris, nec *Excell. Tua* dare potuit, nec ego sperare debui: *Warmia*, inquam, *&* *Heilsberga* indubium plane præbebunt testimonium & *REGI* & *Excell. Tuæ*, *magno Regis Ministro*, irrito quoque conatu Pontificiatum partium homines, supplices rogasse, ut sibi liceret aut instituere, aut frequentare sacra superstitiosa: quo nomine quantum *Excell. Tuæ* debeant omnes, qui *Pacem Sionis* amant, paucis explicari nequit. Taceo, quæ ad incrementum & ornamentum *Ecclesiæ Gallicæ orthodoxæ*, ad elidendos

Hæreti-

Hæreticorum conventus clandeſtinos, a CAROLO XI. pacis Eccleſiæ amantiſſimo, An. 1687. erectæ, a *Tua Excell.* profecta, cum modus Epiſtolæ non capiat argumentum, integris voluminibus & ſtamen & ſubtegmen exhibiturum; ſi acceſſerint ea, quæ *Excell. Tua* eo *ſucceſſu,* quo *primus olim Regni Gallici Status Miniſter Cardinalis Richelius, geſſit. Nam &* Excell. Tua *in turbulentiſſimis & difficilimis Reipublicæ temporibus, clavo rerum, maximo regni uſu, a pientisſimo noſtro Rege admota, ſecundo curſu, ſpirante æternum felicitatis ſuæ favonio, publicam, qua omnes vehimur navem, inter Syrtes & Charybdes, quibus noſtra, ni caveret, allideretur fortuna, in felicem Pacis portum deducere allaborat.* Sed cum longus rerum uſus jam probaverit: *Omne bellum ſumi*

facile, ceterum ægerrime desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse; Pacemque optimam rerum, quas homini novisse datum est, Cœli esse depositum; quis non videt, eam publicis malis remedium haud allaturam, nisi nos, qui peccatis clamantibus eam in exilium egimus, cum Cœli Domino, & belli flammis, & hostium sævo acinace, & Christiani cruoris effusione horrenda, & innocui sexus ac hominum captivitate durissima, & omni pœnarum genere vindictam justissimam exercente, pacem restauraverimus. Quod si itaque, excussa securitate, & pertinacissima in malo perseverantia, ad pœnitentiæ sinceræ sacram anchoram nos receperimus, nullum erit dubium, quin Consiliis *Regis Maximi & Excell. Tuæ*, e Cœlis ea affutura sit benedictio, ut *Pacem firmam,*

cer-

certam, tutam, innumeris potiorem triumphis, ſumma cum *Tuæ Excell.* laude & noſtra lætitia brevi viſuri ſimus reducem, ut Patria, *inprimis Livonia noſtra hoſtium armis perfide cruentata & vix ſpiritum ducens, reſpirare poſſit*. Regem Regum & Dominum Dominantium interea ſupplicibus precibus calidisque votis fatigabimus, velit ex alto gratia ſua ita fovere actiones *Excell. Tuæ*, ut in omnibus Numinis divini honori, Regii Sceptri firmamento, Eccleſiæ tranquillitati, Patriæ commodis, Rei Literariæ incremento, unice litaſſe *Excell. Tuam*, iniquis pariter ac æquis rerum æſtimatoribus conſtare queat! Sic famam paries illuſtriſſimo Nomini Tuo, cujus memoria vigebit, quandiu vigebunt Literæ, florebit Suecia, ſtabit Orbis. Quod reliquum eſt, *Vivat* Excell. Tua *Religioni*, *Regi*,

Patriæ diu superstes! Vivat & videat illustrisſimam Familiam omni ex parte florentisſimam! Vivat memor illius *Senecæ:*

Pulchrum eminere est inter illustres Viros.
Consulere Regno, jura tutari, dare
Orbi quietem, seculo pacem tuo:
Hæc summa virtus, petitur hac Cœlum via.

Vivat & memor mei, munerisque mihi, in turbata Provincia commissi longe difficilimi: Ego donec vivendi finem fecero, vivam

Illustrisſimæ Exeellentiæ Tuæ

Holmiæ d. 16. Maji
Anno 1705.

Ad preces & obsequia devinctisſimus
Nicolaus Bergius.

Lector Benevole!

STo *promissis, & partes ultimas Confessionis Ecclesiæ Græco-Moscoviticæ II. nimirum & III. Tibi exhibeo, meam qualemcunque addens sententiam de iis, quæ mihi visa sunt à Verbo DEI, & ex illo hausta orthodoxâ Fide recedere longius. Sic dum alienam ad veritatis lancem expendo Confessionem, meam edidi: in quâ nato ac educato, per divinam gratiam ad suprema fata persistere, eamque contra Adversariorum machinationes & insultus, uti hactenus, ita imposterum pro virili, DEO aspirante, tueri constitutum est. Usus autem sum, quanta fieri potuit, brevitate, eò adactus & temporis & aliarum rerum angustia; idque operam dedi, ut non tantum* Confessionis mens, *ipsius verbis candidè exhiberetur, sed & absque verborum acrimonia notarentur devia, exemplum secutus* Patriarchæ Constantinopolitani doctissimi. Dn. Jeremiæ, *qui An. Chr.* 1576. *d.* 15. *Maji edidit* Censuram Augustanæ Confessionis, *calamo placido conscriptam. Spero hanc partem secundam Exercitationis meæ* De Religione Moscovitica, *eâdem benignitate, quâ prima, à cordatis exceptum iri; cum non aucupandæ gloriolæ meæ, sed studiis juventutis litare voluerim; ut haberet integram Confessionem, & sic* Compendium quoddam Theologiæ & Theoreticæ & Practicæ: *accessit desiderium reddendi rationem otii mei Holmensis, quod mihi*

mihi concessère Fata minus prospera, quæ me compulêre, ut & hanc hyemem Holmiæ transigerem, nihil tale ne per somnium quidem cogitantem; cum æstate proximè elapsa, à Clementissimo Rege meo, ad cujus Thronum Heilsbergæ tunc constitutum, me contuleram, spei plenus dimissus, omnia ad reditum in Livoniam maturandum necessaria, ex animi sententia successura. Regiam Clementiam summam, quâ ibi gavisus sum, dignis elogiis prosequi non possum: Sed temporum iniquitas obstitit, quo minus beneficia illa consecutus fuerim, quibus Rex Maximus, & erga subditos suos, sacri inprimis ordinis, indulgentissimus, me beare voluisset. Verum hæc DEO committenda, qui & meis angustiis & molestiis plurimis, finem aliquando est allaturus: grato interim agnosco animo, non planè circa me otiosam fuisse paternam ipsius providentiam, cum tempus mihi obtigerit, edendi hanc Confessionem; quo nomine â posteris majorem habiturus sum gratiam, quam ab illis, qui invidia excæcati, nihil probant, nisi id quod ipsos authores agnoverit.

Edidi antehac meis sumtibus, quod absque jactantia dictum volo, varios summorum Theologorum tractatus, *parvæ equidem molis, sed non contemnendos; selegi illos, qui præsenti Ecclesiæ nostræ Septentrionalis statui videbantur aptissimi; adjeci præfationes, rationem instituti suggerentes; & notas ea, quæ dicta fuerunt, vel explicantes, vel applicantes ad nostram Patriam dilectam, & quæ in eâ DEO colligitur, Ecclesiam*, â Pontificiis, Calvinianis seu Reformatis & eorum Patronis Syncretistis, *variis insidiis petitam, ut liberum suorum Sacrorum exercitium, decursu duo-*

duorum seculorum, indefesso studio, & mille decipiendi artibus frustra quæsitum, tandem spe facta lucelli ad regnum redundaturi, si è Gallia exules Reformati, cum libero Religionis Exercitio admitterentur, extorquerent. Hactenus tamen tutam præstitit Ecclesiam, ejusque pacem sartam tectam servavit Zelus Gloriosissimæ memoriæ Regis CAROLI XI. *cujus Herois vestigia ita pressit* Augustissimus Filius CAROLUS XII. *ut maximum Parentem, multis post se reliquerit parasangis, seque Hæreticis murum objecerit, in ista ætate, quâ regale solium conscendit; quæ cerea cum fuerit, facilè flectitur, uti tristis experientia in* Saxonia *comprobavit. Nam* Christianum Electorem *juvenem, Clavinianæ gentis artes, à Crypto-Calvinianis, quorum tunc erat in ordine non minus Ecclesiastico quam Politico, magnus numerus, fotæ & promotæ, Pium alioquin, & de religione orthodoxa solicitum, Principem, ita circumvenerunt, ut nisi DEUS morte Electoris halcyonia procurasset* Ecclesiæ suæ Saxonicæ, *de eâ jam fuisset actum, & illa æque ac* Palatina, Bipontina, Anhaltina, Hasso-Cassellana, Bremensis, Brandeburgica *& alia, currum triumphalem horum Heroum, catenis onerata sequi fuisset coacta. Sed & parum abfuit, quo minus &* Ecclesiæ Sveticæ, *tempore* Gloriosissimæ memoriæ Regis CAROLI IX. imposuissent; *ut adeo nunquam ad ipsorum insidiis tuta sit futura* Ecclesia Lutherano-Evangelica.

Quanto nisu ad exemplum piissimorum Principum Proceres & Episcopi id egerint, ut extra periculi aleam poneretur Ecclesia, testis est omni

ex

exceptione major, Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus D. ERICUS BENZELIUS R. Sv. Archiepiſcopus Eminentiſſ. & Acad. Upſ. Procancell. *olim præceptor, nunc Mecænas colendiſſimus* quem in Eccleſiæ ſolatium diutiſſimè rebus mortalium intereſſe jubeat DEUS! qui Hiſtor. Eccl. N. T. Sect. XVII. §. 94. ſcribit: Habuit Svecia noſtra etiam circa Religionis negotiũ, ſub hâc ætate fata & proſpera & adverſa; ſed infelicia, quæ metuenda videbantur, maturè avertit, per divinam clementiam, Regum pietas & conſtantia invicta, cui ſubvenêre pro virili parte Procerum Regni ac Eccleſiæ Præſulum zelus ac vigilantia.

Hos inter Proceres ſi dixero eminuiſſe illos, qui OXENSTIERNIÆ *&* GYLLENSTIERNIÆ Gentis *fuêre Lumina, ad veritatis armam me Sacramentum dixiſſe, rerum Eccleſiæ gnari, faciles fatebuntur. Utriusque illuſtriſſimæ Familiæ, cum in me extent merita longè ampliſſima, Heroum illorum, per quos res Eccleſiæ ſtetit quam feliciſſimè, gratum declaraturo animum, hic memoriam colere licebit. Ex* Oxenſtiernia *quidem, famâ ſuper æthera notus eſt* AXELIUS OXENSTIERNA, Trium maximorum Regum magnus Cancellarius, qui vixit Annos LXXI. Senator erat XLV, Cancellarius XLIII. Tutor & Regni Sveciæ Adminiſtrator, nec non fœderis Evangelici in Germania Director XII. *Quo non minor, qui non ita pridem fatis conceſſit gloria & vita ſatur* BENEDICTUS OXENSTIERNA Gab. F. Trium itidem maximorum Regum Magnus Miniſter. *Vixit An. LXXIX.* Senator erat an. XLIX. Cancel-

cellariæ Regiæ Præses XX. Cancellarius Academiæ Upselienſis XVI. Tutor Regis an. I. *quo tempore quoque* Generalis Gubernatoris Livoniæ, Wismarienſis Tribunalis Præſidis, perpetui per Germaniam Legati, Borussiæ Gubernatoris, Ingriæ & Kexholmiæ Legiferi, Legati ad aulam Cæſaream, ad Tractatus Pacis Neomagienſis, *& alia summa officia ſic adminiſtravit, ut eſſet* Seculi Decus, Septentrionis gloria, Templum Sapientiæ, vera Virtutis imago, Regis Amor, CiviumDeliciũ, omnis ÆviExemplum,&Camœnarum perpetuum Deſiderium, *teſtibus Camœnis Upſalienſibus,* Belmanni *ore facundo, piiſſimis tanti Herois Manibus ſupremum vale dicentibus. Quibus in Domino piè defunctis, addo Cœli clementiâ, adhuc, utinam diu! ſuperſtitem* Gabrielem Oxenstierna Turonis F. Gubernatorem Bipontinum, XL. & pluribus annis ampliſſimis Dignitatibus, & variis ac feliciſſimè confectis Legationibus, Plenipotentiarii quoq; in Aula Cæſarea honore illuſtirſſimum; *cujus zeli pro conſervanda Eccleſia Hungarica, Viennæ à Suâ Excellentia gratioſiſſime exceptus, per ſex menſium ſpatium eodem & tecto & menſâ indultu ſua Excell. gaudens, teſtis ſum oculatus; beneficiorum acceptorum gratiſſimam ſervans memoriam, & ut omnia, in quibus ſummam felicitatis mortales conſtituunt, Excell. ſuæ & Toti illuſtriſſimæ Genti* Oxenstierniæ, *è voto affluant, calidis contendens ſuſpiriis.*

Ex Gyllenſtiernia, *memorandus erit* Nicolaus Gyllenstierna, Regni Sveciæ Drozetus & Cancellarius magnus, *qui tempore Concilii*

Upſa-

Upsaliensis A. C. 1593. *celebrati, & moderabatur Concilium, & primus* Augustanam Confessionem *approbavit & præsentibus voluit esse commendatam; sic gloriam meritus & adeptus immortalem. Hunc Heroem excipiat* SIGISMUNDUS GYLLENSTIERNA, inter Regni Poloniæ Magnates haud postremus, partium Augustanæ Confessionis, in Colloquio charitativo Thorunensi, VLADISLAI IV. authoritate instituti, Præses, *cum tanta Zeli & Pietatis gloria, ut omnium præsentium, summorum Virorum, etiam adversæ partis, animos in sui rapuerit admirationem, eorumque meruerit elogia amplissima. His summo jure accenseo, hodieque Ecclesiæ singularem curam, utinam quam diutissimè, agentem* CHRISTOPHORUM GYLLENSTIERNA, Comitem Senatorem Regium, Holmensis Civitatis Gubernatorem &c. *meritis in Patriam, Ecclesiam maximè, adeo illustrem, ut pauci Suæ Excellentiæ comparandi, qui præferendus nemo facilè inveniatur: cui viridem senectam*, Celsissimæ Conjugi Principi, Familiæque universæ Gyllenstierniæ, *& in hâc* CAROLO GYLLENSTIERNA, Comiti, Senatori Regio, S. R. M. Reginæ nostræ clementissimæ Gubernatori, Præsidi Collegii Revisionis rationum &c. *gloriâ meritorum in Patriam & Ecclesiam nemini secundo, omnia, quæ humanorum votorum summam conficiunt, devotissima mente adprecor.*

Horum Exemplis cedro dignissimis, si se conformaverint posteri, nullus dubito quin & illi utilissimam Ecclesiæ nostræ navaturi sint operam. Neque enim unquam Ecclesiæ bella deerunt, cum ali-

alios post alios hostes suscitet ejus persecutor Diabolus; qui tamen non magis est metuendus, quam cum se in Angelum lucis transformat, & sub pietatis larvâ, veritati vim facit præsentissimam. Agnovit id magni nominis Theologus, Normannus *noster p. m. qui in* Academia Upsaliensi, & in publicis & privatis Lectionibus, *se opposuit Novatorum (quibus pietatis, si Diis placet, ardentius studium, Pietistarum dedit nomen) occultè serpentibus erroribus; cujus* Normanni Manibus *gratulamur, quod earum memoriam ab oblivione vindicaverit, in sua facultate* Normanno *haud minor,* Acad. Upsal. Senior, Vir Consultissimus & longè Celeberrimus juris Patrii Professor, *Dn. Carolus Lundius,* Fautor meus honoratissimus, qui in Epistola Dedicatoria ad Dn. Normanni Familiam, *non obscure testatur suum ab hac Pietatis propagandæ ratione dissensum, scribens:* Enimverò, si longior ipsi vita obtigisset, bono commodoque non vestro tantum ipsorum, sed literarum etiam maximè vixisset; atque malo contra infortunioque hæreseôn omnium perversissimarum, inprimis vero fanaticorum hominum, pietatis, nescio cujus, prætextu manus impias hodierno die, Divinis insignitiùs admovere libris non dubitantium.

Quid ominetur Ecclesiæ Upsaliensis Acad. Rector Magnificus hodiernus, *Dn. Petrus Elvius,* Mathem. Professor Celeb. Fautor itidem meus æstimatissimus, in Programmate, *quo invitavit ad solennem Panegyrin Academicam, in qua* Prim. S. Theol. Professionem inaugurali

oratione *susceptur⁹ erat d.* 18. *Apr.* Max. Rev. & Ampl. Dn. D. Laurentius Molin, â Sacris primariis & Confessionibus, S. R. M. HEDWIGI ELEONORÆ *Domina nostra Clementissima, cui seram immortalitatem voveo; verbo explicuit sic disserens:* Sed cum Ecclesiæ huic militanti, ut rosæ inter spinas constitutæ, de perpetua pace ac tranquillitate nuspiam cautum sit, quin eam nunc ac olim, igneis suis telis impetat Satanas, cum suis ex orco furiis, militem Christianum, sacrâ instructum panoplia, agere decet excubias: Habent Ecclesiæ Evangelicæ potentia non minus ac calliditate instructissimos hostes, Romanæ Curiæ in pernicem religionis Protestanticæ directæ machinationes sunt manifestæ; successu easdem non caruisse vidimus & dolemus; id serio optandum, ne dissensionum malis, quæ nunc velut agmine facto in orthodoxam vertiatem ex *domesticis insidiis* in Germania *irruunt*, hostis communis in occasionem vincendi utatur. In medio itaque hostium ut constituta est Ecclesia, ita vigilibus qui accuratiores agant circa eam excubias, opus habet; quod fiet, si genuinas muneris sui partes expleverint, quas ἐν δύναμει παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Divus Paulus constituit. *Sic luculenter alienum à fucata pietate, ejusque propagationis modo, animum prodens. Hinc enim tot dissidia insecuta, ut gemitibus omnes repleverit Ecclesiæ nostræ angulos, ita ut exclamare queamus:* Tantum Religio (*Pietas*)

tas) potuit suadere malorum! *Nec possum silentio involvere Zelum, viri dum Fata eum volebant superstitem*, Pl. Rev. & Clariss. M. Martini Schütte Fac. Th. Adj. Germ. Concionat. *amici mei conjunctissimi, qui se monstravit germ inum magni Dantiscani Theologi* Dn. D. Schelguigii discipulum, *cum semet hisce novitatibus qua voce, qua calamo opposuit; Sanè laudatus* Dn. D. Schelguigius *in* Wigandanis pag. 5. *de iis retulit, qu[illegible]:* vivendum esse, non disputandum; Theologiam Polemicam ut rixosam, jure meritoque accusari, damnari, proscribi; Libros Symbolicos Hæresibus oppositos consultius minui, quam augeri; juramentum Religionis, non sine tyrannide conscientiæ exigi; &c. *Et in ingressu ad Wigandiana, hortatur omnes ut malo latius serpenti, obicem ponant, ne morâ omnia inficiat ac convalescat, & in pestilentissimum tandem morbum degeneret*, & qui imminere foresque nostras pulsare videtur, Naturalismus, vel manifestus Atheismus, irrumpat.

Pios Principes non defuisse officio suo, testantur eorum Edicta, Constitutiones & Rescripta publica, quorum pluscula à Dn. D. Schelguigio l. c. *adducuntur: Sed cum nos propius tangat Edictum Christianum, Regis Pietatis gloriâ incomparabilis, CAROLI XI. d. 6. Octob. 1694. publicatum ex eo nonnulla huc transscribemus, nobis quibus obsequii gloria tantum relicta, nulla violanda modo. Causam Edicti ubi sic reddisset:* Nachdem wir schmertzlich erfahren müssen / wie an etlichen Orten der Evangelischen Kirchen in Teutschland / die

die alten Ketzerischen/ Schwermerischen Lehren vom Chiliasmo, sonderbahren Offenbahrungen/ Entzuckungen 2c. wieder auf die Bahn gebracht/ in öffentlichen Schrifften theils eingeführet/ theils vertheidiget/theils wollen entschuldiget und geringe geschätzet werden/ zu dero behuff man allerhand Schwermerische Schrifften suchet zu recommendiren oder bemänteln/ nebenst diesen verdächtige/ gefährliche/ ja von denen Libris Symbolicis Evangelischer Kirchen gantz verworffene Redensarten wieder gebrauchet und entschuldiget/ auch das ansehen der Librorum Symbolicorum kräncket/und die eidliche Verbindung an dieselbige bald aufheben wil; diesem allem aber heimliche Conventicula grossen Vorschub thut/ woraus den nichts anders als Zerrüttung der Gemüther/ grosse Unruhe/ Lästerung und Frolocken der Widersacher der Warheit/ eusserste Seelen-Gefahr/ja gar NB. Untergang des reinen Evangelii an solchen Orthen entstehen kan; post quædam alia pergens: Befehlen demnach allen und jeden unsern getreuen Unterthanen unserer Provincien/ wes Standes und Condition sie seyn/ fürnemlich aber/ welche in geistlichen Aemptern Gott dienen/ und den Gemeinen/ als auch der studirenden Jugend vorstehen/ wie aller andern/ also auch oben angeführter Ketzerey/ und hin und wieder einschleichenden Schwermereyen/ aller Ketzerischen/ gefährlichen/ verdächtigen und anstössigen Redens-Arten/ gäntzlich/ mündlich und schrifftlich sich zu enthalten/ihnen nicht den geringsten Vorschub/ unter was Schein es immer wolle/ entweder durch Entschuldigung oder Geringachtung

achtung zu thun/ die Privat-Zusammenkünffte in denen Häusern/ oder andere heimliche Conventicula, auf keine Art und Weise zu dulden/ die Einführung Schwermerischen Bücher gäntzlich abzuschaffen/ vielmehr aber eintzig und allein bey GOttes heiligem Wort/ und denen so theur beschwornen Libris Symbolicis, als dem einigen Bande der Evangelischen Kirchen/ schlechter dings zu verbleiben. Tandem pœnam Transgressoribus dictat: Daß die Consistoria selbige entweder zu einem öffentlichen Wiederruf für der Gemeine/ und hertzlicher Abbitte des gegebenen Aergernisses/ das erste mahl sollen anhalten; in desselben Wegerung aber/ so er ein Ampt bediente/ des Dienstes entsetzen und des Landes verweisen lassen; oder so er ausser Ampts/ mit des Landes-Verweisung alsobald wider ihn verfahren lassen; das andermahl aber ohne alles übersehen die Verordnung thun/ daß die Absetzung und Landes-Verweisung an ihm schleunigst vollenzogen werde.

Constitueram præter hæc ex MSC. summi in Patria Theologi, ante aliquot annos placide defuncti, edere errorum pietisticorum Catalogum, ut studiis operam dans juventus, de iis admonita disceret discernere pretiosum a vili: verum cum sperem Theologos nostros, Cathedras Academicas occupantes mihi hic otium facturos, & quæ ipsorum de his controversiis candida sit sententia exposituros, distuli hujus Mscr. publicationem, dixisse contentus, veneno huic Novitatum, paratum esse Antidotum, non tantum in Sacro-Sanctis Prophetarum & Apostolorum Oraculis, & libris Symbolicis, *quorum lectio præ reliquis debet esse commendatissima;*

sed orthodoxorum quoque Theologorum scriptis, quorum tantus est numerus, ut illis recensendis paginæ hujus angustia non sufficiat. Palmam reliquis dubiam facere videntur, memorati Dn. D. Schelguigii *pluscula, inter quæ eminet* Synopsis controversiarum sub pietatis prætextu motarum; *quæ in compendio sistit nervosa ac accurata Methodo ea, quæ apud alios magno labore essent quærenda; ad quos tamen bona fide citatos, Lectorem plenioris informationis cupidum remittit. Invenies ibi* Witebergensis Fac. Theologiæ, Dn. D. Mayeri *Gryphiswaldensis*, Dn. D. Fechtii *Rostochiensis*, Dn. D. Sontagii *Altorfini, Theologorum, & quas privato nomine edidêre Witebergenses*, Dn. D. Deutschmannus, Dn. D. Hanekenius, Dn. D. Neumannus, *&* Dn. D. Pfeifferi Lubecensis Superintendentis, *& aliorum lucubrationes allegari, quorum lectio neminem præjudiciis vacuum pœnitebit.*

Possem hic calamo imperare quietem, ni vidissem & audivissem apud nos in deliciis haberi & aliis obtrudi Gothofredi Arnoldi *scripta venenata varii argumenti, sed potissimum* Chronicon Ecclesiæ & Hæreseôn, *quod cum* universæ Historiæ Ecclesiasticæ faciem fœdarit, *ad Garamantas & Indos esset relegandum potius, quam in Ecclesia nostra tolerandum. Mihi fidem haberi non postulo, sed viris magnis, & in quos nulla affectuum perversorum vel invidiæ cadit suspicio,* Max. Rever. & Ampliss. Dn. D. Gœtzio Superintendenti Lubecensi vigilantissimo, *qui in erudito* de reliquiis Lutheri *in variis locis asserva-*

va-


vatu, (domo, vitris, annulis & similibus) *tractatu* ed. Lipf. 1703. in 4. § 11. p. 37. *de eo refert*, quod nihil hic rectum & Cristiano homine dignum putet, nisi suis conveniat moribus. *Post pauca:* quod sibi in scribenda hac historia datum existimârit, ut Luthero cujus Manes venerari debuisset, insultaret audacter, ejusque memoriam ceu infaustam carbone notaret. *Idem allegat Epistolam* Dn. Frickii, Ulmâ d. 16. Sept. 1699. *perscriptam, qui asseruit*, quod Historia ejus Ecclesiastica iniquissima sit Patribus orthodoxis, tantum non ad unum omnibus, quod cladem Ecclesiæ sit allatura Historia illa, & quod in cursoria lectione tot errores magni momenti, calumnias, mendacia, injuriarum plaustra deprehenderit, ut referre pigeat. *Atqui hic inter Pietistas primam occupat caveam. Remittit idem* Dn. D. Gœtzius *Lectorem ad* Andr. Caroli Memorabilia Ecclef. *Lib. X. c. LXVIII. p.* 866. Dn. D. Fechtius, *qui Pfeiffero, quanto Viro, audit* Theologus accuratissimus, *in Epistola ad* Mag. Manzelium, *præmissa* Criticæ in Gothofredi Arnoldi Criticam, *dignaque quæ tota hic legatur, non dubitavit eum nominare:* Archisycophantam, qui maledictis universam nostram Ecclesiam, omnesque ejus Doctores fine fronte ferociter conspuit, iisque technis ad religionum omnium indifferentissimum rectâ viâ ducit; *hinc laudatus* Dn. D. Fechtius *asseruit*; ne quidem boni viri, nedum Theologi, nomen mereri, qui ad illius maledicta sileat, nec vel veritatem defendat, vel vindicet famam.

mam. *Dolet* hos Tomos Histor. Eccles. ab hominibus seriæ veritatis defensioni infensis arripi, & adminiculo plurium linguarum disseminari: Queritur quod Lutheranam fidem, odio plusquam Vatiniano ubique persequitur: Quod affectu & virulentia ita excæcatus, ut vix verbum eidem excidat, quin sit felle tinctum & veneno. *Ut taceam reliqua, quæ non tantum ab hoc Theologo mitissimi ingenii, sed & aliis prolata*, ut in cauta juventus disceret vitare & angue pejus odisse scripta, nil nisi odium spirantia.

Est & nobis, per divinam misericordiam Pietas & cura & cordi; sed Veritati in omnibus amicas jungens manus: cui promovendæ hanc Theol. Moralem Ecclesiæ Græco-Moscov.. *publicavi, ut in ruborem dentur*, qui secum natam & interiturã Pietatem, mortalium vanissimi, autumat. *Quod si de favore tuo Ben. Lect. constiterit, spondeo me* Tertiam Exercitationis meæ partem, Theologiam conscientiariam Moscoviticam *exhibiturum, si DEUS vitam concesserit, Tecum communicaturum. Tu interea, quisquis fueris, ô Bone, agnosce quanta nobis incumbat necessitas agendi DEO gratias, pro nobis concessâ Verbi sui sanctissimi luce; quanta supplicandi*, ut sit lucerna pedibus & lumen semitis nostris; *quanta orandi ut nobis illam servet usque ad seculi consummationem*, dicendo:

Vespera nunc venit, nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiâre tuam!

Se-



Sectionis Primæ Hiſtoricæ

CAP. I.

FAciem Eccleſiæ & Religionis Moſcoviticæ rudi penicillo delineaturis, diſpiciendum fuit, unde colores tabulæ huic exornandæ apti, minimo cum labore eſſent eruendi. Cum autem haud reperiantur felicius, quam in Authorum monumentis, qui huic operi eruditas commodarunt manus, hi nobis adeundi fuere: Et ne defraudentur gloria laboribus & ſudoribus ipſorum debita, ſunt indicandi, nulla habita ratione dignitatis, qua quilibet corruſcavit; additis judicio & meo & aliorum, quo in loco habendi, & quantum fidei ipſis ſit tribuendum.

Primum locum damus *Sigiſmundo* L. B. ab *Herberſtein* Leg. Cæſ. in Moſcoviam, cujus *Commentarii rerum Moſcoviticarum impreſſi Antverpiæ apud Stelſium An.* 1557. *in 8vo.* ubi Auctor nominatur *Sigiſmundus Liber.* Poſtea inter *Scriptores Rer. Moſcoviticarum An,* 1600.

Francofurti editi. Hic hujus historiæ princeps audit ab Editoribus Marniis, & justo opere Res Mosc. descripsit.

Hunc excipiat *Paulus Jovius* de legatione Basilii, Magni Principis Moscoviæ, ad Clementem VII. Pontificem Rom., libello historiam complexus; qui è relatione Demetrii Legati Moscovitici sua hausit, ipsomet fatente.

§. 2. *Joannes Faber* Ferdinando I. Imperat. Rom. quondam â confessionibus, & postea Episcopus Viennensis, dissertationem *de Religione Moscovitica* edidit Tubingæ An. 1525. de quo nullum dubium, quin Pontificiorum cum Moscis in religione concordiam sæpius falsò jactitet: imò teste *Siricio* c. 3. pag. 10. apertè falsa miscet. Hinc *Dn.Sch.* in proœmio, liberum lectori relinquit, quantum fidei ipsi velit tribuere. Extat inter Scriptores rerum Moscoviticarum A. 1600. edit. pag. 130.

Clemens Adamus in descriptione navigationis Anglorum ad Moscovitas, haud inconcinnè, licet in compendio, rem tractat. Inter Script. R. Mosc. p. 143.

Paulus Oderbornius, libris tribus *Joannis Basilidis* vitam descripsit, & de se prædicat, quod eorum ceremonias & preces & ritum & pietatis cultum coram cognoverit. editi A. 1586. & pag. 241. inter Script. R. Mosc. Anno 1600. altera vice impressi.

§. 3.

§. 3. *Antonius Possevinus* Soc. J. Anno 1581. â Papa Gregorio XIII. ad componendum bellum inter *Stephanum Reg. Polon.* & *Basilidem M. Ducem* missus. 1. librum de rebus Moscoviticis ad *Gregorium* XIII. *Pontif. Maxim.* duobus commentariis constantem: 2. Tria publica colloquia habita cum *Johan. Basilide* in ejus regia, Senatoribus & 100. proceribus aliis præsentibus: 3. Capita, quibus Græci à latinis dissentiunt: 4. Scriptum Magno Moscoviæ Duci traditum, cum Angli mercatores eidem obtulissent librum, quo hæreticus quidam ostendere conabatur, Pontificem Max. esse Antichristum: 5. Interrogationes & responsiones de Processione Sp. S. à Patre & Filio, desumtas & breviore & dilucidiore ordine digestas ex libro *Gennadii Scholarii Pat. Const.* in gratiam & utilitatem Ruthenorum scripsit. Edita omnia in fol. A. 1595. Colon. Hunc partium studio ductum suspicatur *Sch.* in proœmio, & ipsius testimonio parcius utitur.

§. 4. *Alexandri Guagnini* Veronensis Equitis Aurati, in tractatu de Sarmatia, omnium regionum Moscoviæ Monarchæ subjectarum, morum & religionis descriptio, & gesta tyrannisque Joh. Basilidis, Spiræ An. 1581. edita; posteà inter Scriptores Rer. Moscovit. pag. 154. qui egregiè functus suo labore & nitido stylo usus est.

Matthiæ à Miechovia quædam de Mosco-

via, desumta ex corpore historiæ Polonicæ, edito Basileæ ab H. Petri A. 1582. extant inter Script. R. Moscovit. pag. 206. Brevissimis rem tangit potius quam tractat. In tractatu de *duabus Sarmatiis*, i. e. *Asiana* & *Europæa*, prolixius in eo versatus labore. *Orichovio* in Dedic. ad Bapt. Ruthenorum: *vir gravis imprimis & fidelis Scriptor*, professione *Medicus*. Ante annum 1544. proinde scripsisse sua certum est; cum illo anno Libellus Orichovii Cracoviæ impressus fuerit.

§. 5. Edidit *D. Albinus* Spiræ An. 1582. varios de Russorum religione Scriptores, &

1. *Colloquium* de religione M. Ducis Moscov. cum *Robita*, ministro Ecclesiæ fratrum Bohemorum.

2. Hujus *colloquii* literis mandati ab eodem Duce confutationem.

3. *Lasicii Poloni*, veræ religionis apologiam & falsæ confutationem: sub tit. *Theologia Moscovitica*; De quâ *Boxbornius*, Collector Scriptorum sub tit. Respublica Moscovitica, quæ prodiit ex officina *le Maire* A. 1630. in 16. Ita sensit: *Quam adeat, svadeo, quisquis velit habere solidam cognitionem & confutationem Theologiæ Moscoviticæ*. p. 192. satis prolixum opus, & commendatione adductâ dignum.

4. *Fabri* Relig. Moscoviticæ descriptionem seu laudationem; de quâ supra egimus.

5. *Sacrani* Libellum, sub Titulo: *Elucidarius Errorum ritus Ruthenici*, quo 40. errores Mosco-

ſcorum ſeu Ruſſorum, & 12. ſeceſſiones Græcorum â Romana Eccleſia oſtenduntur. Fuit *Canonicus Cracovienſis* & ante LUTHERI tempora celebris. Nam anno 1500. ſcripſit: de quo *Oricbovius* in Dedicat. verſionis Baptiſmi Ruthenorum; *Homo rudis Ruthenarum litterarum, Græcarum expers, quî poterat ſine iſtis adjumentis, aut de Græcis ſtatuere, aut de Ruthenis aliquid certi pronunciare? mihi quidem nihil videtur potuiſſe minus.* Queritur proinde eum durius in Ruthenos inquiſiviſſe, illisque objeciſſe, quæ vel prætermittenda, vel in mitiorem partem accipienda fuiſſent,

6. *Scarga Jeſuita* (Vilnenſis) Appendicem de iisdem Ruſſorum erroribus & cauſis, propter quas Græci â Romanâ Eccleſiâ defecerunt.

7. *Guagnini* deſcriptionem, cujus jam mentio facta.

8. *Narrationem de Ruſſorum & Tartarorum religione, ritibus nuptiarum, funerum, victu, veſtitu & moribus, ad Dn. Davidem Chytræum* ſcriptam 8. Kal. Aug. 1581. lectu digniſſima, & ob nervoſam brevitatem commendanda; quæ *Oderbornio* tribuitur à *Scb.* in proœmio.

§. 6. *Jacobi* nobilis Dani, qui â FREDERICO II. Reg. Dan. Legatus miſſus ad Moſcoviæ Ducem, *Hodæporicon* in 4to. Anno 1608. Francofurti impreſſum, non contemnendum.

Adamus Olearius Sereniſſ. Holſatiæ Ducis

FRIDERICI, Sac. Reg. Maj. HEDWIGIS ELEONORÆ Reginæ noſtræ clementiſſimæ Parentis, Mathematicus & Bibliothecarius curioſisſimus, reliquis palmam fecit dubiam; qui cum linguam calluerit, iteratis vicibus provinciam adierit, ſummâ diligentia cuncta explorarit: Ejus teſtimonium ſolum ſufficere potuiſſet, *Scb. judice* in proœmio. Scripſit libros 3. *Itiner. Perſici.* Ultimam editionem commendat *Opp.* c. 2. p. 12.

§. 7. *Edoardus Brerevodus* Anglus, in Scrutinio Relig. c. 9. paucisſimis ſe expedit: ſed ſatis benè.

Alexander Roſſæus Anglus, in tractatu *de Religione omnium gentium* cap. 14. in compendio haud male tractavit argumentum.

Boxbornius in Miſcella Farragine rerum Moſcoviticarum, ſatis commendatus ab aliis: in quâ exhibet *Clem. Adamum.* 2. *Acta* in conventu legatorum *Stephani Reg. Pol. & Baſilii Ducis Moſcoviæ.* 3. Literas *Michaelis Fæderovitz* D. Ruſſ. ad ord. Fœd. Belgii. 4. De jure M. Ducis in Livoniam epiſtolam. 5. Appendicem ex *Michaële Lithuano.*

Ægidius Fletſcher, Legatus Anglorum in Moſcoviam, de quo ita *Becmannus* Hiſtoriæ orbis terrarum part. 2. cap. 7. Apud Anglos melioris notæ ſcriptor de rebus Ruſſicis præſtat Giles ſeu Ægidius Fletſcher. Mihi autem non viſus, licet ſolicitè quæſitus.

Ludovicus Dunte Paſtor Reval. in Caſibus

con-

conſcientiæ, occaſione quæſtionis, an Moſcovitæ ſint Chriſtiani? nonnulla de religione commemorat cap. 16. Sect. 2. quæſt. 6. & ea quæ à Dn. Doct. *Botvidi* diſputata in compendium redegit.

Becmannus in Hiſt. Orbis p. 2. c. 7. pag. 661. politica potius tractat; paucisſima de religione.

Michaël Siricius, Profeſſ. Theolog. Gieſſenſis, diſcurſum Hiſtorico Theologicum edidit A. 1661. Giſſæ, reſpondente *Luderto Cumero* Riga Livono; qui æſtimandus. Titulum talem dedit opuſculo: *Religio Muſcovitica per certa lectu digna & utilia capita &c.*

Johannes Schvabe, in patria poſtea Paſtor Eccleſ. Æſthonicæ Revalienſis, ſub præſidio Dn. Doct. *Ioh. Erneſti Gerhardi*, diſſertationem de Religione & ritibus Eccleſiaſticis Moſcovitarum publicæ luci expoſuit Jenæ A. 1665. Et quamquam non potuerit exſequi propoſitum quoad ritus; reliqua tamen laudem merentur eximiam.

Michaël von Oppenbuſch Amſtelodamenſis, Argentorati ſub præſidio celebratisſimi Theologi Dn. D. *Joh. Conradi Danhaveri*, Exercitationem Hiſtorico-Theologicam publici juris fecit, quæ in Faſciculo diſquiſitionum Sacr. Danhaveri recuſa An. 87. non infeliciter, quamquam ſtrictim, rem exſecutus.

Theophilus Warmund, germanice de Re-

ligione Moſcovit. in 8vo. egit. A. 1698. impreſſus & correctus : ſed ſi pauca quædam excipias, exhibet verſionem exercitationis von Oppenbuſch ; lectu jucundus iis qui latina ignorant.

Dn. Aviti, in opere dicto *les Empires & les principautez du monde*, etiam de Moſcovitis non pauca conſignavit.

Philippus Nicolai l. 1. de regno Chriſti, ſumma Religionis Moſcoviticæ capita delineavit.

Neugebaueri Moſcovia cap. 12. De Religione & politia eccleſiaſtica agit.

Job. Hornbec, Calvinianus Theologus Ultrajectinus, in Summa Controverſiarum brevibus ſe expediit vid. l. 11. p. 955.

Petrus Petrejus Upſalienſis, Sac. Reg. Maj. Veciæ GUSTAVI ADOLPHI MAGNI Orator ad CZAREM Moſcoviæ, Holmiæ An. 1615. edidit in 4to. Regni Moſcovitici Sciagraphiam ; quam ſermone patrio conſcripſit. l. 6. abſolvit, & ſextum Religioni delineandæ conſecravit : qui mole ſua lectorem à legendo non abſterrebit, & aliis haud obſervata admiſcet : licet quædam tradat, quæ vel plane non olim recepta, vel in melius poſteà mutata fuêre.

Johannes Rudbeckius & Jonas Palma, mandato GUSTAVI ADOLPHI R. S. A. 1614. publicarunt ſcriptum ſub hac epigraphe: Een kort berättelſe och underwijſning om wår Chri-

ſte-

ſteliga Tro och Gudztienſt vthi Swerige. Ther vthi ock the grofweſte wilfarelſer ſom åro vthi the Ryſſars Religion warda korteligen förlagde/ och tilbaka drefne; ſkrifwin til the Ryſke Präſter och gemene förſamling vthi Iwangrod/ ſåſom och andre af ſamma Tro och mening/ vthaf Kongl. Mayſt. til Swerige ꝛc. Hofpredikanter. Joh. Rudb. och Jon. Palma. Edita ſecunda vice Aroſiæ in 4to. Anno 1640.

His ſuo merito annumerandus, imò præferendus Lib. B. de *Meiersberg*, Legatus Cæſaris *LEOPOLDI* ad Czarem *ALEXIUM MICHAILOVITZ* A. 1661. cujus iter ab ipſo deſcriptum haud pauca in rem noſtram conferre poteſt. Accuſatur autem â nonnemine in Epiſt. Gallicâ, quod nimis in Moſcovitas injurius: Ceci merite, *inquit*, d' autant plus de foi, que la Relation de cet Ambaſſadeur paroit en beaucoup d' endroits fort paſſionnée contre les Moſcovites. Sed à Gallis in hoc paſſu vincitur. Editus in fol. non adſcripto, Loci, anni vel typographi indicio.

§. 10. Ex recentioribus hoc ſaxum volvêre *Chriſtianus* Kühne Theolog. Stud. qui in linguam Germanicam tranſtulit *Oderbornii* 3. libros de vita Baſilidis: non quidem quoad verba ſingula, ſed præcipua contenta, quæ in certa diſtinxit capita; quod in latino textu factum non eſt: ſubjiciens deinde *Relationem de Theol. Moſcov.* quæ eadem eſt, quam

edidit *Warmund*, additis paucissimis, sed notandis, de diversa facie Religionis Moscov. seculo 16. & 17.

Anatomia Russiæ deformata Germanicè prodiit An. 1688. Est libellus in quo per colloquia argumentum hoc exequitur autor, qui se tunc *J. U. Canditatum Dobriluca Lusatum* nominavit ; Sed G. A. Schleißing dicendus : hujus exemplaria rariora sunt, quam ut comparari potuerint.

Der Moscowitische Staat in 4to. Germanicè edit. Colon. 1702. politica haud pauca tradit, pleraque bene : sed de religione cap. 5. breves admodum ducit lineas.

Der Curieusen und Historischen reisen durch Europa, andre Hauptheil / aus dem Frantzösischen übersetzet/ und mit Anmerckuugen versehen durch Talandern/ lucem aspexit Lips. 1699. in 8. ubi de Moscovia agitur, estque pars septima totius operis. Est autem Talander nomen fictum : verum *Augustus Bose* Dedicatione teste : qui ea quæ scitu necessaria sunt maximè, haud perfunctoriè exposuit.

Thesaurus Rerumpublicarum Oldenburgeri nonnulla huc facientia tradit, cum circumspectione legenda.

Wagenseilii, viri undiquaque eruditissimi, Pera, Loculamento 2. cap. 19. Moscoviticæ gentis mores & regionem descripsit.

Hieronimus Kromaierus Histor. Eccles. Sec.

10. quæ de religione commemorat, ex *Oderbornii* Epist. ad Chytr. exscripsit: quæ de suo addidit, pauca sunt. Idem in *Scrutinio Religionum* delineavit religionem Anatolicam, seu Græcam, cui Moscovitica in plerisque conformis est.

Comes de *Carlile*, ad Regem Sueciæ CAROLUM XI. beatissimæ & gloriosissimæ memoriæ, FRIDERICUM III. Daniæ, & Czarem ALEXIUM MICHAILOWITZ Legatus â CAROLO II. Rege Magnæ Britanniæ destinatus; quæ in itinere observavit publici juris fecit gallicè, in Idioma German. translatus, de Religione Moscov. quoque egit optimè c. 4. p. 665. edit. in 12. Lipsiæ.

Axtelmejer, Moscoviticum prognosticon publicavit germanicè, quo hodiè regnanti Czari, intuitu potentiæ & disciplinæ militaris florentissimæ, Constantinopolitanum promittit Thronum, ubi politicam historiam haud infeliciter expediit: sed de Ecclesiastica parum solicitus; typis exscriptus Augustæ Vindelicorum 1698.

Johann Arnold von Brand J. U. Doct. & Duisb. Prof. in Itiner. per varias Europæ Provincias, quas inter *Muscovia*, quædam hoc argumentum concernentia habet. Edit. Vesaliæ 1702. in 8.

Nobiliss. *Claudius Arbenius* Ornhielm S. R. Maj. Sueciæ Historiographus, fautor noster, dum viveret, amicissimus, Vitæ illustrissimi

ſimi Herois PONTI de la GARDIE, Exercituum Suecicæ Supremi Campi Ducis, plurima Hiſtoriam Moſcoviticam illuſtrantia immiſcuit, & præterea, ut inſcriptio habet, totam ferè Livoniæ Hiſtoriam exhibuit; Ed. Lipſiæ An. 1690. in 4to. quæ Excellentisſimo Heroi, Reg. Svec. Drotzeto, Literarum & Literatorum Evergetæ ſummo, Comiti *Magno Gabrieli de la GARDIE dicata.*

M. Joh. Herbinius, in opere *de Kiovienſibus Cryptis*, de religione pluſcula obſervat. Fuit is deſtinatus Paſtor Eccleſ. Inv. Aug. Confeſſ. addictæ Vilnæ, & juſſu Eminentisſimi Archiepiſcopi *Dn. Doct. Laurentii Stigzelii*, ab Epiſcopo Eſthoniæ *Dn. M. Joh. Jac. Pfeiffio*, Holmiæ in templo German. An. 1672. d. 30. Jul. ordini Sacro adſcriptus, teſte ipſomet capit. 4. §. 4. p. 36. Edit. Jenæ 1675. in 8.

De Neuville, nomine LUDOVICI XIV. *Reg. Galliarum* in Moſcoviam miſſi *à Marchione de Bethune* A. 1689. extat *Relation Curieuſe & nouvelle de Moſcovie*, à la Haye 1699. in 12. in multis Rusſis minus æquus.

Johannes Botvidi S. Th. Doct. & Regis GUSTAVI ADOLPHI M. Concionator in Theſibus de quæſtione: *Utrum Moſcovitæ ſint Chriſtiani?* juſſu regio Upſaliæ ventilatis, plurima de Religione dixit. *Ed. Holmiæ* 1620. in 4to.

Boteri Relationes ipſis Rusſis in deliciis; & ali-

& alios Geographos, qui Moſcovitarum res attigere, nunc ſciens volensque prætereo.

CAP. II.

§. 1.

QUemadmodum capite primo recenſiti Auctores non tantum dogmata, ſed potiſſimum hiſtoriam proſecuti ſunt; ita modo nominandi libri de doctrina ſaltem fuêre ſolliciti, quorum auctoritati maxima fides adhibenda. Agnovit hoc *Dn.Sch.* in proœmio, qui libello linguâ & literis Moſcoviticis impreſſo, ſymbolum fidei ac literarum ductus exhibenti, primum locum tribuit. Sed nos hâc in parte ipſo ſumus feliciores, cum ad manus ſint libri ipſorum, quibus jure *Symbolicorum* nomen aſſignare poſſumus, quos inter principem locum occupat: Confeſſio fidei Eccleſiæ Græcæ, lingua Moſcovitica publici juris facta, ſub hac inſcriptione: *In honorem ſanctæ, unius ſubſtantiæ, vivificantis & inſeparabilis Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, hic liber, Orthodoxa confeſſio fidei catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ orientalis, noviter collatus cum Helleno-græca lingua, à fide dignis teſtibus, mandante honoratiſſimo Magno Domino noſtro Czare, & Magnæ Duce PETRO ALEXII filio, totius Magnæ & parvæ & Albæ Ruſſiæ Samoderſchtze ſeu autocratore* (Difficile eſt exprimere vim vocabuli, de quo titulo

tulo longas inter Legatos nostros & Russicos contentiones vide apud *Widekindum* Bell. Moscov. *Libr.* 9. p. 686.) *Benedicente autem cum spirituali ordine patre ejus spirituali & Deum orante (vel devoto) magno Domino* (hic aliud occurrit vocabulum, sed minoris ponderis, quod tamen & ipsi per Dominum vertimus; nam prius quod Czari datur, est *Gossudar*, posterius quod Patriarchæ est *Gospodin*,) *Sancto domino* (est in Mosc. *xvp*) *Adriano*, *Archiepiscopo Moscuæ & totius Russiæ*, *& omnis tractus borealis Patriarchâ: sub summo loco nato* (Hoch-boren) *magnô Domino nostro Czaris filio & Magno Duce ALEXIO PETRI filio*, *edita typis in Czarea magna civitate Moscua*, *Anno orbis conditi* 7204. *nativitatis autem Dei Hominis JEsu Christi* 1696. *indicta* 4. *mense Martio*. Editæ sunt cum hoc libro *duæ homiliæ de cultu sanctarum imaginum* Sancti Patris *Johannis Damasceni* in fol. Præfationem confessioni addidit *Adrianus* Patriarcha satis prolixam, in commentationem libri; ubi & de occasione editionis: Cujus sententia, cum nunc potissimum stare & Doctrinam Moscoviticam, quantum fieri poterit, ipsissimis Confessionis verbis exhibere animus sit, operæ pretium censemus mox subjungere, quæ de Auctore, occasione, argumento, editoribus, translatoribus & auctoritate libri comperta habemus.

§. 2. Atque de Auctore quidem, verbis

bis utor τȣ πάνυ *Normanni*, fautoris noſtri, dum viveret, propenſiſſimi, ex præfatione ad translationem latinam, quam ex græco adornavit accuratam : *Ex iis*, inquit, *quæ dudum operi præfatus eſt Nectarius Patriarcha Hieroſolymitanus, ſatis conſtare arbitramur, condendi illius prima auſpicia & initia haud immeritò ſibi vendicare Petrum* Mogilam *Metropolitam Kiovienſem, Thronique Conſtantinopolitani Exarchum, principali Ducum Moldaviæ Valachiæque genere editum :* Qui uti *Nectarius* loquitur in præfat. *gregem ſuum novis quibusdam ſectariorum opinionibus, à genuina & antiqua majorum ſuorum doctrina longisſimè abhorrentibus, confuſum infectumque offendit.* Fuit itaque hæc anſa convocandi tres Epiſcopos & celebres eruditos viros, cum quibus re communicatâ, poſt multiplicem commentationem, communi conſilio unoque ore, inter omnes convenit de adornanda fidei ſuæ expoſitione, & ſcripto per certa capita conſignanda, illiusque ulteriore cognitione atque diſceptatione Eccleſ. Conſtantinopolitanæ, & ſacræ ejusdem ſynodo committenda. Jamdudum enim Eccleſiæ illius auctoritatem ſequebantur, illique tamquam orthodoxi Græcorum cœtus capiti, ultrò ſeſe ſubmittebant. Plura ad hiſtoriam hujus Confeſſionis explicandam pertinentia, cognitu digniſſima, ex memoratis præfationibus peti poſſunt.

§. 3.

§. 3. De argumento dubium nulli esse potest è titulo, qui *Nectario*, *Expositio fidei Russorum*, *Normanno*, *Catechesis Russorum*, re eodem recidente, perhibetur. Sed *Parthenius* in præfatione sub hoc titulo: *Confessio orthodoxæ fidei, catholicæ orthodoxæ Ecclesiæ* ad se missam asserit; adeò ut pedem promovere possimus ad cognoscendos eos, qui huic operi limam & obstetrices commodarunt manus.

§. 4. Prioris generis nominat *Nectarius Porphyrium & Meletium Syrigum*, cui elogium hoc tribuit, quod fuerit *magnus Ecclesiæ Doctor*. *Normanno* Hieromonachus & Theologus Ecclesiæ Constantin. qui & alio scripto, quo *Cyrilli Lucaris* (Calvinizantis, & honoris non tantum, Patriarcha enim Constantin. fuerat, bis loco motus, semel restitutus, sed & ipsius vitæ, in afflictissimo rerum suarum statu, jacturâ, malam fidem in tractandis Græcæ Ecclesiæ sententiis, expiavit) confessionem oppugnavit ex professo, nomen suum famæ inseruit: Qui in Moldaviam cum Porphyrio profectus est, quo & à Russis missi venerunt, *Hesaias Trophimi F. & (Josephus) Conovicius, atque (Ignatius) Xenovicius, homines revera admirabiles omnibusque literis, & liberalibus doctrinis ornatissimi*, judice *Nectario*.

§. 5. Quod Translatores attinet, incertum est *Normanno*, quo Auctore *Panagio-*

ta

ta primo Sultani Turcici Interpreti, *Catechismi Russorum seu Græcorum* versionem in linguam Græcam vulgarem tribuat *Carolus du Fréne*, nuperi ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis Glossarii scriptor, in indice auctorum editorum & voce *μά*. Et licet non contemnendas afferat rationes *Normannus*; quarum potissima, quod viginti annis Confessione juniorem credat *Panagiotam*; quia tamen alium non nominat, nobis licebit litem sub judice relinquere.

§. 6. Quod in dubium præterea vocat noster *Normannus*; an Russico primum sermone concepta, cum ita contra *du Fréne* disputat: *Nequidquam sibi sumere vir summus videtur, Russico videlicet sermone, non vulgari græcanico, conceptam fuisse homologiam*; videtur hæc controversia facilè decidi posse, cum primas lineas confessionis Russicè consignatas ipse fateatur *Nectarius*. Et si *Mogilam* Auctorem cogites Russum fuisse, vix suberit dubium, quin Russicè primo scripta; quod & *Nectarius* innuere videtur, in præfatione inquiens: *Ut à Russis liber iste vulgari gentis sermone dudum typis excusus fuit: ita apud Græcos non nisi manu pauculisque exemplis descriptus.* Hæc licet ita sese habere queant, scrupulum tamen movet, quod ea, quæ de *Dn. Panagiota* liberalitate, in calce præfationis græcæ monuit Patriarcha *Parthenius*, in Russico compareant; ut inde colligi queat è Græco translatam, cum aliàs

 hujus

hujus rei, in exemplari Rusſico, ſupervacua eſſet futura mentio. Alterum quod pro Græco militat exemplari, eſt quod Rusſica de verbo ad verbum Græcæ reſpondeat, more translatoribus Rusſicis recepto; qui haud facilè tranſpoſitionem vocum admittunt. Tertium, quod à ſolis Græcæ Eccleſiæ Doctoribus ſubſcripta. Difficile proinde certi quid de hâc controverſia ſtatuere; cum ab utrâque parte militent rationes pluſculæ. Si tamen dicendum, quid ſentiam; *Normanni* potius quam *Du Frêne* judicio ſtandum exiſtimaverim, & Confesſionem, qualem eam modo habemus, primo Græcè ſcriptam crediderim. Catecheſeos alius extat quoque exemplar Slavonicum, & ni me omnia fallunt, hæc eſt illa *Catecheſis* quam reſpexit Patriarcha *Nectarius*, aſſerens: *Confeſſionem apud Ruſſos impreſſam jam fuiſſe.* Nam impreſſa eſt *Moſcuæ* anno à creatione mundi 7157. qui eſt à nat. Chr. 1648. Græca verò an. 1662. in Belgio primum lucem aſpexit. Nec obſtat quod non per omnia conveniant editiones: poſterior, licet auctior nonnihil, re à priori non differt. Noſtram ſententiam firmat *Synodus Hieroſolymitana* 1672. celebrata, quæ obſervat, Confesſionem quidem *à Mogila* primò ſcriptam, ſed poſteà dilucidiorem & emendatiorem factam, ſi quâ in re illuſtrationis emendationisque egere viſa eſt: idque juſſu *Synodi Glaſcenſis, à Meletio Syrigo*

40

Cretensi, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Proto Syncello ac Doctore. Tutissimum itaque erit statuere, primas Confessionis lineas Russicè conceptas; sed emendationem Editionis prioris Græcè scriptam & impressam; deinde autem in Slavonicam translatam. Consentit *Adrianus Patr. Moscov. in præfat. ad Confessionem*; affirmans è Græca translatam Moscuæ, in Monasterio Michaelis Archistrategi, procurante *Joachimo* prædecessore suo.

§. 7. Versionem latinam primus apud nos adornavit sæpius laudatus *Normannus*, cujus Viri in rempublicam literariam merita, nullâ oblivione sunt sepelienda. Edita versio cum textu originali *Lipsiæ* apud *J. Thomam Fritsch 1695. Rechenbergio* allaborante. Notanter dixi hanc gloriam deberi *Normanno*, quod primus manum translationi admoverit apud nos: nam & *Nectarius* & *Parthenius Patriarchæ* testes exceptione majores sunt, versionem latinam sumptibus *Panagiotæ* jam an. 1662. editam: quorum prior in præfat. ita rem expediit: *Dominus Panagiota ut studiosissimus Græcanicæ nationis nostræ, fideique orthodoxæ propugnator ardentissimus est: super tot magnifica opera alia, hujus etiam curam & præsidium haud gravatè in se suscepit, ut hunc librum, nostrâ latinâque linguâ, suâ impensa, quanquam civilibus negotiis in horas districtus implicatusque, typis evulgaret.* Posterior in suâ præfat. ita loquitur: *Ceterum alteram libri partem, latino sermone ex adverso*

positam, ut legendo non attigimus: ita illam solam quæ vernaculâ nobis linguâ perscripta est, rite confirmamus. Scire si cupias ubi prior translatio invenienda; docebit te hoc *Normannus* in fine *præfationis suæ* optans: *ut primigenia ipsorummet auctorum translatio, ab eruditis Galliæ viris, è Regiis Gazis in lucem protrahatur.* Inprimis versione hac optimè de Russis & nobis est meritus, ut jam ipsorum Doctrina nostratibus felicius innotescere queat. Nam exemplar Russicum cum Græco ita concordat, ut verbum verbo respondeat; & correctio margini *Codicis Sparfvenfeldiani à Licudiis* fratribus adjecta, in Russico fideliter observata: ea autem quæ irrepsere paucula, & *è quæstione 70. part. I. p. 118. non 90.* uti malè *in præfatione*, expungenda censentur, adeoque nec *à Normanno* translata, in Russico haud comparent.

§. 8. De Editoribus primis non est sollicitè agendum, cum & *Nectarius & Normannus Panagiota* hanc gloriam tribuant. *Quamquam verò*, inquit hic, *neque auctor Homologiæ, nostrò judicio Panagiota* (de hoc non est dubium) *neque interpres* (hoc non facilè dixerim) *haberi debet, vel hoc tamen nomine de ea immortaliter promeritum censemus, quod illius præcipuè provisu & operâ, atque, si Nectario credimus, impensa etiam, editio prior græca, anno post natum humani generis sospitatorem 1662. in Belgio lucem*

adspexit.

adspexit. Fœderati Belgii munificentia editam, non ære privato, docere videntur ad *Arnaldum* scriptæ literæ Legati Gallici *de Nointel*, cujus amicus se ex ore *Residentis Hollandici*, hoc didicisse affirmat: *Le quinziéme de Fevrier, un de mes amis m' a rapporté, qu' ayant diné avec Monf. le Resident d' Hollande, & la conversation étant tombée sur la religion des Grecs, on a parlé du livre intitulé,* Confesſion orthodoxe de l' Eglise Catholique & Apostolique d' orient, *comme étant justificatif de la presence reelle & de la transsubstantiation. Monsieur le Resident decouvrit l' origine de l' impression de ce livre. Car il lui dit, que Monsieur Panajotti ayant envoyé l' exemplaire en Hollande pour y étre imprimé à ses frais; Messieurs les Estats, n' avoient pas voulu qu' on prist de son argent, & que pour gagner ses bonnes graces, ils l' avoient fait imprimer à leurs propres depens avec un tres grand soin, & qu' ils en avoient confié plusieurs caisses à leur Resident, pour en faire present à Monf. Panajotti. Voilà la maniere dont ce Seigneur Hollandois s' est expliqué.* Verum cum nec nobis animus sit de re incomperta, quicquam adseverantius adfirmare, eam cum *Normanno* in medio relinquimus. Quod si autem quis contendere velit, primam Editionem sumptibus Ordinum Gen. Belgii, secundam, quam cum *Nectario Dionysius Patriarch. Constantinop.* tribuit *Panagiotæ*, & modo memoratus *Dionysius* suo ornavisse dicitur elogio, ære *Panagiotæ* publi-

publici juris factam, me quidem contradicentem non experietur. Quod autem maxima continuò exemplarium vis è Belgio evecta, Byzantiumque exportata fuerit, fidem non tantum meretur; sed & in causa fuit, cur liber hic paucis adhuc nostri orbis hominibus notus; quod *Normannus in præfatione* adnotavit, & experientia comprobat, cum in illis, quæ ab illo tempore exiêre *de Religione Gentis Moscoviticæ exercitationibus*, sub Præsidibus celeberrimis *Siricio, Gerhardo, Danhavero* frustra illius vestigium quæsiveris.

§. 9. Restat ut paucis de auctoritate libri disquiramus; de quâ hanc movet *Normannus* quæstionem: *Quam fidem vero quamve auctoritatem huic tuæ Homologiæ adjungendam censes? Non enim te fallit opinor, elogium ejus à magni inter suos nominis Theologo* Johanne Claudio *carbone quodammodo scriptum videri:* Cujus verba gallica prolixiora ubi adduxisset, & peregrinitatem quandam in Ecclesias Græcanicas è Romanâ infusam concessisset, subdit: *Neque diffiteri possum hâc in parte me potius accedere* Thomæ Smitho, *cetera quidem* Claudio *συμμύστῃ καὶ συνθιασώτῃ sed harum rerum haud dubie callentiori, quippe αὐτόπτῃ καὶ αὐτηκόῳ, qui ut sæpè alias suam de hodierno Ecclesiæ statu epistolam, Homologiæ nostræ verbis & testimoniis illustrat.* Sic Smithus auctoritatem ipsi tribuit satis magnam, quam & nos ipsi nulla-

nullatenus derogandam esse censemus, cum tot Ecclesiæ utriusque Antistitum communi consensu ac calculo subnixa, & postquam sub examen revocata, (de quo *Parthenius, quod diligenter cognoverit antequam candido dignatus esset calculo*) subscriptione firmata. Subscriptio facta An. salutis 1643. die 11. Martii, â Parthenio *Dei misericordiâ Archiepiscopo Constantin. novæ Romæ & œcumenico Patriarchâ*; Joannicio *Dei misericordiâ Papâ & Patriarchâ magnæ urbis Alexandriæ, orbisque terrarum judice*: Macario *Patriarchâ magnæ Dei urbis Antiochiæ*; Paisio *Patriarchâ sanctæ urbis Hierosolymæ, & 22. aliis Theologis*, quorum nomina præfationem Parthenii addita, cognoscere qui volet, poterit.

§. 10. Sed ut salva undique ipsi constet auctoritas, rem integræ *Synodi Hierosolymitanæ* An. 1672. *mense Martio habitæ*, Patriarchâ *Dositheo* celebratæ, testimonium firmat, quod *Normannus* græcè & latinè exhibet: nos latina tantum nunc dabimus. *Neque vero hi soli, sed alii item complures (quorum suo loco nomina reddemus) hujusmodi nuper argumenta tractavere: tum ante hos sex septem maximè annos in lucem liber hoc titulo prodiit: Confessio Ecclesiæ orthodoxæ orientalis, scriptus ille quidem â sanctissimo illo Metropolitâ Kioviensi* (Petro Mogila) *sed dilucidior emendatiorque factus, si quâ in re illustrationis egere visus est; & jussu Synodi Glascensis,*

à Meletio Syrigo Cretensi *magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ protosynarcho ac Doctore, quem librum & tum ubique recepit, & etiamnum recipit universa plane Ecclesia Orientalis &c.* Quæ, cum firmet quæ supra adduximus, non fuêre omittenda. Unde factum, ut Dn. *Arnoldus Responso Generali* ad novum *Claudii* librum *cap. IX. pag. 137.* postquam non indiligenter Homologiæ nostræ Historiam exposuisset, fidemque illi undecunque adstruxisset, his verbis mentem suam declarârit : *Tous les dogmes, sur lesquels les Grecs sont en different avec les Latins y sont hautement soutenus, & on ne peut en aucune sorte soupçonner les auteurs de cette Confession, d' avoir aucune pente ny inclination pour l' Eglise Romaine. Ainsi il est difficile de s' imaginer, ni de souhaitter un livre moins suspect, plus autorisé, plus authentique, & dont on fut plus assuré qu'il contient les veritables sentimens de toute l' Eglise Orientale :* â qua ut recedamus, nulla nos cogit ratio.

§. 11. Huic addimus librum alium cum *Confessione* per omnia consentientem, qui longo ante tempore quam Confessio, Moscoviticis typis editus est ; qui etiam à *Mogila* cum adornaretur *Confessio* videtur adhibitus. Ità autem habet inscriptio : *Collectio brevis Doctrinæ de articulis fidei.* Quæ rubro colore impressa, sic prolixius explicatur ; h. e. de *Dogmatibus vel traditionibus fidei orthodoxæ Catholicæ,*

tholicæ, Christianæ, articuli Slavonicè traditi, compositi seu translati, *secundum confessionem & doctrinam sanctæ Orientalis universalis Ecclesiæ Apostolicæ, instructionis ergo & cognitionis omnibus orthodoxis Christianis, & præcipuè liberis discentibus, ad mandatum Magni Domini Czaris & Magni Ducis* Alexii *Michaelis Filii, totius Russiæ Samodertschzæ, & ad benedictionem magni Heri Sancti Josephi Patriarchæ Moscoviensis & totius Russiæ, ex Typographia edita linguâ Slavonicâ in Czareâ urbe Moscuâ Anno 7156. mense Januario die 20.* qui est â nat. Chr. 1648. In quo comparent:

I. Symbolum seu confessio Sanctissimi Athanasii Patr. Alexandrini; in omnibus cum nostro consentiens, excepto unico illo de processione Spiritus Sancti â Filio: verba *& Filio* in Moscovitica translatione omissa; addita est clausula; *quod qui hanc fidem non tenet, salvari nequeat*; quæ gratis à nonnullis arrogantiæ insimulatur. Hoc autem *Athanasium* authorem agnoscere, negat *Vossius de tribus Symbol. Dissert. 2.* & primò Latinè non Græcè scriptum statuit, §. 23. p. 54.

II. Anastasii *beati Patriarchæ magnæ Antiochiæ &* Cyrilli Alexandrini *explicatio brevis de fide*, quæstionibus & responsionibus de Theologia; absolvitur viginti duabus.

III. Sancti Maximi *explicatio de fide in compendio; quæstionibus & responsionibus unicuique ortho-*

orthodoxo Christiano : 13. complectens quæstiones.

IV. Explicatio Doctrinæ, quæ ibi inscribitur: *Liber Catechesis, vel doctrina de fide & maximè necessariis* ad illam pertinentibus.

V. Sancti Gennadii Patr. Constantin. de fide; ubi statim monet in initio, *quod orthodoxam fidem habere, sit fundamentum bonorum operum. Ideoque meritò de fide incipiat sermo.* Capitulis constat 100. quorum 1. sic incipit: *Credo in Patrem, Filium & Spiritum S. Trinitatem inseparabilem &c.* Et ultimum finitur : *De Christo JEsu Domino nostro, cui gloria & potentia, honor & adoratio cum Patre & cum Spiritu Sancto nunc & semper, & in secula seculorum.*

§. 12. Est autem hic liber jam antea *an.* nempe 1645. publicæ luci expositus dialecto Bielo-Russica, cujus hic tum fuit Titulus: *Collectio brevis doctrinæ de Articulis Fidei orthodoxo catholicæ Christianæ, ex scientia & doctrina Ecclesiæ sanctæ Orientalis universalis Apostolicæ, in illustrationem & doctrinam in Scholis discentibus Christianis orthodoxis liberis, ex dilucidatione & benedictione* (seu permissu) *Religiosorum Seniorum, primo quidem linguâ Polonicâ, nunc autem dialecto albo-Russicâ typis edita, in sancto magno miraculifico monasterio Petschjurico Chiovico An. Chr.* 1645. Causas editionis cum indigitet præfatio, eam uti à *Nob. Dn. Sparfvenfeldio* translata exhibebimus.

Per-

44

Permissu & explicatione Seniorum, nuper typis libellus, Brevis collectio Doctrinæ Orthodoxæ Catholicæ Christianæ, de Fide in lucem editus, ac dialecto Polonica; Ob causas plenas & efficaces, benevole Lector, præsertim vero, ut ora impudentium obtrectatorum claudantur, qui inimici capitales existentes Orientalis Ecclesiæ, linguâ Polonicâ invectivam scripsere contra Orthodoxam Ecclesiam Orientalem, ideoque ut eadem dialecto, quâ vera religio exponitur hic, confundantur, & nunc quidem hic liber de Fide Orthodoxo-Catholica, quibusdam in locis aliquantulum correctior dialecto Russicâ prodit, in usum ipsorum filiorum Ecclesiæ Orthodoxo-Catholicæ Orientalis, in illum finem, ut non solum Sacerdotes in parochiis suis, sibi â DEO datis, & Christi sanguine redemptis ovibus, dent inde doctrinam & plenum auxilium quolibet die, præsertim semel minimum quâvis hebdomade, & in festis diebus; Sed & ut Seculares, qui legere sciunt, reliquis simplicibus & idiotis, ex christianâ charitate, aliquem usum impertiri possint ad instructionem, præcipuè autem, ut Parentes instruant liberos suos, Domini servos, Principes suos subditos; præcipua autem utilitas redundet in scholas, ubi discipuli memoriæ tradere debent præcepta, quæ in hoc continentur libro. Qui hâc non contentus brevi collectione doctrinæ Catholicæ, uberiorem desideraverit cognitionem, ex SS. Scriptura, S. Conciliis & divinitus inspiratis Patribus; is exspectet aliquantulum temporis: siquidem favente auxilio & promotione Sancti & vivificantis Spiritus,

§. 3. De argumento dubium nulli esse potest è titulo, qui *Nectario*, *Expositio fidei Russorum*, *Normanno*, *Catechesis Russorum*, re eodem recidente, perhibetur. Sed *Parthenius* in præfatione sub hoc titulo: *Confessio orthodoxa fidei, catholicæ orthodoxæ Ecclesiæ* ad se missam asserit; adeò ut pedem promovere possimus ad cognoscendos eos, qui huic operi limam & obstetrices commodarunt manus.

§. 4. Prioris generis nominat *Nectarius Porphyrium & Meletium Syrigum*, cui elogium hoc tribuit, quod fuerit *magnus Ecclesiæ Doctor*. *Normanno* Hieromonachus & Theologus Ecclesiæ Constantin. qui & alio scripto, quo *Cyrilli Lucaris* (Calvinizantis, & honoris non tantum, Patriarcha enim Constantin. fuerat, bis loco motus, semel restitutus, sed & ipsius vitæ, in afflictissimo rerum suarum statu, jacturâ, malam fidem in tractandis Græcæ Ecclesiæ sententiis, expiavit) confessionem oppugnavit ex professo, nomen suum famæ inseruit: Qui in Moldaviam cum Porphyrio profectus est, quo & à Russis missi venerunt, *Hesaias Trophimi F. & (Josephus) Conovicius, atque (Ignatius) Xenovicius, homines revera admirabiles omnibusque literis, & liberalibus doctrinis ornatissimi*, judice *Nectario*.

§. 5. Quod Translatores attinet, incertum est *Normanno*, quo Auctore *Panagio-*

ta primo Sultani Turcici Interpreti, *Catechismi Russorum seu Græcorum* versionem in linguam Græcam vulgarem tribuit *Carolus du Fréne*, nuperi ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis Glossarii scriptor, in indice auctorum editorum & voce *μά*. Et licet non contemnendas afferat rationes *Normannus*; quarum potissima, quod viginti annis Confessione juniorem credat *Panagiotam*; quia tamen alium non nominat, nobis licebit litem sub judice relinquere.

§. 6. Quod in dubium præterea vocat noster *Normannus*; an Russico primum sermone concepta, cum ita contra *du Fréne* disputat: *Nequidquam sibi sumere vir summus videtur, Russico videlicet sermone, non vulgari græcanico, conceptam fuisse homologiam*; videtur hæc controversia facilè decidi posse, cum primas lineas confessionis Russicè consignatas ipse fateatur *Nectarius*. Et si *Mogilam* Auctorem cogites Russum fuisse, vix suberit dubium, quin Russicè primo scripta; quod & *Nectarius* innuere videtur, in præfatione inquiens: *Ut à Russis liber iste vulgari gentis sermone dudum typis excusus fuit: ita apud Græcos non nisi manu pauculisque exemplis descriptus*. Hæc licet ita sese habere queant, scrupulum tamen movet, quod ea, quæ de *Dn. Panagiota* liberalitate, in calce præfationis græcæ monuit Patriarcha *Parthenius*, in Russico compareant; ut inde colligi queat è Græco translatam, cum aliàs

 hujus

hujus rei, in exemplari Rusſico, ſupervacua eſſet futura mentio. Alterum quod pro Græco militat exemplari, eſt quod Rusſica de verbo ad verbum Græcæ reſpondeat, more translatoribus Rusſicis recepto; qui haud facilè tranſpoſitionem vocum admittunt. Tertium, quod à ſolis Græcæ Eccleſiæ Doctoribus ſubſcripta. Difficile proinde certi quid de hâc controverſia ſtatuere; cum ab utrâque parte militent rationes pluſculæ. Si tamen dicendum, quid ſentiam; *Normanni* potius quam *Du Frêne* judicio ſtandum exiſtimaverim, & Confesſionem, qualem eam modo habemus, primo Græcè ſcriptam crediderim. Catecheſeos alius extat quoque exemplar Slavonicum, & ni me omnia fallunt, hæc eſt illa *Catecheſis* quam reſpexit Patriarcha *Nectarius*, aſſerens: *Confeſſionem apud Ruſſos impreſſam jam fuiſſe.* Nam impreſſa eſt *Moſcuæ* anno à creatione mundi 7157. qui eſt à nat. Chr. 1648. Græca verò an. 1662. in Belgio primum lucem aſpexit. Nec obſtat quod non per omnia conveniant editiones: poſterior, licet auctior nonnihil, re à priori non differt. Noſtram ſententiam firmat *Synodus Hieroſolymitana* 1672. celebrata, quæ obſervat, Confesſionem quidem *à Mogila* primò ſcriptam, ſed poſteà dilucidiorem & emendatiorem factam, ſi quâ in re illuſtrationis emendationisque egere viſa eſt: idque juſſu *Synodi Glaſcenſis, à Meletio Syrigo*

Cre-

40

Cretensi, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Proto Syncello ac Doctore. Tutissimum itaque erit statuere, primas Confessionis lineas Russicè conceptas; sed emendationem Editionis prioris Græcè scriptam & impressam; deindè autem in Slavonicam translatam. Consentit *Adrianus Patr. Moscov. in præfat. ad Confessionem*; affirmans è Græca translatam Moscuæ, in Monasterio Michaelis Archistrategi, procurante *Joachimo* prædecessore suo.

§. 7. Versionem latinam primus apud nos adornavit sæpius laudatus *Normannus*, cujus Viri in rempublicam literariam merita, nullâ oblivione sunt sepelienda. Edita versio cum textu originali *Lipsiæ* apud *J. Thomam Fritsch 1695. Rechenbergio* allaborante. Notanter dixi hanc gloriam deberi *Normanno*, quod primus manum translationi admoverit apud nos: nam & *Nectarius* & *Parthenius Patriarchæ* testes exceptione majores sunt, versionem latinam sumptibus *Panagiotæ* jam an. 1662. editam: quorum prior in præfat. ita rem expediit: *Dominus Panagiota ut studiosissimus Græcanicæ nationis nostræ, fideique orthodoxæ propugnator ardentissimus est: super tot magnifica opera alia, hujus etiam curam & præsidium haud gravatè in se suscepit, ut hunc librum, nostrâ latinâque lingua, suâ impensa, quanquam civilibus negotiis in horas districtus implicatusque, typis evulgaret.* Posterior in suâ præfat. ita loquitur: *Ceterum alteram libri partem, latino sermone ex adverso*

 positam,

positam, ut legendo non attigimus: ita illam solam quæ vernaculâ nobis linguâ perscripta est, rite confirmamus. Scire si cupias ubi prior translatio invenienda; docebit te hoc *Normannus* in fine *præfationis suæ* optans: *ut primigenia ipsorummet auctorum translatio, ab eruditis Galliæ viris, è Regiis Gazis in lucem protrahatur.* Inprimis versione hac optimè de Russis & nobis est meritus, ut jam ipsorum Doctrina nostratibus felicius innotescere queat. Nam exemplar Russicum cum Græco ita concordat, ut verbum verbo respondeat; & correctio margini *Codicis Sparfvenfeldiani à Licudiis* fratribus adjecta, in Russico fideliter observata: ea autem quæ irrepsere paucula, & *è quæstione 70. part. I. p. 118. non 90.* uti malè *in præfatione*, expungenda censentur, adeoque nec *à Normanno* translata, in Russico haud comparent.

§. 8. De Editoribus primis non est sollicitè agendum, cum & *Nectarius & Normannus Panagiota* hanc gloriam tribuant. *Quamquam verò*, inquit hic, *neque auctor Homologiæ, nostrò judicio Panagiota* (de hoc non est dubium) *neque interpres* (hoc non facilè dixerim) *haberi debet, vel hoc tamen nomine de ea immortaliter promeritum censemus, quod illius præcipuè provisu & operâ, atque, si Nectario credimus, impensa etiam, editio prior græca, anno post natum humani generis sospitatorem 1662. in Belgio lucem adspexit.*

adspexit. Fœderati Belgii munificentia editam, non ære privato, docere videntur ad *Arnaldum* scriptæ literæ Legati Gallici *de Nointel*, cujus amicus se ex ore *Residentis Hollandici*, hoc didicisse affirmat: *Le quinziéme de Fevrier, un de mes amis m' a rapporté, qu' ayant diné avec Monf. le Resident d' Hollande, & la conversation étant tombée sur la religion des Grecs, on a parlé du livre intitulé,* Confesſion orthodoxe de l' Eglise Catholique & Apostolique d' orient, *comme étant justificatif de la presence reelle & de la transsubstantiation. Monsieur le Resident decouvrit l' origine de l' impression de ce livre. Car il lui dit, que Monsieur Panajotti ayant envoyé l' exemplaire en Hollande pour y étre imprimé à ses frais; Messieurs les Estats, n' avoient pas voulu qu' on prist de son argent, & que pour gagner ses bonnes graces, ils l' avoient fait imprimer à leurs propres depens avec un tres grand soin, & qu' ils en avoient confié plusieurs caisses à leur Resident, pour en faire present à Monf. Panajotti. Voilà la maniere dont ce Seigneur Hollandois s' est expliqué.* Verum cum nec nobis animus sit de re incomperta, quicquam adseverantius adfirmare, eam cum *Normanno* in medio relinquimus. Quod si autem quis contendere velit, primam Editionem sumptibus Ordinum Gen. Belgii, secundam, quam cum *Nectario Dionysius Patriarch. Constantinop.* tribuit *Panagiotæ*, & modo memoratus *Dionysius* suo ornavisse dicitur elogio, ære *Panagiotæ*

 publi-

publici juris factam, me quidem contradicentem non experietur. Quod autem maxima continuò exemplarium vis è Belgio evecta, Byzantiumque exportata fuerit, fidem non tantum meretur; sed & in causa fuit, cur liber hic paucis adhuc nostri orbis hominibus notus; quod *Normannus in præfatione* adnotavit, & experientia comprobat, cum in illis, quæ ab illo tempore exiêre *de Religione Gentis Moscoviticæ exercitationibus*, sub Præsidibus celeberrimis *Siricio, Gerbardo, Danhavero* frustra illius vestigium quæsiveris.

§. 9. Restat ut paucis de auctoritate libri disquiramus; de quâ hanc movet *Normannus* quæstionem: *Quam fidem vero quamve auctoritatem huic tuæ Homologiæ adjungendam censes? Non enim te fallit opinor, elogium ejus à magni inter suos nominis Theologo* Johanne Claudio *carbone quodammodo scriptum videri:* Cujus verba gallica prolixiora ubi adduxisset, & peregrinitatem quandam in Ecclesias Græcanicas è Romanâ infusam concessisset, subdit: *Neque diffiteri possum hâc in parte me potius accedere* Thomæ Smitho, *cetera quidem* Claudio συμμύςῃ καὶ συνθιασώτῃ *sed harum rerum haud dubie callentiori, quippe αὐτόπτῃ καὶ αὐτηκόῳ, qui ut sæpè alias suam de hodierno Ecclesiæ statu epistolam, Homologiæ nostræ verbis & testimoniis illustrat.* Sic Smithus auctoritatem ipsi tribuit satis magnam, quam & nos ipsi nulla-

nullatenus derogandam esse censemus, cum tot Ecclesiæ utriusque Antistitum communi consensu ac calculo subnixa, & postquam sub examen revocata, (de quo *Parthenius, quod diligenter cognoverit antequam candido dignatus esset calculo*) subscriptione firmata. Subscriptio facta An. salutis 1643. die 11. Martii, â Parthenio *Dei misericordiâ Archiepiscopo Constantin. novæ Romæ & œcumenico Patriarchâ*; Joannicio *Dei misericordiâ Papâ & Patriarchâ magnæ urbis Alexandriæ, orbisque terrarum judice:* Macario *Patriarchâ magnæ Dei urbis Antiochiæ*; Paisio *Patriarchâ sanctæ urbis Hierosolymæ, & 22. aliis Theologis*, quorum nomina præfationem Parthenii addita, cognoscere qui volet, poterit.

§. 10. Sed ut salva undique ipsi constet auctoritas, rem integræ *Synodi Hierosolymitanæ* An. 1672. *mense Martio habitæ*, Patriarchâ *Dositheo* celebratæ, testimonium firmat, quod *Normannus* græcè & latinè exhibet: nos latina tantum nunc dabimus. *Neque vero hi soli, sed alii item complures (quorum suo loco nomina reddemus) hujusmodi nuper argumenta tractavere: tum ante hos sex septem maximè annos in lucem liber hoc titulo prodiit: Confessio Ecclesiæ orthodoxæ orientalis, scriptus ille quidem â sanctissimo illo Metropolitâ Kioviensi* (Petro Mogila) *sed dilucidior emendatiorque factus, si quâ in re illustrationis egere visus est; & jussu Synodi Glascensis,*

à Meletio Syrigo Cretensi *magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ protosynarcho ac Doctore, quem librum & tum ubique recepit, & etiamnum recipit universa plane Ecclesia Orientalis &c.* Quæ, cum firmet quæ supra adduximus, non fuêre omittenda. Unde factum, ut Dn. *Arnoldus Responso Generali* ad novum *Claudii* librum *cap. IX. pag. 137.* postquam non indiligenter Homologiæ nostræ Historiam exposuisset, fidemque illi undecunque adstruxisset, his verbis mentem suam declarârit: *Tous les dogmes, sur lesquels les Grecs sont en differend avec les Latins y sont hautement soutenus, & on ne peut en aucune sorte soupçonner les auteurs de cette Confession, d' avoir aucune pente ny inclination pour l' Eglise Romaine. Ainsi il est difficile de s' imaginer, ni de souhaitter un livre moins suspect, plus autorisé, plus authentique, & dont on fut plus assuré qu'il contient les veritables sentimens de toute l' Eglise Orientale:* â qua ut recedamus, nulla nos cogit ratio.

§. 11. Huic addimus librum alium cum *Confessione* per omnia consentientem, qui longo ante tempore quam Confessio, Moscoviticis typis editus est; qui etiam à *Mogila* cum adornaretur *Confessio* videtur adhibitus. Ità autem habet inscriptio: *Collectio brevis Doctrinæ de articulis fidei.* Quæ rubro colore impressa, sic prolixius explicatur; h. e. de *Dogmatibus vel traditionibus fidei orthodoxæ Catholicæ,*

tholicæ, Christianæ, articuli Slavonicè traditi, compositi seu translati, *secundum confessionem & doctrinam sanctæ Orientalis universalis Ecclesiæ Apostolicæ, instructionis ergo & cognitionis omnibus orthodoxis Christianis, & præcipuè liberis discentibus, ad mandatum Magni Domini Czaris & Magni Ducis* Alexii *Michaelis Filii, totius Russiæ Samodertschzæ, & ad benedictionem magni Heri Sancti Josephi Patriarchæ Moscoviensis & totius Russiæ, ex Typographia edita linguâ Slavonicâ in Czareâ urbe Moscuâ Anno 7156. mense Januario die 20.* qui est â nat. Chr. 1648. In quo comparent:

I. Symbolum seu confessio Sanctissimi Athanasii Patr. Alexandrini; in omnibus cum nostro consentiens, excepto unico illo de processione Spiritus Sancti à Filio: verba *& Filio* in Moscovitica translatione omissa; addita est clausula; *quod qui hanc fidem non tenet, salvari nequeat*; quæ gratis à nonnullis arrogantiæ insimulatur. Hoc autem *Athanasium* authorem agnoscere, negat *Vossius de tribus Symbol. Dissert. 2.* & primò Latinè non Græcè scriptum statuit, §. 23. p. 54.

II. Anastasii *beati Patriarchæ magnæ Antiochiæ &* Cyrilli Alexandrini *explicatio brevis de fide*, quæstionibus & responsionibus de Theologia; absolvitur viginti duabus.

III. Sancti Maximi *explicatio de fide in compendio; quæstionibus & responsionibus unicuique*

orthodoxo Christiano : 13. complectens quæstiones.

IV. Explicatio Doctrinæ, quæ ibi inscribitur: *Liber Catechesis, vel doctrina de fide & maximè necessariis* ad illam pertinentibus.

V. Sancti Gennadii Patr. Constantin. de fide; ubi statim monet in initio, *quod orthodoxam fidem habere, sit fundamentum bonorum operum. Ideoque meritò de fide incipiat sermo.* Capitulis constat 100. quorum 1. sic incipit: *Credo in Patrem, Filium & Spiritum S. Trinitatem inseparabilem &c.* Et ultimum finitur : *De Christo JEsu Domino nostro, cui gloria & potentia, honor & adoratio cum Patre & cum Spiritu Sancto nunc & semper, & in secula seculorum.*

§. 12. Est autem hic liber jam antea *an.* nempe 1645. publicæ luci expositus dialecto Bielo-Russica, cujus hic tum fuit Titulus: *Collectio brevis doctrinæ de Articulis Fidei orthodoxo catholicæ Christianæ, ex scientia & doctrina Ecclesiæ sanctæ Orientalis universalis Apostolicæ, in illustrationem & doctrinam in Scholis discentibus Christianis orthodoxis liberis, ex dilucidatione & benedictione* (seu permissu) *Religiosorum Seniorum, primo quidem linguâ Polonicâ, nunc autem dialecto albo-Russicâ typis edita, in sancto magno miraculifico monasterio Petschjurico Chiovico An. Chr.* 1645. Causas editionis cum indigitet præfatio, eam uti à *Nob. Dn. Sparfvenfeldio* translata exhibebimus.

Per-

Permissu & explicatione Seniorum, nuper typis libellus, Brevis collectio Doctrinæ Orthodoxæ Catholicæ Christianæ, de Fide in lucem editus, ac dialecto Polonica; Ob causas plenas & efficaces, benevole Lector, præsertim vero, ut ora impudentium obtrectatorum claudantur, qui inimici capitales existentes Orientalis Ecclesiæ, linguâ Polonicâ invectivam scripsere contra Orthodoxam Ecclesiam Orientalem, ideoque ut eadem dialecto, quâ vera religio exponitur hic, confundantur, & nunc quidem hic liber de Fide Orthodoxo-Catholica, quibusdam in locis aliquantulum correctior dialecto Russicâ prodit, in usum ipsorum filiorum Ecclesiæ Orthodoxo-Catholicæ Orientalis, in illum finem, ut non solum Sacerdotes in parochiis suis, sibi â DEO datis, & Christi sanguine redemptis ovibus, dent inde doctrinam & plenum auxilium quolibet die, præsertim semel minimum quâvis hebdomade, & in festis diebus; Sed & ut Seculares, qui legere sciunt, reliquis simplicibus & idiotis, ex christianâ charitate, aliquem usum impertiri possint ad instructionem, præcipuè autem, ut Parentes instruant liberos suos, Domini servos, Principes suos subditos; præcipua autem utilitas redundet in scholas, ubi discipuli memoriæ tradere debent præcepta, quæ in hoc continentur libro. Qui hâc non contentus brevi collectione doctrinæ Catholicæ, uberiorem desideraverit cognitionem, ex SS. Scripturâ, S. Conciliis & divinitus inspiratis Patribus; is exspectet aliquantulum temporis: siquidem favente auxilio & promotione Sancti & vivificantis Spiritus,

tus, conabimur (in hac materia) *ex fundamento tractatum edere perfectiorem. Interim fruere B. L. hoc libello instar perfectissimi, & cum benedictione lege, & in memoriâ perfectè retinendo, sis salvus & benevolus.* Ex hac præfatione, quæ edu ci possunt observatu digna, nunc sileo, alio loco indicanda.

§. 13. Ceterum nihil eorum, quæ editioni purè Slavonicæ addita, in hâc occurrunt; in quâ post adductam præfationem sequitur *Expositio fidei*; non additâ inscriptione: *Catechesis.* Utraque tamen, in explicatione concordat ita, ut non dubitarim asserere, Slavonicam esse ex hac Albo-Russica translatam (quod & inscriptio innuere videtur;) quemadmodum Albo-Russica ex Polonica. Hinc constare arbitror, fallere & falli *Regenvolscium* cum libr. 4. Histor. Eccles. Slav. cap. 1. pag. 461. scribit: *Libelli catechefeos, summam doctrinæ ipsorum continentes, apud Ruthenicos Sacerdotes non visuntur, præter Liturgias, Biblia Slavonica &c.* Nec est, quod quis dicat, post illius tempora consignatos: Nam *Regenv.* 1652. demum prodiens, de iis quæ an. 1645. & 48. jam contigerunt, debuisset habere & potuisset notitiam; maximè cum apud illos Ruthenos, de queis ipsi sermo, etiam Polonicè editus talis libellus. Videtur *Oderbornium* in Ep. secutus; qui scripserat:

pſerat : *Catechesi nullâ gaudent* ; quod ipſius tempore fortè verum eſſe potuit.

§. 14. *Regenvolſcii* cum injecta ſit mentio, non tacere poſſumus, quantâ injuriâ affectus ſit, hic de *Historia Slavonicarum Ecclesiarum & Reformatione Ecclesiæ in univerſum*, optimè meritus Hiſtoricus : Cujus 4. Libri cum prodierint An. Ch. 1652. *Trajecti ad Rhenum, ex officina Johannis à Waesberge*, Bibliopolæ, & quidem inſcripti : *Syſtema Historico - Chronologicum Ecclesiarum Slavonicarum per provincias varias, præcipuè Poloniæ, Bohemiæ, Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Moraviæ &c. distinctarum, libris 4. adornatum ; continens Historiam Ecclesiasticam, à Christo & Apoſtolorum tempore, ad An. Dom. M DC L. opera Adriani Regenvolſcii* E. P. cum præfatione *Voſſii* : poſteà recuſi dicuntur *Amſtelodami apud Janſonio Waſebergios*, MDCLXXIX cum hâc inſcriptione *Andreæ Wengerſcii Libri quatuor Slavoniæ Reformatæ, continentes Historiam Ecclesiaſticam Ecclesiarum Slavonicarum, inprimis Polonicarum, Bohemicarum, Lithuanicarum, Ruſſicarum, Pruſſicarum, Moravicarum &c. Quibus additur Appendix variorum monumentorum ad res Ecclesiaſticas Slavonicas pertinentium : nimirum Epistola Joannis Smeræ ad Regem Ruſſorum Vlodimirum : Narratio compendioſa de ortu & progreſſu Semiarianorum in Polonia : Catalogi Patriarcharum & Epiſcoporum Epheſiorum, Smyrnenſium, Sardenſium, Laodicenſium Syriæ, Cæſarienſium Paleſtinæ & Capadociæ, Tyriorum :*

Hiſto-

Historia de Catharina Zalassovia, Erasmi Otwinonii Heroës Christiani. Colloquium Roznoviense habitum inter Pontificios & Socinianos. Fidem excedit, quod eò impudentiæ progredi ausus sit *Wengerscius*, ut ad verbum libros *Regenvolscii* exscriptos pro suis venditârit: deinde *Lectori* spem fecerit, ad nostra ferè tempora Hist. continuatam, ad an. sc. 1679. cum præter *Colloquium* illud cum *Socinianis* 1660. habitum, ne verbulum de iis quæ contigerunt ab an. 1650. in quo desiit *Regenvolscius*, addiderit, & tota appendix decem plagulis absolvatur; quarum sex colloquium sibi vendicat. *Hunc proinde inter Plagiarios, quotquot sol unquam viderit*, locus debetur princeps. Nec novam editionem esse arbitramur, cum non tantum paginarum numerus idem: sed & commata, puncta &c. & distinctiones in nullo differant.

§. 15. Ad libellos nostros catecheticos revertamur. In his frustrà quæsiveris *Symbolum Apostolorum*; quod *Dn. Sparfvenfeldt* quoque summo studio in libris ipsorum indagavit, ut quæ illorum de descensu Christi ad inferos esset doctrina, inde cognosceret; sed non invenit. Ut itaque mirum sit, quo jure *D. Schwabe* cap. 3. asseruerit, *ipsos habere Symbolum Apostolicum. Oderbornio* tradenti, *quod illud, verbis quibusdam immutatis ediscere soleant*, nimis credulus assensit: Ego de *Nyceno Symbolo* capienda, quæ ille de *Apostolico* perperam affirmavit, judicarem.

§. 16.

§. 16. Hic silentii peplo involvere non licet, extare adhuc alium libellum catecheticum lingua *Slavonica* editum, sed ex *Latinâ* linguâ translatum, cujus titulus ita habet: *Catechismus, seu doctrina omnibus orthodoxis Christianis ad instructionem valde necessarius, ex Latinâ linguâ in Russicam linguam noviter exposita. Impressa Vilnæ anno â nat. Chr. 1585. voluntate seu placito Seniorum.* Hujus copiam mihi fecit *Clar. Vir Ericus Benzelius Fil. Bibliothecarius Upsaliensis, amicus æstimatissimus*, cum si quid in splendissima illa Bibliotheca Russicorum librorum inveniretur, exquirerem: in quo itidem *Symbol. Apostolorum non comparet.* Sed nec *Symbolum Nicenum* ibi traditur eo tenore; quo in memoratis libellis catecheticis, in quibus cum de Spiritu Sancto sermo est, articulus ita exhibetur: *Et in Sp. S. Dominum vivificantem, â patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, loquentem per prophetas vid. ed. Kiov. fol. 30. & Moscov. f. 20. cum Vilnensis* tantum habeat: *Et in Spiritum Sanctum.* Sed cap. 1. in explicatione rectè docet, quod *â Patre & Filio procedat. Vilnensis igitur* omisit quæ *Nicæno* addita: vid. *Vossium de Tribus Symb. Diss. 3. §. 8. pag. 559. & §. 41. pag. 22.* Ex quo non pauca hausisse Russos mihi fit tam vero simile, quam quod maximè. Assertioni huic haud facilè fidem derogabit, qui consideraverit, *Tres Partes*, in quas & *Catecheses* & *Confessio* dividuntur, iisdem

dem titulis in hoc noſtro comparere. 1. de Fide. 2. de Spe. 3. de Charitate agere: Et licet *Vilnenſis* duas addat. 4. De Sacramentis. 5. De officio Chriſtiani; has ad præcedentes retulêre *Kiovienſis* & *Moſcovienſis* catecheſes.

§. 17. Nec dubitarim ſtatuere, & noſtram *Catecheſeos* D. Lutheri *minoris verſionem Ruſſicam*, An. 1628. mandato *GUSTAVI ADOLPHI Magni Reg. Sveciæ invictisſimi, adornatam & Holmiæ typis exſcriptam* eodem annò per *Petrum Vancelav*, in cauſa fuiſſe, quod de ſuâ adornandâ catecheſi Ruſſi cogitarint. Docuit me hoc *Adrianus Patriarcha Moſcov. in præfat. ad Confeſſ.* ubi inter alia ſic loquitur: D. Martini Lutheri *diſcipuli, poſtquam inveniſſent literas Slaveno Ruſſicas pulchras & puras, & in linguam puram Slavicam transtuliſſent cauſas & explicationes fallacium illorum dogmatum, typis ediderunt in lucem veneno plenos libellos, unum in quarto in urbe* Neſvizina *anno* 1562. *alterum breviorem & minorem* Holmiæ Anno 1628. *Vocantes hoſce libros Catecheſis vel doctrina, quid homini ante omnia ſciendum & diſcendum, qui liber qualibus & quot ſordibus repletus, nunc facilè dici non poteſt.* Hactenus *Patr. Adrianus.* Sed pace ipſius dixerim, ipſum collationem inter noſtram Catecheſin & ſuam non inſtituiſſe; quod ſi feciſſet, longè aliter de noſtrâ judicaſſet. Si enim è *Symbolo Apoſtolico* noſtro exemeris verba:

& *Fi-*

& Filio, cum *Niceno Moscovitarum* in omnibus concordat. In enumeratione *praeceptorum Decalogi*, quæ reperitur discrepantia, tanti non est ut hic attendi mereatur. Quod numerum *Sacramentorum* non augeamus, præter mandatum Christi, vitio nobis verti non poterit. In explicatione *Symboli, Decalogi, Orationis Dominicæ, Sacramentorum*, ipsorum Confessio & nostra Catechesis in plerisque consentiunt; uti Sectione secunda, Deo favente, demonstrabimus. Interim hic omninò notandum, nostram Catechesin, quæ sub hac Epigraphe prodiit: *Catechesis, hæc est græca vox, sed Russicè significat Christianæ Doctrinæ Compendium, quid deceat hominem ante omnia discere & scire, in salutem animæ suæ. Impressit autem Holmiæ Magister Petrus Vancelaw, anno ab incarnatione Salvatoris nostri JESU Christi* 1628. antiquorem 23. annis, omnibus libellis catecheticis apud Russos impressis, qui ad manus nostras pervenerunt. Et gratulamur nobis de Elogio, quo nos mactat *Patriarcha Adrianus* in præfat. ad Confession. *quod elegantibus typis & terso calamo Slavonico usi simus.*

§. 18. Miramur proinde quod hujus Catecheseos nulla extet apud *Dn. Bazium Invent. Hist. Eccles. Sveo-Gothicæ* mentio. *Capite enim 20. libri 7. ubi de libris GUSTAVI ADOLPHI Mag. tempore editis* agit, altum de hoc nostro est silentium. Unde colligimus non vana esse

C vo-

vota Eruditorum in Patriâ noſtrâ, ut aliquis huic negotio par, manum admoveat augendæ & emendandæ illius Hiſtoriæ. Nam uti labor â *Dn. Bazio* exantlatus, commendatione, quâ ipſum ornavit *Pallas Arctoa* CHRISTINA *Regina*, ejus Tutores & alii illuſtriſſimi Regni Proceres, *Petrus Brache*, *Guſtavus Horn*, *Laurentius Flemming*, *Axelius Oxenſtierna & Guſtavus Oxenſtierna*, qui literis ad memoratum *D. Bazium Holmiæ d.* 25. *Martii* 1643. datis inſeruêre hæc verba: Wij förmärcke med ſerdeles nåde och behag Eder giorda flijt/ och anwände arbete at tiena Gudz Församling och edert fäderneslandz etc. videtur digniſſimus: ita limam nonnulla depoſcunt; & ſpicilegium relictum eſſe copioſum, nemo rerum Patriæ & Eccleſiæ peritus diffitebitur. Exhibet etiam *Cl. V. Dn. Schefferus*, de Muſis Upſalienſibus ampliſſimè meritus, *Suecia ſua Literata. p.* 88. *& ſeqq.* prolixum catalogum Librorum editorum, dum Sceptra teneret GUSTAVUS ADOLPHUS: Sed Catecheſeos Ruſſicæ nulla occurrit memoria. Unde & huic Operi incrementa deberi, quis non videt?

§. 19. Ne autem *Vilnenſes* ſibi blandiantur, quod ipſorum Catecheſeos editio Ruſſica, omnium fuerit prima, meminerint *Patriarchæ teſtimonio* palmam ipſis præripuiſſe illam quæ *Neſwizinæ anno* 1562. *in* 4. *prodiit*; cum ipſorum demum An. 1585. lucem adſpexerit, & ſic 23. annis ſit recentior. Eſt autem *Neſwizina*, ut

ut hoc addam, *seu Neswisium, oppidum Palatinatus Novogrodensis in Lithuania, ad amnem Uzsam satis cultum, cum tit. Duc. Radziviliorum,* observante *Hofmanno Lex. Univ. T. 2. pag. 6.* Sciant præterea Russi, & qui *Adrianum* jam fato functum sequuntur Patriarchæ, quod *Catechismos habeant,* se non minus ac reliqvus orbis Europæus, imò totus quantus est, qui Christo nomen dedit, debere *incomparabili Heroi & orthodoxæ Religionis Vindici* D. MARTINO LUTHERO; cui ipsimet *Jesuitæ* hanc laudem tribuere coguntur, quod ipse *his ultimis temporibus docuerit Christianos, catechetica informatione uti;* quæ licet primis seculis usitata, in desuetudinem planè abierat. Ne autem in dubium trahatur assertio, ex *Dn. D. Mayeri* eruditissimo tractatu, quem inscripsit: *Ecclesia Papæa Lutherana Reformationis Patrona & Cliens, Lips. 1698. in 4to* publicato, *Heroi autem Excellentissimo, Senatus Regii principi, Cancellariæ Præsidi & Academiæ Upsaliensis Cancellario, Dn. Comiti BENEDICTO OXENSTIERNA,* (jam ad cœlestem patriam evocato, relicto post se summo omnium bonorum desiderio, Ordinis Sacri maximè, qui Celsissimi Patroni clementiâ, nunquam non gavisus est, & indulgentissimi Benefactoris gratam servabit memoriam, donec inconcussa steterit mundi machina.) dedicato; ubi cap. 4. §. 5. pag. 92. laudatus *Mayerus docet,* quod *Catechismos Romana Ecclesia Lutheri laboribus possidet*

fideat; & ipſum *Poſſevinum* teſtem adducit, quem audiſſe juvabit. Ita autem ille *Epiſtolâ de neceſſitate, utilitate ac ratione Catholici Catechiſmi ed. Ingolſtad.* 1583. *Quid ergo? ſi ita poſthac fiat, ut Catechiſmum doceamus exiſtimabit populus.* NB. *aut hoc manaſſe ab aliis, aut hactenus nos dormitaſſe. Atqui* NB. *ut verum utrumque eſt, ita Chriſtiani hominis eſt, potius culpam ſuam agnoſcere, quam Reipublicæ periculo tegere privatum vitium:* Cui volupe cognoſcere *quot linguis, & quinam Jeſuitæ Catechiſmos ediderint,* conſulat §. 4. l. c. ubi equidem invenient inter plurimarum, triginta & amplius linguarum catecheſes, *Polonice, Lithuanicè,* & *Livonicè* quoque conſignatas: *Ruſſicè* autem Lojolitici Satellitii nemo eam promulgavit: nobis *Lutheranis* hanc relinquentes gloriam, quod de Ruſſorum ſalute, *Catechiſmos Slavonicos concinnando & edendo,* primi fuerimus ſoliciti.

§. 20. His accenſendæ *Liturgia, libelli Catechetici, precum & Manualia &c.* alii, ſi fuerint editi plures: de quibus ſuo loco. Libri Symbolici vicem pridem ſubiiſſe videtur liber *Joannis Baſilidis*, centum capitibus conſtans; ab ipſo concinnatus, & proin magnæ authoritatis. Ad imitationem fortè Caroli Magni Imp. Rom. cujus etiam extant Capitularia; de quibus vid. *Hofm.* Lex. U. Cont. Tom. I. p. 366.

CAP.

CAP. III.

§. 1.

SIc expeditis quæ de præcipuis *Libris*, qui nobis videntur jure *Symbolicorum* auctoritatem tueri, dicenda visa sunt, nunc in incunabula gentis inquirendum. *Herberst.* refert ipsorum annales m. scr. (Ejus enim ævo nihil hujus argumenti typis commissum) nihil habere de origine gentis præter hæc: *Gentem esse Slavonicam, ex natione Japhet, atque olim consedisse ad Danubium, ubi nunc Hungaria est & Bulgaria.* Consentit *Synopsis Historica* Ghizelii *Archimandritæ, Ling. Russ. impressa* 1678. pag. 7. *Reliqua petantur* ex *Herberst.* p. 2. edit in fol. adde Don *Mauro Orbini Il Regno de gli Slavi pag.* 6. Horum Slavorum patriam fuisse Scandinaviam, uti modo dictus Scriptor asserit pag. 7. vix concesserit *Cl. Rudbeckius*, qui *Sarmatas* præeunte Herodoto negat esse *Scbytas. Atlant.* part. I. cap. 10. §. 3. *Sarmatas* autem hodie & *Polonos* & *Moscovitas*, vocari vocet: cujus sententiæ & nos accedimus; cum dubium nullum sit *Slavos* & *Sarmatas* eandem esse Gentem. vide *Ghizelii Ruth. Synops. Hist.* p. 8. Confer *Hofman. Lex. Univ. Tom.* 2. *p.*309. *de Sarmatis & pag.*323. *de Slavis, & alios Geographos.* Don *Orbini* victorem populum Gothos, qui devictis Slavis, sedem sibi in ipsorum regionibus elegerunt, cum natione devictâ confundit, & migrationes

Gothorum Slavis, intolerando nobis errore, attribuit; gratis asserens sub nomine Gothorum Slavos quoque exiisse è Scandinavia: ita enim semet explicat pag. 7. *La prima partenza de gli Slavi d' ella Scandinavia fù, comme scrive Alberto Kranzio al. 2. cap. della Svetia, sotto Ottoniele Giudice de gli Hebrei inanzi i tempi de Re: Perciochè costui era immediatamente succeduto a Giosue successore di Moise, l' anno del Mondo 3790. e prima della venuta di Christo 1460. anni; nel qual tempo uscirono della Scandinavia i Gotbi*, è sotto loro ancora gli Slavi: quæ talo, quantum ad Slavos, infirmo stare arbitramur. *De Scandinavia & ejus incolis*, qui solidè cupit erudiri, adeat *Cl. Rudbeckii Atlant. part. I. cap.* 16. Nomina Russis dantur varia, adeò ut neminem debeat confundere, quod *Mosci, Moscovitæ, Russi, Rossiaci, Rutheni, Roxani, Roxolani* adpellentur, cum eandem sistant nationem; licèt, si originem nominum spectes, unum altero pateat latius. Rossos dictos volunt à particula inseparabili *Ros*, quæ significat *dis* & *Sejanie* seminatio, tanquam disseminata vel dilatata gens, ut coincidat cum significatione nominis *Japhet*, quod eundem sensum admittit. Olim *Sarmatas* dictos extra controversiam est *Clar. Rudb. Atlant.* part. I. cap. 10. §. 3. De origine vocis Slavus à *Slava*, quod significat gloria, vid. *Fletscherum de Russorum* Rep. cap. 13. Nos *Moscovitarum & Russorum* nominibus frequentius uti constituimus, cum magis sint nostro tempore nota.

nota. Vid. *Lasiz. Theolog. Moscov.* cap. 8. p. 28. *Imbofer Annal. Hung.* Tom. I. pag. 78.

§. 2. Regionem ipsam dividi in duas partes *Albam & Nigram* seu rubram Geographi docent, & alii, vid. *Sir*, c. 2. p. 7. *Cromerus* lib. I. de Polon. cap. 8. 500. milliaria Russiæ tribuit, sed alii 600. uti *Dn.* Isbrand *Relation du Voyage de la Chine, pag. 3. C'est un pais fort étendu, mais desert en plusieurs lieux, principalement du coté de l'Asie. On compte depuis la Pologne, jusques à la Tartarie Asiatique, trois cens lieües d'Allemagne, & autant depuis la Mer Caspienne jusques à la Mer Glaciale.* Nec prætereundum *Albam* Magno Duci, *Rubram* Polon. Regi parere. Romano Pontifici nihil unquam juris in has terras fuit, licet id confidenter afferat *Steuchus de Donat. Constant. M.* quod merum figmentum esse *Sir.* cap. 4. p. 19. solide evicit. Ut vani sint & *Baronius* & *Imbofer*, quorum hic *Hung. Annal.* T. 1. p. 86. asserit: *Russorum Regnum Romanæ Ecclesiæ esse donatum.* Sed benè sese res habet, cum ipse fateatur se ignorare, à quo hæc donatio facta. Ita enim loquitur: *Qui Regum hoc tam illustri facto se nobilitârit, non invenio: constat tamen Regem Demetrium à Gregorio Papa Septimo dono S. Petri, Regnum obtinuisse; quâ de re extat Epistola ejusdem Pontificis 15. Kal. Maji, Indict. 13. an. 1075. Pontificatus 2. Verum non multò post expulsus à fratre Tyranno Demetrius, ad Henricum IV. Imp. confugit, de qua re Lambertus & Sigebertus, ille ad 1075. hic ad 1073. annum.* Hæc omnia non

Epistolâ Pontificis, sed fide *Annalium Russicorum* essent adstruenda. In quibus cum altum de hâc fictitiâ donatione sit silentium; gratis queritur *Imbofer*, *Baronii vocem imitatus*, hoc nobile monumentum, ab iis, qui res Russorum prosecuti sunt, esse omissum. Quod in rerum natura non extitit, quomodo ab ipsis adduceretur?

§. 3. De moribus ipsorum quid multis commemorem? His proximè à cæteris barbaris abesse solere asserit *Dn. Sch. proœm.* Gentem universam in venerem pronam tradit *Sabellicus l.* 3. *Enead.* 10. Philosophiam non attigêre, inquit *Jovius* p. 176. edit. in 8vo, additâ comment. *Herberst.* Incestuosos concubitus esse frequentes *Sir* c. 5. p. 61. Idem ex Epist. *Oderbornii ad Chytr.* colligit, Gentem Russiacam omnibus vitiis esse infamem. De *Neuville* Relatio sic eos describit: *Les Moscovites, sont à proprement parler barbares, ils sont soupconneux & defiants, cruels, sodomistes, gourmans, avares, gueux & poltrons, tous Esclaves, excepté trois familles étrangeres, savoir le Prince Sirkacke, cy-devant Seigneur du pais du méme nom, & qui a des richesses immenses, Galitschin & Hartemouovitz. Ils sont encore par dessus tout cela fort grossiers & méme brutaux.* pag. 181. Verum si hoc ipsi concesserimus de iis qui bina ante secula vixêre; de hodiernis tamen minimè dici posse omnia censemus. Author Epist. *Sur l'Etat present de Moscov.* additæ *Relat.* *Dn.*

Dn. Isbrand. pag. 194. etiam fatetur: *qu' avant le Czar ALEXIS MICHAELOVITZ, qui l'an. 1645. parvint à la couronne, les Moscovites paroissoient fort grossiers: mais que ce Prince d' une sagesse & capacité fort ètendüe songa d' remedier.* Sed audiendus quoque erit *Orichovius Ruthenus* Dedicat. *Bapt. Russ. Tu nobis,* sic alloquitur *Gamrathum,* per Sarmatiam Pontificem Maximum, *concedes, Ruthenorum gentem, ad summam mansvetudinem natam: non solum patriis institutis, sed etiam literis partim domesticis, partim vero Græcis in omni officio humanitatis, atque Religionis contineri.* Ille autem jam anno 1544. scripserat. Consentientem sibi habet *Germanum Herbinium* quoad Broysthenidas: *Rutheni Borysthenidæ Moribus sunt elegantiores, utpote qui in schola artibus humanioribus passim fideliter emolliuntur: quare erga exteros humaniores paulò sunt, eosque benignè habent.* De reliquis eandem cum Gallo canit cantilenam, hanc nempe; *Ast Moscovitæ perquam barbari, præter superbiam atque avaritiam sordidam, nec leges humanitatis, nec morum civilitatem norunt:* vide cap. 14. pag. 177. ubi causam fastus esse docet: *quod se solos, ingenuos præ cæteris nationibus credant.* adde. *Olear. lib. 3. cap. 6. pag.* 184. Sed spes est in melius mutatum iri mores, cum jam culturam ingeniorum admittant. Lingua *Moscovitica,* non minus quam *Bohemica* atque *Polonica, Slavonica* dialectus est, nisi fortè ipsa lingua Slavonica; *Dn. Sch. discurs. præl.* 3. Ipsi vi-

 detur

detur externis linguis sic confusa, ut vix *Salvus* & *Moscovita*, sese intelligant. *Olearius* vero *lib. 3. cap. 22. pag.* 180. asserit, tantam esse *Polon. Moscov. & Slav.* cognationem, ut qui unam probè calleat, is quoque alteram intelligere queat. *Schwabio* tamen consentit *Clar. Rudbeckius*, ulteriori vitâ, dignissimus, *Atlant part. 1. cap. 10. §. 3. pag. 43.* Qui ubi de Polonica, Moschovitica, Lithuanica linguis asseruisset, illas tres ab eruditis ad unum fontem, Slavonicam, reduci, subdit: *Tanta tamen est singularum barum dialectroum diversitas & discrepantia, ut unius tantum dialecti peritus, sine interprete in cæteris obmutescere tenetur:* Cui nostrum qualemcunque lubenter addimus calculum. Mirati autem sumus quod *Dn. Sch. l. cit.* visum fuerit non operæ esse pretium, Sclavonicam linguam addiscere. Quantum indè remoræ excolendis Russis injectum, alibi in Ep. Germ. sub tit. Freundliches Ansinnen an die Herren Liebhaber der Russischen Sprache/ Historien und Bücher/ davon Nachricht zu ertheilen N. B. Sup. Narv. Narvæ die 10. Apr. 1702. edita typis Köleri, breviter indicavimus. Rationes, quibus *Dn. Sch.* motus, nullo nituntur fulcimine. Non Imo. quod Russi sint *jejunantes à bonis literis*. Digni namque sunt, quos ad adamandas literas excitemus; quod sine cognitione linguæ ipsorum minùs feliciter succedet. II. Nec impedit, quod *typographiæ ipsius tempore minus ferbuerint*. Nunc enim magis sudant præla; sed & satis libro-

brorum jam ipsius tempore impressum: quorum sensum assequi linguæ ignarus quî poterit? Dicis *versionibus totum quod ediderunt constare.* Sit ita, atqui genuina versio sitne vel non, judicare nostrum erit; & sic vel eo nomine addiscenda. De usu eximio planè quem ex ipsius notitia hauriunt Politici, vel inde constare arbitror, quod beatissimæ memoriæ *Reges nostri* semper nonnullos aluerunt suis sumtibus in Moscovia, ut linguam addiscant. Necessariam proinde si dixero nobis vicinis, rem acu me tetigisse confido.

§. 4. Eam linguam esse latissimam verè docet *Jovius pag.* 176. & vel sic adamanda. *Jovii* authoritas si quempiam parum moverit, audiat *Hofman. Lex. Un.* part. 2. pag. 323. *Slavonica Lingua, quæ nonnullis* Windisch, & apud *Latinos* Illyrica appellari *putatur, bodie omnium latissimè patet, ut quæ à mari Adriatico ad Oceanum Septentrionalem extendi videatur. Nam eâ utuntur Dalmatæ, Bosnenses, Moravi, Bohemi, Lusatii, Silesii, Poloni, Lithuani, Rutheni, Scandinaviæ incolæ, Russi longè latèque imperantes, Bulgari, multaque circumvicinæ regiones, Constantinopolim fere usque, adeò ut ejus etiam inter Turcas frequentissimus sit usus.* Videns Imp. CAROLUS IV. Sorabici sermonis cultor maximus, tantam esse ejus tum amplitudinem tum dignitatem, Lege Imperii quæ *Aurea Bulla* dicitur, *& anno* 1356, *promulgata est, publice sancivit, ut Electores, Principes, Politici Sclavicæ Linguæ, hoc est Rex Bohemorum*

&

& Elector Heidelbergensis Bohemica, Electores Saxoniæ & Brandenburgensium, Sorabica, peritiâ sint clarissimi, ut verbis utar *Frencelii præf. ad Lect. ad Tom. I. de Orig. L. Sorabicæ*, qui indè jure optimo colligit, non infra dignitatem celsissimorum ac potentissimorum Principum fuisse, scire cum Sorabis (Slavis) sorabicè loqui.

§. 5. Et quanquam hæc sufficere possent, ad convincendos quoscunque, Linguæ hujus studium multis nominibus commendatissimum esse debere, celebrium tamen virorum judicia subjungenda duximus, nostræ assertioni fidem conciliatura indubiam. *D. Andr. Mollerus* Fridberg. in Proœm Tr. de vita & obitu Patris sui: *Dolendum autem est, linguam eam jam plane negligi tanquam barbaram, & homine liberali indignam: quam tamen CAROLUS IV. Imperator voluit, ut Electorum filii hæredes & successores addiscerent, lege Curiata in Comitiis Metensibus, A. C. 1356. Cujus jussis si obtemperatum fuisset, plura forsan penetrare possemus in veterum scriptis, quæ de Slavis edita sunt, scitu & notatu digna: neque enim Slavi adeo contemti olim fuerunt, ut hodie posteri ipsorum habentur; Sed tam bellicâ, quam aliis virtutibus maximis claruerunt, quibus freti adeò latè per totam ferè Europam atque Asiam se diffuderunt, ut nulla unquam gens, tanto successu & copia habitabilis orbis partem inundârit, Imperatoribus, Græcis & Germanis acrius resistendo, plus negotii facessi-*

ve-

verit. Imprimis autem, si lingua Slavonica nota nobis esset, sciremus, quæ in his regionibus per aliquot secula usque ad imperium Henrici Aucupis, cum Slavis acta fuissent: Quorum cognitio tota ferè nos latet. At talia sero nimis deploramus, nec delicata nostratium ingenia, & præposterus rerum antiquorum contemptus, meliora nos sperare jubet.

Thomas Reinesius, eruditione celebris *Lib. I. Var. Lect. c.* 14. *p.* 48. *Slavicam*, inquit, *seu Slavonicam linguam gentis Sarmaticæ Venedorum, quæ in Germania, transmissis Vistulâ & Danubio, è Schythiâ in Illyrico Dalmatiaque latè habitavit olim, hodieque plures ejus Provincias insidet, malo more ceu rusticam, impexam, sordidamque & indignam homine liberali δοκησισεμνοι, & polituli nonnulli derident; contra pro jovis cerebro habent, si quid transalpinum Italicumque Gallicumque inter æquales tinnire norint. Is neglectus quantum inscitiæ & tenebrarum in rebus vicini, & Aquilas easdem nobiscum venerantis populi, Germanis objiciunt, sero nimis & cum deplorare solum, possunt, sentiunt.* Cl. Schurtzfleisch disput. *de Rebus Slavicis in fine: De lingua Slavica alii agant, mihi meminisse sufficiet, tantam ejus discendæ quondam necessitatem fuisse, ut sanciretur publicâ imperii lege.* Athanasius Kircherus *de Turre Babel* Lib. 3. c. 1. p. 131. *Illyrica lingua vetustissima, ramos suos in Poloniam, Lithuaniam, Moscoviam, usque in ultimos terminos orientis, innumerabili linguarum fœtu traduxit.* Ex hac enim

postea

postea Turcica, Bulgarica, Bosnica, Tartarica nata, maximam Tartariæ magnæ partem replevit. De Turcicâ quòd dicit Jesuita, cum illa ex Arabica descendat, à veritate alienum esse vix dubitaverim. Reliqua quoque cum grano salis accipienda esse existimaverim. His addi queunt: *Herbinius* De Cryptis Kiov. c. 15. *Nicolaus Myler* Jurisc. Tubing. in addit. ad Martin Rumelin part. 3. dissert. 6. thes. 17. sup. Aur. Bull. p. 867. *Ed. Brerevodus* Scrutin. Ling. cap. 8. qui usum ejus latissimè patere uno ore affirmant.

§. 6. Difficultatem addiscendæ linguæ mitigat, quod Græcis utuntur literarum figuris, eruditis cognitis, exceptis paucis, quas ab Illyrica vel Serviana Scriptura, vel à Slavonibus mutuò sumsêre; de quo prolixè *Scb. discurs. prælim.* 3. *Jovius* p. 176. existimat eos literis *Illyricis* uti, quemadmodum & *Slavos, Bohemos, Dalmatas, Polonos & Lithuanos:* Sed de paucis illis acipiendum Reliquæ græcæ; nisi fortè ad peculiarem Illyricis Scripturam respexeris; Sed hæc non in usu *Moscoviticis;* nec Moscovitica *Polonis, Lithuanis,* latinis gaudentibus literis. Has à Græcis acceptas non diffitetur *Ghizelius Histor. Syn. pag.* 19. *idque an. Chr.* 790. factum, & ab Imperatore Græco post pacem, cum Ruthenis initam, in benevolæ mentis tesseram, libros quosdam prima literarum elementa exhibentes, missos; Post græcas, propter Slavos esse dein alias nonnullas inventas: Ex illo tempo-

pore Russiam literas & libros habuisse, & res gestas suas scribere incepisse, idque ducentis annis ante quam *Poloni* eo gauderent beneficio, non diffitente *Stricovio Hist. Lith.* l. 4. pag. 87. Unde non video quid moverit *Kojaloviz* Jesuitam, ut scriberet: *Wlodimiri* tempore nec Russis fortè literas fuisse. *Hist. Lith.* part. I. lib. 2. pag. 36. cum tamen Stricovium Polonum latinè loquentem, in compendio sistere voluerit.

§. 7. Habet præterea hæc Lingua plurima cum Hebræa communia, uti inter alios observavit *Herbinius* de Cryptis Kiovienſ. c. 15. §. 3. p. 168. & ad oculum, collatione quinquaginta & unius vocabulorum, demonstravit. Sed post ipsum an. 1693. *Frencelius de lingua Sorab.* partem maximam vocabulorum inde deduxit, & concludit *Hebræam* matrem esse omnium Linguarum, incassum renitente *Goropio Becano*, qui totus in id incubuit, ut linguam Cymbricam seu veterem Teutonicam, *Adamo* fuisse vernaculam evinceret. Sed *Sisyphio nisu.* vid. *Michaelis Havemanni Methodum Sect. 2. cap. 1. pag. 215.* Benè author horum versuum rem exposuit:

Cuncta ut ab oceano maria: omnis ab origine una
Lingua ita promanat labio formata sub uno;
Exemplo esse potest vel res vilissima saccus.

Plures autem DEO volente Slavonicæ addiscendæ sese accingent, cum Lexicon Slavonicum, quod *Illustr. Dn. Sparfwen.*

wenfeldius cum versione latina adornat, annuente propitia fortuna, prodierit. Hactenus enim hoc adjumento destitutis, ad eam patuit quidem aditus, sed longé difficilimus.

CAP. IV.

§. 1.

Nunc propius ad religionem gentis accedendum. Idololatras fuisse, nullum est dubium. Quæ autem idola culta quam maximè, docet *Herberst.* pag. 5. Primum seu primarium *Perum* dictum (aliis *Peruni*) *capite argenteo, cetera lignea.* Alia *Vslad, Corsi, Dasva, Striba, Simaergla, Macosch* vocabantur &c. qui delineationem quatuor idolorum, æri incisam videre volet, adeat *Warmund* pag. 2. quorum 1. Stribi. 2. Macossi. 3. Chorsi. 4. *Pioruni* ibi appellatum. Plura de Diis Slavorum suppeditabunt *Frencelius Lib.* 5. *De Orig. L. Sorab. Helmoldus in Chron. Slavorum.* qui Sec. XII. claruit: de quo vid. *Molleri Diatribam Historico-Criticam ed. Lubecæ* 1702. *Arnkiel Antiquitates Cimbricæ.* Et ex Ruthenis *Innoc. Ghizelius* pag. 41. seqq. Cui addi possunt *Nestor Petxurski, Strikowski Polonus, Cromerus* lib. 3. pag. 42. *Guangninus* & alii.

§. 2. Sed missis Idolis, de tempore quo ad Christianismum conversi, simus soliciti. *Siricio.* c. 3. p. 8. maximè probabilis videtur illa sententia, quæ temporibus *Wladimiri* circa

An-

Annum 990. contigisse statuit. Cui multi alii nobiscum subscribunt. *Stepenna Kniga* mscr. *Annales Russicos exhibens*, annum 989 & 9. imperii Wladim. ponit: *Ghizelius* pag. 62. An. 988. qui *Cromerum* citat An. 989. præsentem: *Liber de fide* allegat *Joannem Duglossum* ad An. 992. Lib. I. p. 150. qui haud longè absunt à nostra sententia. Et quanquam *Dn. D. Benzelius Hist. Eccles. N. T.* Sec. 9. §. 1. p. 233. dixerit: *Polonos & Slavos Christianam fidem recepisse hoc eodem seculo creditum est, idque docente Cyrillo Methodii socio*; videaturque nobis adversari: tamen si expenderis quod Summus Vir adhibuerit *τό* creditum est, quod nihil adseverantius statuit, & deinde addideris, quod de illa, quæ sub *Basilio Macedone* facta, non autem solenni illa, de qua nobis sermo, loquatur, omnis quæ hic videri potuisset contradictio in fumos abibit. *Olha vel Olga* Regina, licet sacra Christiana agnoverit, & in baptismo *Helena* dicta fuerit Anno 955. sub *Rege Constantinop. Joanne*, inde etiam Soli comparetur à Russis: Religionem tamen in terris illis propagare non potuit, renitente filio *Stoslao*, qui eam suscipere noluit, *Zonara* teste: Ex quo *Joh. Pappus Histor. Eccles.* p. 77. idem tradit. Hujus filius *Wladimirus* postquam idololatriæ renunciasset, & Perum cum reliquis idolis in Borysthenem abjici mandasset, divina luce collustratus, baptismatis fonte ablutus, *Basilii* nomen accepit: Imperatoris Constantinopol. sororem *Annam* in

matrimonium duxit; quæ Episcopum *Leonem* secum adducens, eum Patriarcham constituit, & ei jus ordinandorum sacrorum concessit, ut noster *Petrejus* l. 6. p. 2. tradidit, quem audire juvat: Then religion the nu hafwa och bekänna / bekommo the såsom the säya / åhr efter Christi börd 980. af Keyser Constantino med sin Syster / som han gaf Storförsten i Ryßland til Hustru / som förde med sig i landet en Biskop som het Leo &c. plura qui volet adeat Auctorem; addat ex Ruthenis *Gbizelium* p. 62. ubi *de Baptismo Wladimiri:* & p. 63. *de Baptismo universæ gentis*; cum quo conferri possunt *Stepenna Kniga* & *Nestor Petzurski*, ab iis quibus mscripti obtigere: impressi nondum habentur: Consentit nobiscum *Papebrochius* in præfat. *ad Ephemerides Græco-Russicas*, cum Magistro suo *Henschenio* ad an 990. conversionem Gentis referens. Sanè ipse Magnus Dux Mosc. *Basilides* ad tempora *Wladimiri* incunabula Christianismi referendo, omnem dubitandi sustulit rationem. *Baptizantur*, inquit, *nostri in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, nunc & in secula benedicti, postquam primus noster progenitor beatus ille & Magnus Czar Wlodimirus divinitus illustratus, nomen Basilii ad mysticam undam nactus est, â quo tempore usque ad hunc idem, non Russica sed Christiana appellatur fides nostra.*

§. 3. Basilium Imperatorem multos & Episcop. & sacerdotes eo misisse *Str.* cap. 3. p. 9.

do-

docet, qui gentis conversionem ursêre. Miraculo id factum ex *Zonare* & *Curopalate* monstrat *Sch. discurs. prælim.* 2. Cum scilicet vidissent librum Evangelii in flammas conjectum, illæsum elatum, cujus fides penes auctores sit. In *Zonara* majorem curam desiderat *Vossius*, & miratur Virum adeo experientem, pleraque perfunctoriè tantum dicere, *de Histor. Græc.* lib. 2. c. 27. p. 304. Cui cum Russi fidem habeant, teste *Libro de fide* p. 32. seq. nostrum non est illam sollicitare. Miraculum hoc ante Wladimirum contigit, & sub *Basilio Macedone* factum, non autem *Wladimiri* tempore; & sic *Basilios* confudit Sch. l. c.

§. 4. Hic proinde *Baronius Card.* qui *Tom.* 10. *Annal.* 253. (opere triginta annorum, concinnato ad elevandam fidem *Centuriatorum Magdeburgensium*, & stabiliendam *Papæ Rom. imaginariam Majestatem, seu Primatum*; qui tamen spe suâ excidit, id evincente *Casaubono* in *Exercitationibus Antibaronianis* & *Kortholto* & *aliis*: Confer. *Voss.* de 3. Symb. Differt. 2. §. 9. p. 43.) seculo 9. conversionem factam defendit, & alteram sententiam rejicit, nobis notandus venit; & *Imhofer* Jesuita, qui *Annal Hungar.* T. I. pag. 85. ad an. 810. eandem refert; quorum errori jure opponimus *Crom.* l. 3. de R. Pol. p. 415. *Guagninum in Sarm. Europ.* Epilogo. *Olearium* qui ex chronicis Russ. hoc constare docet, factam esse conversionem, cum penes Basilium & Constantin. in oriente, Ot-

tonem vero tertium in Occidente summa rerum esset, quæ §. 2. modo adduximus. Interea videor fontem erroris detexisse, si asseruero, Confundi conversionem solennem ultimam, cum prioribus; quarum *Liber de fide quatuor*, *Ghizelius* Historicus 5. numerat; Vestigia legens *Nestoris* Ruthenorum Chronographi part. I. Ex quo *Herbinius de Crypt. Kiov.* c. 3. p. 16. tradit: 1. *ab Andrea Apostolo baptizatos.* 2. *An. Christi* 863. *vel* 62. *imperante in Oriente* Michaële *Cæs. & sedente Photio Patr. Constant.* 3. Anno Chr. 878. vel secundum *Baron. Tom. 9. annalium* 886. Imp. *Basilio Macedone.* 4. OLHA Uxor *Ducis Russiæ, avia vero* WLADIMIRI An. Ch. 958. exemplo suo procuravit quartum Baptismum. 5. Tandem *Wladimiro Suetoslao* Russiæ *gubernacula tenente, omnes in universum Rutheni Anno Christi* 1000. *vel calculo Baronii* 1008. *conversi ad Christum & baptizati sint.* Facile itaque conciliabimus discrepantes sententias, si constiterit de quâ Gentis conversione sermo.

§. 5. Sed sicco pede non prætereundum, quod ipsemet Russi in annalibus suis *Andreæ* Apostolo prima Christianismi initia deberi contendant: Dein verò doctrinam Christianam, per idololatrarum irruptionem eliminatam. Alii Thaddæum, alii Bartholomæum, ipsis Christum annunciasse tradunt. vid. *Sir.* cap. 3. pag. 7. Sed de hoc *Guagninum* audiamus. *Ipsi sane,* inquit, *in suis annalibus fatentur, quod jam dudum Apostolorum tempore S. Andre-*

dreas Apostolus ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Borysthenis fluvii appulerit, & inde ad Kioviam tum temporis metropolin Russiæ adverso flumine pervenerit, atque ibi omni terræ Russiæ benedixerit, baptizarit, signumque olim ibi constituerit. Ex Kiovia verò pervenerit inde in Novogardiam magnam. De *Miechow* Tract. de duabus Sarmat. l. 2. cap. 1. refert, quod Rutheni inter Sanctos cumprimis colunt *Thaddæum Apostolum*, adserentes quod eas converterit & fidem Christi docuerit: Deinde *Bartholomæum itidem Apostolum* per quem multos articulos de fide se accepisse dicunt. *Ghizelius* Synops. Hist. p. 66. contendit *Apostolum Paulum* (quem Theologiam suam in tertio cœlo didicisse, Oratores Ecclesiastici non pauci asserunt, nulla subnixi ratione; cum ibi ἄῤῥητα audierit, doctrinam autem suam ab inspirante Spiritu Sancto æquè ac reliqui Apostoli hauserit, & publicè annunciaverit) quoque testibus *Annal. Russ.* ipsos informasse. Docuit enim in *Mysia*, & *Illyrico*, uti habetur in Actis Apostol. cap. 16. *Mysia*, autem & *Illyricum* Slavonicæ sunt Regiones. Quod deinde *S. Apostolus Paulus Slavis* miserit discipulum suum *Andronicum*, unum ex septuaginta discipulis: qui docuit & baptizavit in Illyria & Mysia, h. e. *Bulgaria, Bosnia & Moravia:* qui & postea in *Pannonia* Episcopus fuit, refert; allegat quoque Rom. cap. 15. Confer *Hist. Eccles. Goth.* l. 2. cap. 2. Sect. 3. §. 11. ubi itinera & Ministerium

D 3 *Pau-*

Pauli explicantur & §. 14. ex *Mysia* in Troadem profectum, annotatum est.

§. 6. Sane si sonus Apostolorum exivit in omnem terram, non dubium quin & eò pervenerit. Nec mirum si idem ipsis, quod & nobis, evenisse dicamus, apud quos vera religio introducta, sed postmodum ecclipsin passa, teste Eminentissimi Archiep. *Hist. Eccl. N. T.* Sect. 1. §. 1. pag. 149. *Nec prohibere videtur quidquam quo minus affirmari possit, etiam Suecos aliquo Evangelicæ religionis lumine hoc seculo & sequentibus fuisse collustratos*; & Sect. 9. §. 1. p. 234. *Prædicationes ab Apostolis factas, & postea ab aliis continuatas, lateque per orbem sparsas, etiam Sueciam ex parte collustrasse ad Seculum I. indicatum est. Redierunt vero homines ad pristinos errores, & cultum Idolorum suorum, toto fermè orbe celebratorum. Quo minus autem credi debeat, penitus exstinctam in his terris per sequentia secula doctrinam cœlestem: prohibent non tantum testimonia illustrium Scriptorum & Patrum de fidei doctrina apud Sueones & Gothos sonante, sed & frequentia commercia indigenarum cum exteris Gothis per Orientem & Occidentem diffusis, quos habuisse doctores Christianos indubium est, quosque non abjecisse curam de popularium suorum conversione credibile est, quamvis non destiterit diabolus jus suum tueri & prædicationis cursum impedire.* Idem videor asserere posse de Russis, apud quos Religionem Christianam plane obscurtatam & ejus

ejus memoriam abolitam, cum *Imbofer* non dixerim. Ita enim ille *Annal. Hungar.* Tom. I. pag. 86. ad annum 870. *Ceterum ficut ex defectu cultura ager sylvescit, ita apud Rutbenos, dormientibus dubio procul Pastoribus, injuriâ temporum, religio penitus esse desiit: donec quingentis fere post annis, circa bæc tempora repastinata est.* Nam ut taceam inter causas susceptæ religionis Græcæ, potius quam alius fuisse, quod adhuc nonnullis locis viguerit: negari nequit sæculo IV. à nato Chr. Concilio Niceno interfuisse, & illi calculum addidisse quendam Russorum seu Slavorum Episcopum; evidentissimo testimonio non omnem fidem Christianam in exilium missam fuisse. Religionem Christianam à non paucis in illis vastis provinciis in deliciis habitam inde constare arbitror. Idem *Imbofer* ad an. 325. quo Synodus Nicæna celebrata observat: *Dominum Stridonensem ex Provincia Pannoniæ illi interfuisse &c. At ille Salvus fuit,* Stridon enim urbs Dalmatiæ fuit, Hieronimi natalibus clarissima: vide *Chronic. Imboferi Annalibus præmiss* pag. 78. & 79. & in Annal. ad an. 870. p. 86. *Reperitur,* inquit, *in Generali Concilio Antiocheno anno 363. adfuisse Antipater Rhossos seu Rhos, quâ nomenclatura Græcis Ruthenos dici alibi ostendimus, idemque cum reliquis Synodali Epistola ad Jovianum data, apud Socratem* lib. 3. cap. 29. *subscripsisse.* Defectionem à fide, quâ maximâ pars sese contaminaverat, non tantum Pastorum in-

curiam, sed persecutionum accerbitatem & hæresium diluvium, & Gentilium irruptiones frequentatas, promovisse dubium non est. vid. *Regenvolf. Histor. Eccles. Slavonic.* l. 4. cap. 1. pag. 456.

§. 7. Et hæc de conversione ad Christianismum sufficiant. Verum cum Ecclesia miserè scissa fuerit, inde ab Apostolorum temporibus, cui parti sese adjunxerint *Moscovitæ*, cognoscere operæ videtur pretium. De *dissensu Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ*, quarum illa *Græca*, hæc *Latina* adpellata, ut prolixè agemus instituti ratio non permittit: videantur quæ contra *Leonem Allatium* consensum adstruentem, attulit inter alios *Vejelius Ulmensium Antistes Celeber. Exercit. Histor. Theolog. de Ecclesia Græcanica bodierna Allatio, Arcudio*, aliis opposita, Argentoriati 1666. edita, præside *Dn. D. Danhavero*; ut ideo de dissensu nullum sit dubium, maximè si spectes Ecclesiam Græcam, cujus placita & ritus *Wladimiro sic placuêre*, ut genti suæ ea commendarit. Quia 1. Religio Græca in Russia antea viguit, & adhuc in paucis locis vigebat. 2. Hujus ceremoniæ splendidiores latinis. 3. Templa apud Latinos parum ornata &c. *Sir.* c. 3. p. 9. Qui videndus. Cum autem *Papebrochius* in Præfat. *ad Ephemerides Græco Russicas* non dubitet ipsi *Possevino*, contribuli suo, bellum indicere, & contendere *Ecclesiam Græcam cum Latina* consensisse in omnibus, cum Russi Chri-

sti

ſti doctrinam admitterent; rejiciatque tanquam erroneam *Poſſevini* ſententiam, *Ruſſos à Schiſmaticis Græcis eſſe converſos*: monendum duximus, *Poſſevinum* à ſuâ habere parte omnes alios ſcriptores, Annalesq; Ruſſicos. *Papebrochius* autem ad contrariã tuendam animum appulit, ut *Sanctos Ruſſorum* omnibus colendos commendare poſſet; quod piaculum eſſet, ſi illi fuiſſent Schiſmatici. Sed huic opponimus non Theodoretum Cyri Epiſcopum, Seculo quinto celebrem, ad quem ſchiſmatis initia ipſe *Bellarm. l. 2. de Chriſto cap. 21.* refert, de quo *Theodoreto* ejusque Elogio agit. *Lex. Univ. Hofm.* T. 2. pag. 445. & *Pl. Rev. Dn. M. Edsberg Paſtor Ridderholmenſis Fautor meus honoratiſſ. in erudita Diſp. de Proceſſ. Spir. Sancti ed. Holm.* 1702. *Membr. I Th. 12 pag. 21.* Nec *Damaſcenum* ex Sec. 8. easdem cum *Theodoreto* lineas ducentem: Cujus *Dn. Edsberg meminit* l. c. Sed integram *Synodum Conſtantinopolitanam* An. Chriſti 979. celebratam ſub *Photio Pat.* in quâ aperte factam diviſionem oſtendit modo laudatus *Edsbergius M. I. th. 13. p. 24.* Cui adde *Dn. D. Vejelium De Eccl. Græc. bodierna* pag. 14. & 18. *Waldimirus* autem & gens Roſſiaca demum an. 990. fidem ſuſcepere, conſentiente *Papebrochio.* Quâ proinde ratione, non â *Schiſmaticis Græcis* converſos, audeat aſſerere, non video. Id tn. pag. 3. præfat. fecit; ſed timidiuſculè. *Non facile inducor*, inquit, *de Moſcis ut credam, eos à Schiſmaticis converſos, quantocunque præ-*

judicio talis opinio fulciatur. Verum non præjudicio, sed omnium Scriptorum fide nititur, nostra assertio. Caussas autem Dissensus cui volupe, legat in *M. Edsbergii Disp. de Sp. S. process. memb. I.* th. 9. pag. 16. ubi 4. recenset. & th. 14. additionem illam *Filioque*, *Photio* aliisque præcipuam visam docet. Adde *Dn. D. Vejelii de Eccl. Græc. hodierna* pag. 14. 18. 47. 50. seqq. Et *Exercit. de Eccles. Græc. Defensionem* passim caussarum mentionem faciens.

§. 8. Quod si quis aveat scire, num per omnia Græcis consentiant Russi; respondet *Str.* c. 3. p. 11. *fatendum esse non in omnibus cum Græcis consentire Russos*, & cap. 5. p. 93. idem repetit, additque: *quem dissensum cum Duci Basilidi exprobassent quidam, crudeli morte sublati:* Idem asserit *Opp. cap. 2. pag.* 5. De capitibus dissensus fortè in progressu operis mentio habebitur.

§. 9. Posset aliquis ex hoc dissensu cum Græcis, inferre consensum cum Pontificiis; maximè si expenderit quæ magna cum ostentatione *Baron.* circa finem Tomi septimi annal. attulit, obsignans totam de Unione cum Eccles. Roman. historiam, delineatione numismatis, *cujus uni lateri impressa effigies Clement. VIII. Pontif. Max. alteri vero idem Pontif. throno* insidens, prostrato ante eum quodam Rutheno, additaque inscriptione: *Ruthenis receptis* 1596.

§. 10. Sed si de omnibus *Ruthenis* id vellet

let intellectum, fumos venderet: Si de illis qui sub *Rege Poloniæ* degunt, fatendum est cos, in quibusdam accessisse ad Pontificios, maximè *agnoscendo Pontificem Caput Ecclesiæ*. Sed cum iidem stipulati sint doctrinam & ritus in cæteris non immutanda: ne sic quidem de unione magnopere gloriari potest.

§. 11. Hoc autem ita se habere testis est *Brerevodus Scrutin. Relig.* c. 8. asserens. *Quod licet Rutheni illi se Rom. Pontifici subjecerint, id tamen fecerint, salvâ religione Græcâ & ritibus*, ut ex articulis, qui apud *Thom. à JEsu de convers. Gentium l. 6. pag. 3. cap. 1. pag.* 326 recensentur, patet; ut ita non tam â religione Græcâ defecisse quam jurisdictionem Constaninopol. Patriarchæ excussisse dicendi sint. vid. pl. *Scb. disc. prælim.* 1. & *Sir.* c. 4. p. 14. *Petrejus* l. 6. p. 20, notat, *quod unionem sibi persuaderi minimè patiuntur*. Opp. c. 2. p. 8. *Unionem non successisse docet, licet tentatam in Synodo Brestensi.* cap. 3. p. 21. omnino adeundus: ubi *Isidorum Metropolitam*, quod unioni consenserit & aliis persuadere conatus sit, misererè necatum docet pag. 18.

§. 12. Qui sese *Ecclesiæ Rom.* associarunt, dicti sunt posteà *Uniti*, contra quos *Liber de fide* peculiari capite, nempe 23. disputat. Reliqui non Uniti appellati; ne existimes omnes in illis religionibus degentes Papæ servitio se addixisse; de quorum Zelo in tuendâ Græca Religione vid. *Piasec. Chr. ad an.* 1632. *pag.* 443.

&

& Regenvolſcius Hiſt. Eccleſ. Slav. l. 4. cap. 2. dignus qui conſulatur; cum præter alia etiam pag. 475. exponatur ſeries Perſonarum Eccleſiaſticarum, in regimine, apud *Græcos* ſeu *Ruthenos* jam diviſos, conſtitutarum.

§. 13. Idem *Regenvolſcius* cum *l. 4. cap. 3. De Unione Evangelicorum in Polonia & Magno Ducatu Lithuaniæ cum Græcis ſeu Ruthenis agat*; verbo indicandum, quibus authoribus & quo ſucceſſu ſuſcepta. Author â parte Græcorum ſeu Ruthenorum fuit *Dux ab Oſtrog Conſtantinus*: â parte Evangelicorum *Andreas Comes de Keſchno & Chriſtophorus Radzivilius Dux Birzenſ.* qui convocatis utriusque Eccleſiæ Theologis, Colloquium *Vilnæ* Anno 1599. menſe Majo, inſtituerunt. Evangelici quosdam Articulos pro collatione cum Græcis ubi conſignaſſent, quos *vid. l. c. p.* 481. iisque quæſtiones quasdam adjunxiſſent, & Ruthenorum Sacerdotum cum ignorantiam, tum pertinaciam perſpectam habuiſſent; rem totam *ad Patriarcham Conſtant. perſcribendam conſenſerunt.* Epiſtolæ exemplar exhibet idem *Regenvolſcius pag.* 491. & ſic iſtius unionis Hiſtoriam claudit: *Cœpta Concordiæ Evangelicorum cum Græcis tela abrupta fuit, neque poſtea continuata vel abſoluta. Politica tamen ſocietas, etiam tum Vilnæ obtenta, hodieque conſervatur.* Quæ verba toti operi etiam coronidem imponunt.

CAP.

CAP. V.

§. 1.

HIs ita expeditis ad enucleandam celebrem quæstionem, *An Moscovitæ Christiani dicendi sint?* nos accingamus. Rem dubio non caruisse argumento sit, quod *Ordinantia Ecclesiæ nostræ An. Ch. 1572. fol. 32.* eos eodem ferè quo Gentiles loco habere videatur, cum agens de excommunicatis, ipsis facultatem concedendam, ut in templo audiant conciones sacras, contendit, hac allata ratione, quod illa paganis & Russis non denegatur: Doch måge the wål wara inne / når Gudz ord predikas: Ty thet warder och Rydzom och Hedningom tilstadt. Hinc jussu GUSTAVI ADOLPHI Magni Sv. R. *Dn. D. Bothvidi Concionat. Aul. prim.* theses de hoc argumento consignavit & Ups. An. seculi elapsi 20. ventilavit. In eodem argumento explicando *Dn. Henricum Stahl primum Superintend. Narvensem, & Antecessorem meum de totâ Livonicâ Ecclesiâ optimè meritum*, versatum fuisse *Sch. in proœm. Opp.* c. 3. pag. 27. tradunt. Quamvis ut verum fatear *Stahlii* laborem, licet studio quæsitum, non invenerim; iis tamen ut & aliis *Sir. Sch. Opp.* pollicem facilè premimus: *Esse Christianos*, licet & doctrina insignibus erroribus, & vita plurimorum abominandis scateat criminibus *Confer. Olear.* l. 3. c. 21. p. 276. Nam non omnes vel erroribus occœcati, vel flagitiis dedi-

dediti; adeo ut de salute multorum non desperandum, judicemus cum *Opp.* qui hanc quæstionem ita concludit: *absit omnes Ruthenos damnemus; sunt in Ecclesia; multos inter eos benè sentire compertum est.* Exemplum civis Narvensis benè locuti. vid. apud *Olear. Itiner. Pers.* l. 3. cap. 26.

§. 2. Verum enimverò, licet de majore parte benè sperare vellem, tamen summa quæ apud plerosque regnat ignorantia rerum sacrarum, contrarium extimescere jubet. Nam ut de profectibus gentis in Religione nimis sterili, multi olim conquesti sunt; ita supina hodiernorum negligentia, eidem querelæ locum facit.

§. 3. Nam quod *Clemens Adamus in descript. navigat. Anglorum* suo tempore questus est: *vix decimum quemque Orationem dominicam memoriter recitare posse*, & suó ævo verum esse deprehendit *Olear.* l. 3. c. 21. p. 279. nostro quoque conqueri possumus. In Ingriâ enim nostrâ tristia hujus veritatis occurrunt monumenta; cum incolarum Moscoviticæ fidei addictorum, supina oscitantia, Zelum Christianis Principibus & Episcopis dignum, quo ipsorum in fide profectus promotum ibant, eluserit. Et quid â plebe sperandum, cum ipsi sacerdotes adeo rudes, ut ne quidem S. S. Trinitatis mysterium è Sacris demonstrare valeant, annotante *Epist. ad Cbytr.*

§. 4. Quo tamen non obstante, *devotio-*

tionem magnam præ se ferunt maximi, minimi, Opp. cap. 1. *p.* 6. sed nullo solido principio innixam. Hinc superstitionibus indulgent. Exemplo sit quod *serpentibus rei familiaris & domus statum florentem acceptum ferant.* De quâ ὀφιολατρεία *vid. Opp.* c. 2. p. 16. Superstitioni imputandum, quod *in natali die Joh. Baptistæ, & in Paschate & trium magorum presbyteri sacratos panes toti populo largiuntur; quorum usu febribus conflictatos allevari existimant. Jov. f.* 175. ubi plura occurrunt notatu digna.

§. 5. Quâ in re pontificii cum ipsis conspirant. Nam memini me vidisse *Patrem Marcum D' Aviano* fragmenta panis distribuisse sanandis morbis dicata, cum ad eum populus numero magno, sanitatis indipiscendæ causa, in Alpibus confluxisset Anno 1686. tempore quadragesimæ. Credebatur namque rudi plebeculæ, florere miraculorum gloriâ.

§. 6. Sed ad Russos redeo, & cum *Sir. cap.* 5. *p.* 58. agnosco monendos esse Russos, *ut segnitiem suam, in percipienda verâ Dei cognitione, excutiant, & veritati victas manus dent:* Quod tamen *optandum magis quam sperandum, cum â concepta opinione ægerrimè se amoveri patiantur*, si *Opp.* cap. 2. pag. 6. credimus. Sed nobis non omnis exaruit spes; & si convenientia adhiberentur media, ad depellendas ignorantiæ tenebras, unâ cum cognitione bonarum literarum: veritatis lucem ipsis non minus ac nobis exorituram, Deo benedictio-

ctionem operi largiente, cur dubitemus, non perſpicimus.

§. 7. Pertinaciæ ipſorum cum conjuncta ignorantia debetur mos ipſis receptus, quo diſputationes de religione nullo admittunt modo; adeò ut Monachus cum Lutherano diſputans in vitæ periculum incidiſſet, niſi â Patriarcha interrogatus, ſibi hoc conſuluiſſet artificio, ſe ſtuduiſſe converſioni Lutherani, & jam rem eo perduxiſſe, ut ad ſua caſtra propediem ſit tranſiturus. Videatur *Olear.* l. 3. c. 21. p. 279. *Sch.* c. 1. §. 6. addatur. *Sir. c. 5. p. 88.* qui inde rectè colligit: *ruditatem hinc fluere.* Cauſas obſtinatiſſimæ prohibitionis ſi deſideres, hanc inprimis allegant: *Sic unitatem & puritatem fidei ſervari poſſe. Opp.* cap. 2. p. 7. *Olear.* l. c. Es giebt der Patriarche nicht zu/ daß man von Glaubens-Sachen viel rede und diſputire/ daher ſie allenthalben einerley Meinung erhalten. Tempore *Baſilidis* tamen & cum *Antonio Poſſevino* & *Robita dè Religione inſtituta eſſe colloquia* ex iis, quæ cap. 1. §. 3. p. 3. & §. 5. p. 4. ſupra allata, dignoſcimus.

CAP. VI.

§. 1.

Non tamen hâc Diſputationum de Religione quantâcunque prohibitione, prævenire potuêre omnem de religionis capitibus diſſenſum.

§. 2.

§. 2. Cujus dissensus injecta mentio nos monet, dispiciendum nunc esse, *An dentur secta in Moscovia?* Negativam videntur adstruere leges, quibus excluduntur non tantum, sed & cura Patriarchæ *summa, ne occasione disputationum hæreses & dissidia enascantur.* Verum contrarium firmat experientia. Nam uti compertum est, non exiguum numerum inveniri eorum, qui Lutherum & Zvinglium sequuntur teste *Olear. l. 3. Itin. Persf. c. 3. pag.* 317. ita nos qui ipsorum sacra non probamus, ipsis sumus sectarii. Plerique, qui hoc argumentum attigêre, in hâc fuere sententia, *nos ipsis esse tantum sectarios.* Sed rem si penitius introspexerimus, vix ac ne vix quidem Christianorum nomine ipsis digni videbimur. Nam uti supra *cap.* 5. §. 1. *pag.* 61. de illis mota quæstio: *an Christiani?* ita nunc de nobis eadem examinanda: *an & nos ipsis simus Christiani?* Pro negativa militant 1. *Basilidis de Luthero judicium, qui c. 1. Resp. ad Confess. Robita* eum accusat, *quod impetu facto in Christum, ejus doctrinam everterit, Apostolorum Sanctorumque Patrum doctrinam distraxerit, destruxerit, in oblivionem adduxerit & Sacras Scripturas inverterit, sensum illis affinxerit, non quem in se habent, sed quem ipsi depravata mens atque libido suggessisset.* In Edit. *Albin.* pag. 14. & cap. 9. *quod nulla legitima vocatione gavisus sit; sed tum suis Satanæ adjutor in decipiendis hominibus.* Ab hâc Ducis sententia, nondum hodiernos recessisse,

docet Rufficus *Autor tract. de Luthero, eum filium Satanæ &c.* nominans. Quod inde deducunt, *ministerium legitimum apud nos nullum esse.* 3. *Nulla Sacramenta ne quidem baptismum*; de quo *allegatus Autor* sentit, *non esse ablutionem à peccatis, sed potius contaminationem*, si ita loqui liceret. De quo in sua ad *Dn. Sparfwenfeldium* Epistola, de iteratione Baptismi consultus *Legatus Mosc. captivus Knes Andrei Jacowlowitz Chilkow*, ubi prius & ipse explorasset sententiam reliquorum, sic mentem suam declaravit, uti mihi laudatus *Dn. Sparfwenfeldt* scripsit die 6. Octob. cujus verba ita habent: Sedermera har jag fått finalt swar / at det blifwer wid det / at Lutheraner och Calvinister de skola döpas genom indoppande i warnet formaliter efter Ryska ritum, ock dierswes de klarligen såha / som ock Residenten mig med fulla bockstäfwer skrifwit / att Ryska församlingerna intet werdera wårt Präste-Embete för något Präste-Embete / och wåra Präster för intet annat ansee / än annat gement folck och Laicos, uthan ordinatione, den de foutenera oß intet hafwa eller kunna hafwa / och det i samma mening som de Romerska gibra oß; deraf faller hela disputen. Är hoos oß intet Sacerdotium, so äro ey heller Sacramenta. Stantibus hisce, quid pro affirmativa adduci queat, repertu haud erit facile. Nam si hodie regnantis Czaris sententiam, quâ nos Christianis sectis accensemur, in Edicto 15. Apr. 1702. adduxero; gratis ab

illo

illo hoc dici, evincunt quæ præcedunt. Impiæ hujus & perfrictæ frontis sententiæ vanitatem, quod *D. Lutherum* attinet, demonstrarunt *Summi Viri*, *Mullerus* in Luthero defenso & *Defensione Luth. defensi.* *Danhawerus in Memoria Thaumasiandri Lutheri renovata* & alii innumeri. *Seckendorf in Histor. Lutheranismi*, quorum agmen *ducit Melanthon in Histor. vita Lutheri*, quam nos sveticè translatam & notis quibusdam illustratam edidimus Holmiæ an. 1700. Ministerium & Sacramenta post alios innumerabiles, nos Sect. 2. dogmatica annuente altissimo vindicabimus.

§. 3. Quanquam *Turcas pro hostibus Ecclesiæ declarent*, plurimos tamen sibi subjectos habent. Judæos planè abhorrent. In castris tamen ad Narvam feliciter *ab invictissimo Rege* CAROLO XII. 1700. die 20. *Novemb. fusis*, etiam Judæos repertos, ex ipsorum Tephillim ibidem inventis, haud vanus concludo. Quid autem Tephillim sint, docebit *Buxtorfii* Synagog. judaica.

§. 4. Se Christianos cum jactitent *Pet.* l. 6. pag. 26. omnes alios â semet dissentientes barbarorum, imò impurorum loco habent. Fidem faciat *mos Principis abluendi manus, quoties legatis Christianorum Regum manum dat deosculandam.* vid. *Opp.* cap. 2. pag. 7. *Talander* cap. 9. p. 59. Dieses Volck siehet die andern Christen als Heyden und Abgötter an/ und gläuben daß ihre blosse Gegenwart Sie unrein machen könne.

So bald auch der Czar ausländischer Potentaten ihren Gesandten audientz gegeben hat/ welche nicht von dem Griechischen Glauben sind/ so wäscht er auch alsofort die Hände/ wenn Sie aus dem Verhörsale wieder hinaus gegangen sind.

§. 5. Quod si autem quis scire desideret, quem ordinem constituant inter eos, qui ab ipsis dissentiunt, hunc dedit *Opp.* c. 2. p. 9. primo loco à se *Græcos* 2. *Lutheranos & Calvinianos.* 3. *Pontificios* collocant. Hinc infert memoratus *Opp. l. c. Lutheranis potius, quam Pontificiis assensum prabituros:* cujus rationes apud ipsum videat, cui volupe. Consentientem habet *Petrejum*, plus auctoritatis habere apud ipsos *Augustanam Confessionem, quam Pontificiam* adserentem l. 6. pag. 19. Hæc *Petreji* ævo ita se habere potuêre; & ipsius & *Dn. D. Schelwigii* autoritate motus in eâdem sui sententia, teste Epist. die 10. Apr. 1702. *ad amatores Librorum & rerum Russicarum.* Verum dubium me reddit, cum autor Scripti: Die Europæische Fama; welche den gegenwärtigen Zustand der vornehmsten Höfe entdecket/ ed. 1703. qui p. 1038. part. 11. docet Czarem velle mittere Filium suum Viennam. Erstlich will Er seinen Hoff nach der manier anderer Höfe in Europa einrichten; wie denn auch seinen Erb-Printzen ein absonderlicher Staat formiret werden wird/ in dem derselbe mit ehesten unter der Aufsicht eines geschickten Hofmeisters/ und mit einer ziemlichen

lichen Anzahl anderer Bedienten an den Keyser-lichen Hoff in Deutschland verreisen soll. tum & *Legati Chilkow* declaratio, quod Pontificii ad interpositionem Czaris, nunc recipiantur in Eccles. Russicam, absque iteratione Baptismi, quæ ipsis olim æque ac aliis necessaria. Ita enim *Dn. Sparfwenfeld:* De hafwa ock i förra tider formaliter genom indoppande omdöpt de Catholiska / som intet långe sedan nöto det privilegium at slippa / och skal skedt genom Czarens interposition nyligen / som de mig nu referebat. Hæc sequentia revelabunt tempora, ut & quantum fidei tribuendum rumori, *Czarem velle Pontifici Romano Sacramentum dicere.* Vix crediderim, Principem Magnanimum eò processurum dementiæ, ut colla jugo, nulla urgente necessitate, submittat. Fortè insistet vestigiis *Basilidis* de quo *Piasec. Chron. pag.* 9. ad an. 1582. *Moschus Polonum pertimescens, ad callida consilia conversus, miserat ad Summum Pontificem Legatos, ejus opem in componenda cum Polonis pace implorans, & fidem Catholicam in ditionibus suis se recepturum promittens. Missus pacis tractandæ gratia Antonius Possevinus.*

CAP. VII.

§. 1.

INter alias Sectas eminet apud Russos nata & latè sparsa quædam, Roscolskika vel Rascalnica (adversaria, tumultuaria latinè) dicta,

quæ sibi placet titulo Electorum: *Isbranici* namque vocari Sectarii amant, quod Electos notat. Videtur esse sanctitatis in externa cum aliis conversatione ostentatrix, & aliorum contemtrix, strenuè Pharisaismi æmula. Nam à contubernio aliorum ita abhorrent Sectarii illi, ut cum nemine vel cibum vel potum capere dignentur, nisi suæ superstitionis socio; cumque in Ingria & Doctoribus ipsorum & auditoribus familiariter usus fuerim, illi me visitarint, & ipsos adiverim frequentius, numquam ab ipsis impetrare potui, ut vel micam panis in ædibus meis gustarent.

§. 2. Cum de hac Secta nostratium nemo quod sciam, publicè scripserit, non injucundum fore arbitror, si paulo prolixius ejus natales & dogmata exposuero, idque ex actis *Archivi Regii* Holmensis & Reg. *Consistor. Narvensis*, in quo sæpius comparuêre, rationem fidei suæ reddituri: Quibus id denegari nequit, majore quidem cognitione literarum Sacrarum gaudere, quam ceteri Russi, in Ingria: Sed peculiaribus dein statutis eam contaminant.

§. 3. Cum autem ipsimet quandam relationem Anno 1687. mense Febr. exhibuerint, quæ postea in Sveticum sermonem, cura *Illustrissimi & Excellentissimi Comitis, Regii Sen. & Campi Mareschalli Georgii Sperlingii, tunc Gubernatoris Ingriæ, & Reverendissimi Dn. D. Joh.* *Ge-*

Gezelii filii, tunc Superintendentis vigilantissimi, (quorum ille in Genero *Perillustri & Generosissimo Dn.* HENNING RUDOLPH HORN *Narvensis urbis & arcium Præfecto maxime strenuo, & Provinciæ Vice-Gubernatore & filius superstes: Hic Ecclesiam magni Ducatus Finlandiæ hodieq; optimè regit, regatque diu!*) translata sit, eam hic subjicere equidem constitueramus, & ea fini *Nobiliss. Dn. Eliam Palmskiöld Archivi Regii Secret.* compellaveramus, ut apographum nostrum cum exemplari, quod in Archivo Regio servatur conferre liceret: verum ne pagellæ hæ nimis crescant, ejus contenta tantum indicabimus.

§. 4. Docent de tempore, Anno 1666. enatum esse schisma. De occasione dissidii tradunt 1. quod *Patriarcha* Nicon *curârit imprimi Patrum scripta & Concilia 7. œcumenica immutata.* 2. *Quod crucis figuram antiquam sustulerit à panibus cœnæ distribuenda destinatis, aliâ substitutâ.* 3. *Ex oratione eliserit mentionem filii Dei.* 4. *male de Spiritu Sancto sit locutus.* 5. *mutarit ritum circuitionis circa templa, seu processionem in die paschatos receptam, quam à sinistris ille, hi à dextris vel septentrionibus auspicandam voluerunt.* 6. *vasa sacra, calicem & orbem mutarit.* 7. *jussu ejus templis efferri, quæ à S. Patribus illata.* 8. *imprimis libros ipsorum.* 9. *suos autem inferri curarit, in quibus innumeræ hæreses reperiantur.* 10. *Rituale quodq; mutationem subire jusserit, & ibi ipsum spiritum malum invocare docuerit.* 11. *Quod*

in

in Baptismate administrando non cum Patribus circumeat baptisterium (vel situlam) cum sole. 12. *neque cum conjugium ineuntibus benedicunt, cum sole, sed adversus solem.* 13. *Quod mortuos sepelientes non sequantur funus cum thuribulo, sed praecedant, cum tamen aliter â S. Patribus constitutum.* 14. *Quod* 8. *synodum celebrarit, eoque se Antichristum esse declararit, qui in omnibus se Christo esset oppositurus.* 15. *Cum â S. Patribus ordinatum sit, non minori quam Septenario numero, panes sacros in cœna esse consecrandos,* Nicon *quinarium substituerit: quem proindè vas Santana nominant.* 16. *Quod totum mundum veneno hæreseos infecerit, & multas animas profanarit.* 17. *Simplicem crucis formam panibus sacris impresserit, & sic populum satanæ adduxerit.* 18. *Quod ipsum docuerit signare se cruce, tribus primoribus digitis; sub quibus ipse Satanas lateat, qui Titin adpellatur. Originem bujus moris Pontificibus Romanis hæreticis tribuunt.* 19. *Conqueruntur de vi sibi illata, ut hunc morem recipiant, cum Christus neminem vi adegerit. Ipsi autem docent, tribus quidem digitis crucem fieri oportere, sed pollice & duobus aliis annulari & auriculari; hujus mysteria pandunt, indicantes libros unde suam hauserint doctrinam.* 20. *Sacerdotes & Diaconos admoveri pecuniæ causa, ipsos male habet, adeoque Juda & Caipha comparandos, & maledictos esse.* 21. *De jejunio, instituto more majorum haud servato, movent querelas.* 22. *Nec adprobant quod Sacerdos muneris sui partibus defungens,*

gens, baptizanndo, curam administrando, matrimonio benedicendo, pro labore honorarium accipit. 23. *Si usurarius, temulentus, adulter, cum eo non esse orandum.* 24. *Se Graca religioni genuina addictos esse.* 25. *poscunt sibi dari libertatem exercenda religionis sua, sine metu persecutionis, à quâ longissime absfuisse pios Czares testantur.*

§. 5. Ex his liquido conſtat, quid in hodierna Ruſſorum religione & ritibus deſiderent; quæ an tanti ſint momenti, quanti illi exiſtimant, dubitari jure poteſt. Nonnulla quæ reliquis imputant, reperta ſunt falſa, quod ipſi vidimus. E: g. *qua de adoratione spiritus immundi, in majori rituali commendata garriunt.* Nam nomen Spiritus immundi parentheſi incluſum, ad ſententiæ integritatem non ſpectat, ſed explicationis cauſa additum. Quantum ex ipſis intelligere potui, mos ſignandi ſe, princeps fons eſt diſſidii; quod tamen confeſſio noſtra dirimit, adprobando eum quem tenet univerſa Ruſſia. Alterum illum, volunt Moſcovitæ eſſe Sacerdotibus populo bendicentibus peculiarem.

§. 6. Majoris lucis cauſa ſubjungemus *Johannis Michäilow*, ad ipſos nomine *Consistor. Reg. Narv.* miſſi relationem, quæ ſic habet: *Mense Junii d.* 1. (annus adſcriptus non eſt qui tamen videtur 87. ſeculi elapſi fuiſſe) *iveram in pagum Climentinum* (ſueticè Klimentine/ haud procul ſitus à caſtro Capurgenſi, *Med. Doct. Dn. Döbnell. Fautoris honoratiss. peculium)*

cum libro ad Ruthonicos homines, qui cerevisiam & vinum non bibunt, lupanaria non servant, lupuli radices secant, effodiunt, & ex horto ejiciunt, carnibus non vescuntur, nec nubunt. (Nota, lupuli nullus apud ipsos usus, cum cerevisiam, vel potius potus genus, ex solo hordeo tosto (malt.) conficiant. *2. Carnibus vescuntur, sed rarius quam cæteri, cum jejuniis deditissimi; Sic ut sanitati vim sæpius intentent & inferant, Sceletis similes circumeuntes. 3. Non nubunt, cum ipsis nulli ordinati sacerdotes, qui conjugium confirmare possint.* Enumerat jam errores & mores.

I. *Filias nubere non permittunt. 2. In templum non veniunt. 3. Sacerdotes odio habent, vocant lupos, & vestimenta, luporum pelles; in Russia vero vocant homines delatores.*

II. *Me objurgabant cum libro consistoriali, vocabant furem, maledictum, diabolicum, famulum Antichristi nimirum; Liber (dicebant) qui apud te diabolicus conscriptus, talis liber dignus est, ut comburatur tecum & ille qui scripsit, voca illos qui te rogant in tuas neces.*

III. *Est apud nos liber Cyrilli Jerosolymitani, Evangeliorum, & liber Apis, liber Clavis, liber de Fide, tantum dabimus quantum volueris: Contra tamen inquiremus homines, qui resistent in Narva; ipsi dicebant quod hi libri sunt in Narva.*

IV. *Qui sequuntur illos in hac religione cum uxoribus, etsi infans nascitur, sacerdotibus baptizare non dant, ipsi inter se baptizant;* (nam hoc sacramentum etiam Laicis licet administrare,

quan-

68

quanto magis illis, qui sacerdotum loco suspiciuntur doctoribus?) *eò magis cum uxoribus non dormiunt, quæ ad illos non vult (id est ad consilium transire.) In unâ domo vivunt, panem separatim comedunt,* (sc. si ejusdem sectæ non sint uxor & maritus) *neque diligunt illos homines, etiamsi pater, à liberis suis separatur, ab illorum consiliis, patrem odio habent liberi. Sunt videndi tales à spirituali ordine Consistoriali, & libri illorum inquirendi, utrum illi libri sint digni, quos ipsi promittunt ostendere.*

V. *Ad hoc dictum Capurgensis Diaconus manum subscripsit, audivit & vidit objurgantem sacerdotem cum libro Consistoriali. Nomina Maxim Ivanow & Syslog. uxor Maximi Martha.* Scripsit Capurgensis Sacerdos.

§. 7. In his nolui mutare quidquam, ut de profectibus Russicis in lingua latina constare queat. Nam quidam eam quomodocunque callent; ni translatoris Russici versio potius, quam à Sacerdote consignata, credenda.

§. 8. Hæc fortè de hac sufficere possent Secta, nisi consultum ducerem, addere ex *eruditâ & nonnulla ad Historiam illustrandam suppeditante Epistolâ, ad Consist. Narvense,* quod desideraverat, ut ea quæ sibi penitius perspecta communicaret *Rev. & Cl. V. Dn. Schwartz, Past. in Gubanitz, datâ d.* 17. *Novemb.* 1701. sequentia capita.

§. 9. Quæ præter ea, quæ propria ipsorum

rum ſubminiſtrat confeſſio, ex illâ diſcere poſſumus, ſunt. 1. *Nomen Roskolski, Roskolniki & per contemtum Roskoltſchiki ipſos â ſeparatione accepiſſe.* 2. *Ipſos reliquis Ruſſis id nominis potius competere, contendere.* 3. *Magnum Ducem* ALEXIUM MICHAILOWITZ *nominat, ſub cujus imperio hæc mutatio facta.* 4. *Quod querantur de reliquis, quod vetuſtiores codices non tantum, ſed ipſum Pſalterium immutârint, adeoque in Canonicas Scripturas involarint.* 5. *E Patribus magni fieri apud ipſos Baſilium Magnum & Gregorium Bogoslova ſeu Nazianzenum.* 6. *Quanti imagines ipſis etiam fiant, & quod in cultu imaginum cum reliquis amicè conſpirent.* 7. *Quod reliquos incuſant, articulum de S S. Trinitate eos non rectè tradere ſ. credere, ſed negare divinitatem Chriſti & Spiritus Sancti, cujus rarior in ſcriptis & concionibus mentio; quin & nullum honorem ipſi exhiberi.* 8. *Filium ipſos è Baptiſmatis formula excludere, nec in ejus nomine baptizare.* (Rectè autem ſuſpicatur *Dn. Schwartz*, hæc conficta ad conflandum odium adverſariis, & ut in articulo quodam diſſentire videantur, cum reliquus diſſenſus tantùm ſit de ceremoniis.) 9. *Quod ceremonias ad ſalutem neceſſarias judicent.* 10. *Confirmat quæ de ſigno crucis jam annotavimus.* 11. *Quod barbam non radant, ſed tantum caput.* 12. *Cauſam abſtinentiæ à vino & cereviſia eſſe metum, nec ſi inde guſtaverint, ad temulentiam uſque hauriant, & repetitis vicibus, iidem vitioſè ſe contaminent.* 13. *Cum ſacerdotibus careant, nullus apud eos ſ. Cœnæ uſus, vel in extre-*

tremo tantum necessitatis casu (*uti prius verissimum; ita posterius valde dubium, ni prorsus falsum.*) 14. *Plurimos fassos se nunquam f. Synaxi usos.* 15. *Unum dixisse, se ad communionem accessisse semel, ipsi sacramentum datum his verbis: accipe meritum Christi &c.* (fortè antequam ad ipsos defecisset. Nam ex reliquis complures alliciebantur, fucatâ pietatis specie.) 16. *Quod pacatè & piè externam instituant vitam.* 17. *Dolis & fraudibus incenti, non minus ac reliqui.* 18. *Non facilè alibi habitent, quam ad fluenta, cum aqua fontana & sordibus vicina, ipsis sit exsecrationi.*

§. 10. Doctores quos habent *Knisnikos* (*librorum peritos*) adpellant, vel proprio reliquorum Poporum judicio, aliis magis eruditos. Hi non rei domesticæ, nec uxoriæ operam dant, sed lectioni & scriptioni tempus consecrant, quorum sex, in Synodo A. 1702. mens. Martio Narvæ, præsentibus ordinariis Consistorii Assessoribus *Pl. Rev. & Cl. Viris M. Joh. Andrea Helwig, Past. Eccl. Germ. Prim. Dn. Erico Quist P. Leg. Horniana, Dn. Erico Buure, Past. Eccles. Fin. Dn. Henrico Brüningk Comp. Eccles. G. & Not. Dannenberg.* tunc Collegis, nunc Fautoribus desideratissimis, cum illis habitâ, ad examen vocavimus; quos inter *Spiridon*, qui ætate & eruditione cæteris præstabat, in lectione & S. Scripturæ & Patrum quorundam non jejunè versatus, ad tuenda sua dogmata, imprimis invocationem Sanctorum & cultum imaginum, se satis para-

ra-

ratum oſtendit. Conſiſtorii juſſui, ut capita præcipua diſſenſſus ſuos inter & reliquos conſignaret, morem geſſit, linguâ Slavonicâ ea exhibendo, quæ nunc ad manus, ut alia haud pauca, non ſunt.

§. 11. Poſt S. Scripturam & Patres, ſummas deferunt libro, qui dicitur ipſis *Vera Kniga* vel rectius *Knigao Vere* de fide liber, de quo nonnulla monenda, cum de Libris Moſcovitarum erimus ſolliciti. Quantum enim nobis hactenus conſtitit, recipitur hic *Liber de Fide*, non tantum à Roskolkianis, ſed & reliquis in univerſum Ruſſis, ut proinde ejus teſtimonium magni fecerimus.

§. 12. Sectæ autem hujus aſſeclas Ruſſia flamma ferroque perſecuta eſt; Hi vero ſupplicium ultimum læti ſubiêre. Pars in Ingriam conceſſit: Sed nuper illata noſtratibus equitibus novem ſtrage, intempeſtâ nocte eos jugulando, quos hoſpitio exceperant, perfidiæ in nos documentum dedêre cruentum, & in Ruſſiam ſeſe contulêre ex pago ſatis incolarum frequentiâ florente; *Ucbora* dicto, in quo etiam primariam ſedem habebant Doctores, & in domo quadam ſacellum pulchrè ornatum.

§. 13. Ex accurato de his judicio, lato à *Dn. D. Gezelio Epiſcopo Ab. Fautore noſtro colendo*, die 17. Novemb. Anno 1687. hoc addendum judico: 1. Eos gratis de Magiâ accuſari. De beſkylles för någon oloflig konſt at blif-

blifwa lärde -- äth minstonne har jag än intet någon probabilitet / minder något fundament funnit til besfyllningen. 2. *Vix tam crassam apud ipsos regnare idololatriam.* 3. *Quod mos ipsorum antiquitus in Ingria susceptus.* Så kunne de ock det för sig andraga / at det sättet at korßa sig / och de böneformer / sampt omgånger med röckelse Karet wid helige förrättningar / och annat som de wilja / förswara / äro sådane som brukades med den Ryska religionen / hwilken deras Majestetter glorwyrdigste Sweriges Konungar / ifrån 1617. hafwa här i landet privilegerat. 4. *Quod in Russiam non essent reversuri.* Sed aliud docuit nuperrima infidelitas, de quâ modo diximus. Inter ea quæ vituperanda, occurrit: 1. *Eos sensum Scripturæ literalem ad allegoricos, sed absurdos torquere.* 2. *Crassiorem apud ipsos quam cæteros Pharisaismum regnare, qui omnem in Christi meritum & gratiam DEI collocandam fiduciam abolet. Nam hanc se repositam habere, in sanctâ vitâ, jejuniis, crucis signis &c.* palam fateri. 3. *Separatismum irreconciliabilem esse; & proinde periculi plenum.* 4. *Vix alios alloquio & salutatione eos dignari.* 5. *Callidiores reliquis in defendendis suis placitis.* 6. *Diffidia familiis inferre, quosdam alliciendo.* 7. *Nocturnos congressus amare.* 8. *Dubium esse, an infantes ritè curent baptizari.* (De hoc nobis certò constat: non quidem à Russorum Popis, sed suis Knisnicis.) 9. *Negare se denuò baptizare eos qui ad se transeunt: Sed convictos esse testimo-*

monio multorum. 10. *Matrimonium esse ordinationem divinam, non concedere.* (*Unde periculum infamæ commixtionis.*) 11. *Nihili facere argumenta, licet stringentia, contra se allata.* 12. *Sectæ propagandæ studiosissimos non tantum Diakos, sed & rusticos, vetulas; opiliones: ita* 50. *familias attraxisse in suâ retia.* 13. *Fovere quoque desperata consilia, eruptura, si quis eos à Religione suâ dimovere tentaret.*

§. 14. Non autem prius in eos sævitum, quam tentatum fuisset, an non docendo in viam reduci possent. Quâ fini Czares duo convocarunt Concilia; & Patriarcha *Joakimus* peculiari tractatu ipsos erroris convincere & in viam revocare conatus est: de quibus infra pluribus.

§. 15. Memorabile prorsus est exemplum pœnæ in Hæreticos exercitæ; quod apud *Warmund.* cap. 4. pag. 21. adducitur: *Sectas*, inquit, *alias omnes, non judicant esse Christianos, sed Fanaticos, & Sacrilegos: uti patet ex eo, quod nuper notus Hæreticus Quirinus Kahlman, Silesius, cum alio Moscua vivus combustus est.* Quod hâc ratione factum. *Cum memoratus Kuhlman, Sutoris Böhmii Scripta Lugduni Batavorum denuò defendere ausus esset, & novas turbas dare, sectamque ibi instituere parasset, ab illâ Universitate summâ cum infamiâ relegabatur. Indè se in Angliam contulit, ibi somnia sua divulgaturus. Cum vero illo quoque Regno excedere juberetur, ad incitas redactus in Moscoviam secessit,*

cessit, ubi in Metropoli divertit ad quendam ejusdem farinæ, Norderman dictum, qui olim mercator germanus fuerat, postea variis erroribus indulserat, & tandem inter alios hanc fovere ceperat sententiam: Necessium esse, ut Christus, instar magni Prophetæ adhuc semel in mundum cum multis miraculis veniens, omnes homines convertat & secum in regnum suum ducat. *Hic quo magis admonebatur, ut huic nuncium mitteret, eo plus in sua sententia perstitit, donec tandem tractatulum Linguâ Russicâ corrasisset, & primario cuidam status Ministro obtulisset, obnixè rogans, ut impressionem promoveret. Vir autem ille ipsum dehortaturus dicebat:* Norderman, mente ne captus es plane? scis me tibi amicitiâ devinctum, consulo tibi, ut ab incepto desistas, & in melius mutes sententiam, alioquin certò flammis adjudicaberis. *Norderman hic vero, susque deque habitâ admonitione salutari, abit in Typographiam, rogans, hoc opusculum imprimere velint. Cum autem Typographus se excusasset, hoc sibi absque Patriarcha veniâ non licere; adegit illum Norderman, ut Patriarcha librum censendum offerret. Patriarcha fanaticum scriptum ubi perlegisset, jubet statim utrumque & Norderman & Kuhlman in carcerem abduci; & cum Norderman fanaticam opinionem revocare nullo vellet pacto, uterque in balneo quodam vivi combusti sunt.*

CAP. VIII.

§. 1.

EX hoc constare arbitramur, quid sentiendum sit de libertate profitendi religiones alias, quam ibi obtinere tradunt authores: Tales scilicet, â quibus ipsorum fidei nullum periculum, & quæ lingua peregrina exercentur, ferri: Lutheranorum sc. & Calvinianorum, qui in suburbio Slobodâ dicto, suis gaudent templis, & quidem Calviniani uno, Lutherani duobus: quorum recens exstructum, alterum splendore superans, ab ipso hodie regnante Czare dicitur esse erectum, magnâ sui parte, cum ipsis lapides donarit, & libertatem campanis utendi concesserit; idque invito Patriarcha. De hoc ita *Isbrand Rel. du Voyage de la Chine: Il faut remarquer ici, que le Czar* Pierre Alexeowitz *aujour dhui regnant, Prince d' une bonté achevée, a fait present aux Luteriens des pierres, dont leur Eglise neuve est batie, leur ayant aussi permis d' y elever un clocher; ce que le Patriarche n' auroit jamais voulu accorder.* pag. 6. edit. 1699.

§. 2. Pontificios olim tanto odio dignos judicarunt, ut illis nullo modo exercitium concedere suæ superstitionis voluerint, adeò ut ipse Rex Galliæ Ludovicus XIII. frustra fuerit de eo obtinendo solicitus. vid. *Sir.* c. 1. pag. 5. Sed hodiè ipsis domum concessam, in qua sacra peragunt, tradit memoratus *Isbrand*

brand : A l'egard des Catoliques Romains, que les Moscovites ne voient pas de bon œil non plus que les juifs, ils ne peuvent faire leur devotion, que dans une maison, qu' ils ont athetée, neanmoins cela ne leur a été accordé qu' à condition qu' aucun Jesuite ne viendra ? établir dans le Royaume, ny y dire la Messe, auquel cas s' il y étoit attrappé, il seroit sur le champ banni du pais, comme cela arriva, il y a quelques années à un Jesuite qui avoit eu la hardiesse de le faire pag. 5. Reliquis Sectis inter ipsos enatis nullum dari domicilium, vel fata Roskolkiana edocere possunt.

§. 3. Hic commodus sese offert locus inserendi §. 2. Edicti Czaris Petri An. 1702. die 20. Apr. publicati, cujus hic est tenor: Und weil auch bereits allhier in Unserer Residenz das freye Exercitium Religionis aller andern/obgleich mit unsrer Kirchen nicht übereinstimmender Christlichen Secten, eingeführet ist; so soll auch solches hiemit von neuen bestätiget seyn; solcher gestalt daß Wir bey der Uns von dem Allerhöchsten verliehenen Gewalt/ Uns keines Zwanges über die Gewissen der Menschen anmassen/ und gerne zulassen/ daß ein jeder Christ auf seine eigene Verantwortung/ sich die Sorge seiner Seligkeit lasse angelegen seyn. Also wollen wir auch kräfftiglich darob halten/ daß dem bißherigen Gebrauche nach/ niemand in obgemeldter seiner so öffentlichen als privat-Religions Ubung soll beeinträchtiget/ sondern bey solchem Exercitio vor allermänniglichen Turba-

F 2 tion

§. 4. Hujus Principis Exemplo, si quis Tolerantiam Religionum ubique introductam vellet, meminerit, ipsi & religioni ipsius, non tantum inde imminere periculi, ac aliis. Nam cum peregrini sint, vel â peregrinis oriundi, qui se separant à Religione Moscovitica, & ex ipsa gente Moscovitica latina sacra nemo sequatur nec intelligat, non facilè turbas excitare poterunt. Cæterum nostram de hâc Tolerantiâ sententiam, sæpius exposuimus in Præfationibus ad varios Tractatus aliorum, nostro studio & sumptibus editos, ut 1. *ad Dn. D. Laurelii Articles de la foi, Holm.* 1694. *Principi Hæreditario* CAROLO 2. *Pierre de Touche* 1695. *Principi* HEDWIGI SOPHIÆ. 3. *Epistolam Augustini de moderate coercendis Hæreticis, Reg. Sen. Comiti* Christophoro Gyllenstierna. 1696. *Censuram Episcoporum Reg. Succ. Actionum Duræi, Archiepiscopo Dno.* Swebilio b. m. *& reliquis Episcopis & Superintendentibus* 1697. 5. *Ad Dn. D. Calovii Syntagma Locorum Antisyncretisticorum* 1698. *Dn. Archiepiscopo* Erico Benzelio, *humilime & officiosissime inscriptis, ut & ad Clausulam Speculi Religionis Dn. D. Laurelii* 1699. in quibus cum Tolerantiam istam intolerandam apud nos esse debere demonstraverimus, actum hic agere nolumus. Quibus addi potest *Dn. D. Speneri Concio de Falsis Phrophetis*, hic nostra curâ & impensis recusa An. 1693. quam absque omni ratione è numero operum suorum exclusit senex, cum juniori omnium orthodoxorum amorem & favorem conciliârit.

rit. vid. *Dn. D. Pfeiffer* Lub. Antiſtitis celeb. p. m. Scepticiſmus Spenerianus part. 3. c. 1.

CAP. IX.

§. 1.

QUemadmodum Ruſſi deſudant in conſervanda avitâ religione; ita etiam nulli parcunt operæ in eadem propaganda. Ut taceam, quæ de Monachorum & Eremitarum Zelo, in adducendis populis borealibus ad ſuam fidem memorantur: haud paucos ab illis inescari audimus tam noſtræ, quam aliarum Eccleſiarum cives; quibus per ſex hebdomadas in cœnobio quodam. 1. *Haurienda elementa fidei*, quam adire cogitant. 2. *Errores abjurandi.* 3. *Homines priſtinæ religionis execrandi.* 4. *Baptiſmus denuo ſuſcipiendus*: Plura ſuppeditabunt *Opp.* c. 2, p. 13. *Petrejus* l. 6. p. 16.

§. 2. Sacris peragendis habent & ipſi Templa conſecrata, rotunditate cœlum repræſentantia: ſine ſubſelliis. De quibus *Oderbornii Ep. ad Chytr.* ita: *Ruſſi delubra habent plerumque ruri lignea, tecto ſcandulari, in ſummitate templi ſignum Chriſti in crucem ſublati conſpicitur.* Sed ſimplex figura crucis tantum apparet. De his *Olear. lib. 2. pag.* 177. ita: Ihre Kirchen ſind faſt alle auf eine Manier gebauet. Die von Steinen haben fünf Thürne/ alle rund/ faſt als Aepfel formiret/ deren gröſter in der mitten/ und

und auf jeglichen ein dreyfaches Creutz. Inwendig sind sie alle rund gewelbet/ welches sie vielleicht von den Alten her haben/ die ihre Tempel auch rund gebauet/ anzudeuten Dei adornandi majeſtatem indeterminatam. Benè *Oderbornius* addidit, plerumque eſſe lignea. Nam innumerabilia lateritia quoque ubique reperiuntur, præſertim Moſcuæ; quæ inter excellunt *S. Trinitatis, S. Michaelis Archangeli*, ubi Czares ſepeliuntur, *Metropolitanum* templum, Moſcuæ Virgini Mariæ dicatum, celebri ſtructura atque amplitudine; quod ſi *Jovio* credimus *Ariſtoteles Bononienſis, mirabilium rerum artifex & machinator inſignis, ante annos, 60. extruxit.* Scripſit *Jovius* Anno 1557. vel circiter, ut jam annos 160. floruerit.

§. 3. Nec tacendum vetuſtiſſimum & venerabile templum *Novogardiæ ante 400. annos Byzantinorum Cæſarum æmulatione Sanctæ Sophiæ, Dei filio Chriſto dicatum: Jov.* p. 170. & 172. ut conſtare queat non planè nullam fuiſſe ipſis occaſionem addiſcendæ religionis, à ſeculis benè multis, & extare apud ipſos templum ſenio venerandum, cui paucæ provinciæ antiquitate pares mónſtrabunt. De ornatu templorum exteriori ſequentia notanda: Die Kirchen aber ingeſamt in ſolchem Revier ſeynd von Steinen erbauet/und deren Glocken-Thürne mit Kupffer bedecket/ welches in der Sonnen dermaſſen ſchön leuchtet/ daß es auch dem Golde nicht ungleich kommt/ und daher Anlaß gege-

ben hat zu glauben/ als ob von der Sonnen ein so hoher Grad der Vollkommenheit wäre zu wege gebracht. *De Carlile cap. 8. pag. 120.* ubi descriptionem Moscuæ exhibet.

§. 4. Quod autem religiosissimè hæc templa venerentur, non tantum testis est *Jovius*, sed & *Ol.* l. 3. c. 27. p. 303. Sie halten die Kirchen für sehr heilige Oerter/ und ehren sie hoch/ lassen nicht gerne frembde religions-Verwandten hinein gehen, ꝛc. Sed hoc inde quoque constare arbitramur, quod non tantum fæminæ, uti *Oderborn. Ep. ad Chytr.* putat: Sed & viri, qui præterita nocte veneri militarunt, in penetralia sanctæ ædis non veniunt, ne locum profanent; illi enim in vestibulis, (πρόναος) seu tertiâ parte templi, viri à fœminis separati, stant; reliqui Ecclesiam intrant, & in secundâ parte (ναὸς) templi subsistunt. In tertiam partem (Τραπέζα) nemini præter Sacerdotem & Diaconum aditus patet. In medio *Trapezæ* positum est altare, ipsis *Prestol*; & versus orientem æstivum minus altare, *Schertwennick miesto*, locus offertorii, ubi Diaconus præparat hostiam. vide *Leon. Allatium* & alios de structura Templi Græcorum; quos inter commendationem meretur *Jac. Godofredus Exercit.* 1. *de Ecclesia. Suicerus Thes. Eccl.* voce Ναὸς, observat, partes templorum in Græca Ecclesia quinque fuisse. Βῆμα, Ἱερατεῖον i. e. Chorus, (locus Clero & Cantoribus assignatus) Ἄμβων, i. e. Pulpitum, (ubi reci-

recitabatur Evangelium & Epistolæ & verba fiebant ad populum) Ναὸς i. e. Navis (ubi populus orabat, sexu per tabulata diviso) & Βαπτιςήριον propè πρόναον, ubi hærebant pœnitentes. Ipsorum Templorum totidem formæ. vide *Hofm. Lex. Univ. Contin. Tom. 3. pag. 27.* Majora *Chram* appellantur, Russis ædificium per Excellentiam, & cruce distinguuntur. Minora *Tschassovni, quia ibi* tantum breviarium dicitur, missa non celebratur, nisi necessitate exigente. Ingens utriusque generis numerus, sed horum longè maximus, cum in singulis pagis, imo Magnatum ædibus Moscuæ exstructa, Diis tutelaribus excipiendis dicatà, in quibus raró sacra peraguntur, tempore sc. quo festum sancti Patroni pagi celebratur. De campanis hoc habendum, peculiarem Deo cultum iis exhiberi credunt, ideoque ipsorum usu in excessu peccant. In cœmeteriis ædificant fabricas ligneas, in quibus librantur campanæ, nunc singulæ, nunc binæ, nunc trinæ *Clem. Adam.* p. 365. Reipubl. Moscoviticæ. Harum una est tantæ magnitudinis, ut parem orbis non habeat. Im Glocken-Thurm hänget die sehr grosse Glocke/ welche seither wenig Jahren von einem Moscowiter gegossen worden/ und dreyhundert und sechs und funfzig Centner schwer seyn soll. Sie hat neun Klaster im Umkreise/ und dahero folget/ daß sie deren 3. haben müsse nach dem Diametro, so daß 40. in 50. Personen in solcher Glocke raum haben können. *Car-*

monio multorum. 10. *Matrimonium esse ordinationem divinam, non concedere. (Unde periculum infamæ commixtionis.)* 11. *Nihili facere argumenta, licet stringentia, contra se allata.* 12. *Sectæ propagandæ studiosissimos non tantum Diakos, sed & rusticos, vetulas, opiliones: ita 50. familias attraxisse in sua retia.* 13. *Fovere quoque desperata consilia, eruptura, si quis eos à Religione sua dimovere tentaret.*

§. 14. Non autem prius in eos sævitum, quam tentatum fuisset, an non docendo in viam reduci possent. Quâ fini Czares duo convocarunt Concilia, & Patriarcha *Joakimus* peculiari tractatu ipsos erroris convincere & in viam revocare conatus est: de quibus infra pluribus.

§. 15. Memorabile prorsus est exemplum pœnæ in Hæreticos exercitæ, quod apud *Warmund.* cap. 4. pag. 21. adducitur: *Sectas*, inquit, *alias omnes, non judicant esse Christianos, sed Fanaticos, & Sacrilegos: uti patet ex eo, quod nuper notus Hæreticus Quirinus Kuhlman, Silesius, cum alio Moscua vivus combustus est.* Quod hâc ratione factum. *Cum memoratus Kuhlman, Sutoris Böhmii Scripta Lugduni Batavorum denuò defendere ausus esset, & novas turbas dare, sectamque ibi instituere parasset, ab illâ Universitate summâ cum infamiâ relegabatur. Inde se in Angliam contulit, ibi somnia sua divulgaturus. Cum vero illo quoque Regno excedere juberetur, ad incitas redactus in Moscoviam secessit,*

cessit, ubi in Metropoli divertit ad quendam ejusdem farinæ, Norderman dictum, qui olim mercator germanus fuerat, postea variis erroribus indulserat, & tandem inter alios hanc fovere ceperat sententiam: Necessum esse, ut Christus, instar magni Prophetæ adhuc semel in mundum cum multis miraculis veniens, omnes homines convertat & secum in regnum suum ducat. *Hic quo magis admonebatur, ut huic nuncium mitteret, eo plus in sua sententia perstitit, donec tandem tractatulum Linguâ Russicâ cornasisset, & primario cuidam status Ministro obtulisset, obnixè rogans, ut impressionem promoveret. Vir autem ille ipsum debortaturus dicebat:* Norderman, mente ne captus es plane? scis me tibi amicitiâ devinctum, consulo tibi, ut ab incepto desistas, & in melius mutes sententiam, alioquin certò flammis adjudicaberis. *Norderman hic vero, susque deque habitâ admonitione salutari, abit in Typographiam, rogans, hoc opusculum imprimere velint. Cum autem Typographus se excusasset, hoc sibi absque Patriarchæ veniâ non licere; adegit illum Norderman, ut Patriarchæ librum censendum offerret. Patriarcha fanaticum scriptum ubi perlegisset, jubet statim utrumque & Norderman & Kuhlman in carcerem abduci; & cum Norderman fanaticam opinionem revocare nullo vellet pacto, uterque in balneo quodam vivi combusti sunt.*

brand : A l'egard des Catoliques Romains, que les Moscovites ne voient pas de bon œil non plus que les juifs, ils ne peuvent faire leur devotion, que dans une maison, qu' ils ont achetée, neanmoins cela ne leur a été accordé qu' à condition qu' aucun Jesuite ne viendra ? établir dans le Royaume, ny y dire la Messe, auquel cas s' il y étoit attrappé, il seroit sur le champ banni du pais, comme cela arriva, il y a quelques années à un Jesuite qui avoit eu la hardiesse de le faire pag. 5. Reliquis Sectis inter ipsos enatis nullum dari domicilium, vel fata Roskolkiana edocere possunt.

§. 3. Hic commodus sese offert locus inserendi §. 2. Edicti Czaris PETRI An. 1702. die 20. Apr. publicati, cujus hic est tenor: Und weil auch bereits allhier in Unserer Residenz das freye Exercitium Religionis aller andern/obgleich mit unsrer Kirchen nicht übereinstimmender Christlichen Secten, eingeführet ist; so soll auch solches hiemit von neuen bestätiget seyn; solcher gestalt daß Wir bey der Uns von dem Allerhöchsten verliehenen Gewalt/ Uns keines Zwanges über die Gewissen der Menschen anmassen/ und gerne zulassen/ daß ein jeder Christ auf seine eigene Verantwortung/ sich die Sorge seiner Seligkeit lasse angelegen seyn. Also wollen wir auch kräfftiglich darob halten/ daß dem bißherigen Gebrauche nach/ niemand in obgemeldter seiner so öffentlichen als privat-Religions Ubung soll beeinträchtiget/ sondern bey solchem Exercitio vor allermänniglichen Turba-

tion geschützet und gehandhabet werden. Und da sichs zutrüge/ daß etwa an einem/ oder andern Orte unsers Reichs/ oder bey unser Armée und Guarnison kein ordentliches Ministerium Ecclesiasticum, Prediger oder Kirche verhanden wäre; so soll doch ein jeder befuget seyn/ nicht allein in seinem Hause/ und vor sich und die seinigen/ GOtt dem HErrn zu dienen/ sondern auch die jenigen/ die sich daselbst versammlen wollen/ um nach Anweisung der allgemeinen Ordnung Christlicher Kirchen/ GOtt aus einem Munde zu loben/ entgegen zu nehmen/ und also den Gottesdienst zu verrichten. Und wann sich auch bey unsern Arméen eintzele Officirere oder gantze Corps von Regimentern und Compagnien befinden/ welche mit Predigern versehen sind; so sollen sie allerdings aller derselben Immuniteten, Privilegien und Freyheiten geniessen/ wie wir allhier in unserer Residence/ auch in Archangel und andern Orten/ sothane Kirchen verstattet haben/ und wie solches nicht allein bey Verwaltung des ordentlichen Predigt-Ampts/ sondern auch bey Austheilung der Heiligen Sacramenten, und andern Actibus Parochialibus allhier gebräuchlich ist; allermassen wir auch sonsten auf sothanen Religions-Verwandten Gesuch/ ihnen vergönnen auch anderswo aufs neue Kirchen zu bauen. Extat in Fama pag. 1024. & aufgefangener Brieffe 3. Paquet der dritten ravage pag. 244. Unde mitiora Pontificiis quoque nunc esse Moscuæ fata, liquido apparet.

§. 4.

§. 4. Hujus Principis Exemplo, si quis Tolerantiam Religionum ubique introductam vellet, meminerit, ipsi & religioni ipsius, non tantum inde imminere periculi, ac aliis. Nam cum peregrini sint, vel â peregrinis oriundi, qui se separant à Religione Moscovitica, & ex ipsa gente Moscovitica latina sacra nemo sequatur nec intelligat, non facilè turbas excitare poterunt. Cæterum nostram de hâc Tolerantiâ sententiam, sæpius exposuimus in Præfationibus ad varios Tractatus aliorum, nostro studio & sumptibus editos, ut 1. *ad Dn. D. Laurelii Articles de la foi, Holm.* 1694. *Principi Hæreditario* CAROLO 2. *Pierre de Touche* 1695. *Principi* HEDWIGI SOPHIÆ. 3. *Epistolam Augustini de moderate coercendis Hæreticis, Reg. Sen. Comiti* Christophoro Gyllenstierna. 1696. *Censuram Episcoporum Reg. Succ. Actionum Duræi, Archiepiscopo Dno.* Swebilio b. m. *& reliquis Episcopis & Superintendentibus* 1697. 5. *Ad Dn. D. Calovii Syntagma Locorum Antisyncretisticorum* 1698. *Dn. Archiepiscopo* Erico Benzelio, *humilime & officiosissime inscriptis, ut & ad Clausulam Speculi Religionis Dn. D. Laurelii* 1699. in quibus cum Tolerantiam istam intolerandam apud nos esse debere demonstraverimus, actum hic agere nolumus. Quibus addi potest *Dn. D. Speneri Concio de Falsis Phrophetis,* hic nostra curâ & impensis recusa An. 1693. quam absque omni ratione è numero operum suorum exclusit senex, cum juniori omnium orthodoxorum amorem & favorem conciliâ-

 rit.

rit. vid. *Dn. D. Pfeiffer* Lub. Antiſtitis celeb. p. m. Scepticiſmus Spenerianus part. 3. c. 1.

CAP. IX.

§. 1.

QUemadmodum Ruſſi deſudant in conſervanda avitâ religione; ita etiam nulli parcunt operæ in eadem propaganda. Ut taceam, quæ de Monachorum & Eremitarum Zelo, in adducendis populis borealibus ad ſuam fidem memorantur: haud paucos ab illis inescari audimus tam noſtræ, quam aliarum Eccleſiarum cives; quibus per ſex hebdomadas in cœnobio quodam. 1. *Haurienda elementa fidei*, quam adire cogitant. 2. *Errores abjurandi.* 3. *Homines priſtinæ religionis execrandi.* 4. *Baptiſmus denuo ſuſcipiendus*: Plura ſuppeditabunt *Opp.* c. 2. p. 13. *Petrejus* l. 6. p. 16.

§. 2. Sacris peragendis habent & ipſi Templa conſecrata, rotunditate cœlum repræſentantia: ſine ſubſelliis. De quibus *Oderbornii Ep. ad Chytr.* ita: *Ruſſi delubra habent plerumque ruri lignea, tecto ſcandulari, in ſummitate templi ſignum Chriſti in crucem ſublati conſpicitur.* Sed ſimplex figura crucis tantum apparet. De his *Olear. lib. 2. pag.* 177. ita: Ihre Kirchen ſind faſt alle auf eine Manier gebauet. Die von Steinen haben fünf Thürne/ alle rund/ faſt als Aepfel formiret/ deren gröſter in der mitten/

und

und auf jeglichen ein dreyfaches Creutz. Inwendig sind sie alle rund gewelbet/ welches sie vielleicht von den Alten her haben/ die ihre Tempel auch rund gebauet/ anzudeuten Dei adornandi majestatem indeterminatam. Benè *Oderbornius* addidit, plerumque esse lignea. Nam innumerabilia lateritia quoque ubique reperiuntur, præsertim Moscuæ; quæ inter excellunt *S. Trinitatis, S. Michaelis Archangeli,* ubi Czares sepeliuntur, *Metropolitanum* templum, Moscuæ Virgini Mariæ dicatum, celebri structura atque amplitudine; quod si *Jovio* credimus *Aristoteles Bononiensis, mirabilium rerum artifex & machinator insignis, ante annos, 60. extruxit.* Scripsit *Jovius* Anno 1557. vel circiter, ut jam annos 160. floruerit.

§. 3. Nec tacendum vetustissimum & venerabile templum *Novogardiæ ante 400. annos Byzantinorum Cæsarum æmulatione Sanctæ Sophiæ, Dei filio Christo dicatum: Jov.* p. 170. & 172. ut constare queat non planè nullam fuisse ipsis occasionem addiscendæ religionis, à seculis benè multis, & extare apud ipsos templum senio venerandum, cui paucæ provinciæ antiquitate pares mònstrabunt. De ornatu templorum exteriori sequentia notanda: Die Kirchen aber ingesamt in solchem Revier seynd von Steinen erbauet/und deren Glocken-Thürne mit Kupffer bedecket/ welches in der Sonnen dermassen schön leuchtet/ daß es auch dem Golde nicht ungleich kommt/ und daher Anlaß gege-

ben hat zu glauben/ als ob von der Sonnen ein so hoher Grad der Vollkommenheit wäre zu wege gebracht. *De Carlile cap. 8. pag. 120.* ubi descriptionem Moscuæ exhibet.

§. 4. Quod autem religiosissimè hæc templa venerentur, non tantum testis est *Jovius*, sed & *Ol.* l. 3. c. 27. p. 303. Sie halten die Kirchen für sehr heilige Oerter/ und ehren sie hoch/ lassen nicht gerne frembde religions-Verwandten hinein gehen/ rc. Sed hoc inde quoque constare arbitramur, quod non tantum fæminæ, uti *Oderborn. Ep. ad Chytr.* putat: Sed & viri, qui præterita nocte veneri militarunt, in penetralia sanctæ ædis non veniunt, ne locum profanent; illi enim in vestibulis, (προναος) seu tertiâ parte templi, viri à fœminis separati, stant; reliqui Ecclesiam intrant, & in secundâ parte (ναός) templi subsistunt. In tertiam partem (Τραπέζα) nemini præter Sacerdotem & Diaconum aditus patet. In medio *Trapeza* positum est altare, ipsis *Prestol*, & versus orientem æstivum minus altare, *Schertwennick miesto*, locus offertorii, ubi Diaconus præparat hostiam. vide *Leon. Allatium* & alios de structura Templi Græcorum; quos inter commendationem meretur *Jac. Godofredus Exercit.* 1. *de Ecclesia. Suicerus Thes. Eccl.* voce Ναός, observat, partes templorum in Græca Ecclesia quinque fuisse. Βῆμα, Ἱερατεῖον i. e. Chorus, (locus Clero & Cantoribus assignatus) Ἄμβων, i. e. Pulpitum, (ubi reci-

recitabatur Evangelium & Epistolæ & verba fiebant ad populum) Ναὸς i. e. Navis (ubi populus orabat, sexu per tabulata diviso) & Βαπτιςήριον propè πρόναον, ubi hærebant pœnitentes. Ipsorum Templorum totidem formæ. vide *Hofm. Lex. Univ. Contin. Tom. 3. pag. 27.* Majora *Chram* appellantur, Russis ædificium per Excellentiam, & cruce distinguuntur. Minora *Tschassovni*, *quia ibi* tantum breviarium dicitur, missa non celebratur, nisi necessitate exigente. Ingens utriusque generis numerus, sed horum longè maximus, cum in singulis pagis, imo Magnatum ædibus Moscuæ exstructa, Diis tutelaribus excipiendis dicata, in quibus rarò sacra peraguntur, tempore sc. quo festum sancti Patroni pagi celebratur. De campanis hoc habendum, peculiarem Deo cultum iis exhiberi credunt, ideoque ipsorum usu in excessu peccant. In cœmeteriis ædificant fabricas ligneas, in quibus librantur campanæ, nunc singulæ, nunc binæ, nunc trinæ *Clem. Adam.* p. 365. Reipubl. Moscoviticæ. Harum una est tantæ magnitudinis, ut parem orbis non habeat. Im Glocken-Thurm hänget die sehr grosse Glocke/ welche seither wenig Jahren von einem Moscowiter gegossen worden/ und dreyhundert und sechs und funfzig Centner schwer seyn soll. Sie hat neun Klaffter im Umkreise/ und dahero folget/ daß sie deren 3. haben müsse nach dem Diametro, so daß 40. in 50. Personen in solcher Glocke raum haben können. *Car-*

lile c. 8. p. 121. Alius meminit *Ol*, l. 3. c. 1. p. 147. Templorum picturam vid. *Ol. l. c. & l. 1. c. 12. p. 45.*

§. 5. In his sacra peraguntur *Linguâ Slavonicâ*, ut apud Græcos græca, quo ipsi Pontificiis sunt feliciores, quibus Latina, licet paucissimis auditorum intellecta, in deliciis. Quanquam si quod verum est fateri velimus, rudi plebeculæ Moscoviticæ, paulo minus sit peregrina Slavonica, ac Latina Pontificiis.

§. 6. Libertatem hanc concessit *Joannes* Pontifex Moravis, quorum regionem latissime patuisse & terminum Europæ constituisse observavit *Sch. cap. 1.* Concessio *Joannis 8. Epist. ad Swentopulcum Moraviæ Comitem* ita habet: *Literas Slavonicas à Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonent, jure laudamus, & ut in eâdem linguâ Christi Dei præconia & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantum sed omnibus linguis Dominum laudare, auctoritate sacra monemur, quum præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes Gentes &c. Nec sacræ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missam in eâdem linguâ Slavonicâ canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas N. & V. Testamenti benè translatas & interpretatas legere &c.* Pontificiis, Latinam Linguam in Synodo Tridentina canonizantibus, hic locus sudes est in oculis. Epist. integra reperitur *apud Baron. Tom. 10. annal. ad an. 880. n. 16. seqq.* In *Dalmatia quoque & Illyrico &c.* hodieque Missa dicitur linguâ vernaculâ Slavonica. *Innocentius XII.* jussit Missalia in Linguam

guam literalem Slavicam transferri, ope *Dictionarii Latino-Moscovitici Dn. Sparswenfeldii*, quod ille ipsi Papæ obtulit die 4. Junii 1692. Dialectum illyricam addet *Pastricius, in Collegio de Propaganda Fide Professor Theologiæ*. Refert autem laudatus *Dn. Sparswenfeldt*, quod librum à se oblatum, Papa Thesaurum nominarit, & stans, subalari fulcro nixus, gratias ipsi porrectâ manu & ore proprio egerit, quin & ut in omnibus expeditioni ipsius faverent, jusserit Cardinales præsentes.

§. 7. Cultum Numini exhibendum potissimum faciunt consistere, in recitatione Sacræ Scripturæ novi Testamenti, quam sanctiores sacerdotes prælegunt, si *Jovio* fides. Vetus autem Testamentum tanquam minus sanctum, in publico templo non adhibent, putantes hoc illo profanari, cum in Vet. Testamento multa impudica & libidinosa contineantur facta. *Olear. lib. 3. Itin. Persici p. 276.*

§. 8. Bene monuit *Dn. S:r. cap. 3. pag. 42.* Non sic primum à Moscovitis detrahi V. Testamento; sed jam olim à Simonianis, Basilidianis, Marcionitis, Manichæis idem factitatum, de quo *Irenæus l. 1. advers. Hæres. cap. 20. 22. Epiphan. hæres. 56.* legendi, & ad animum revocandum, *Magni Chemnitii dictum hypomnem. 7. pag. 17. Antiquas hæreses, diversis temporibus variatis paulisper coloribus, rursus ab inferis excitari.*

§. 9. Utut autem in ædibus privatis Codi-

dicem sacrum integrum recipiant, & sic antiquis hæreticis meliores sint: imo & Persis *qui eum planè contemnunt*, *Olear.* l. 5. c. 40. pag. 683. dicentes eum esse à Judæis & Christianis corruptum: novum proinde in Alcorano fuisse mittendum: cujus Author impurissimus *Mahomet*, qui peculiarem concinnavit Theologiam à Turcis receptam: Sed à *Dn. Petro Holm*, postea Profess. Theol. Upsaliensi profligatam, in erudito plane tractatu: *Theologiæ Muhammedanæ Brevis consideratio dicto.* Jenæ ed. 1664. qui part. 2. c. 1. Cont. 1. S. Scripturæ Majestatem vindicat: Tamen excludendo è templis errant errorem, minimè tolerandum. 1. Quia tota Scriptura V. Testamenti ab Apostolo Rom. I, vers. 21. 2. Tim. III, v. 15. adprobatur. 2. Tota inspirata à Spiritu Sancto. 2. Tim. III, 16. 3. Tota per sanctos viros tradita. 2. Pet. I, v. 21. 4. Doctrinam tota continet sanctam 2. Tim. III, v. 16. ad sanctitatem homini implantandam. 5. Totam scutari jubemur Joh. V, v. 39. 6. Tota est fundamentum Ecclesiæ, Ephes. II, vers. 20. 7. Tota in templo Hierosolymitano asservata. Plures rationes exhibet *Dn. Sir. c. 3. p. 43.* Hinc factum ut *Confessio* Mosc. part I. q. 54. p. 97. ex 2. Pet. I, 19. *Vet. Test.* authoritatem stabiliat.

§. 10. Quod autem Flamines tam offensatè legant, ut nec ipse qui legit, intelligat, nec illi qui audiunt, cum lectio sæpissimè fiat inter auditorum confabulationes & strepitum, annotante ex *Clem. Ad. Opp.* cap. 2. p. 6.

non

non tantum est verissimum, sed dolendum quam maxime; cum ita omnis inde sperata auditorum ædificatio, in fumos abeat. Nec video, quid moverit *Oderbornium*, ut scriberet: *Quod si Sacerdos inter legendum aut erret aut lingua titubet, aut vocem aliquam depressius enuntiet, gravissimè propterea ab auditoribus objurgatur, qui eum & sacro loco indignum, & libros alii tradendos, unanimi voce proclamant, Epist. ad Chytr. p. 132.* nisi dixeris, in quibusdam hoc observari Ecclesiis.

§. 11. Devotionem auditorum sic depingit eadem Epistola: *Ad Ecclesiam summâ cum festinatione properant. Verum enimvero pedem domo non efferunt, nisi prius Genium suum dictis precibus mitigaverint. Habet enim tabellam quisque ligneam, in qua capita aliquot sanctorum depicta conspiciuntur, ad hanc cum totâ familiâ accedentes, cum gemitu & lacrymis* S. Nicolaum *ejusque in cœlo commilitones, pro salute domus suæ supplices deprecantur, atque interim tantâ cum devotione pectus tundunt* (Exemplo sumto à publicano Luc. XVIII.) *ut cuivis adstanti facile cordolium excitent. Jamque Penatibus placatis ad sacram ædem discedunt, cujus limina quam primum tetigerunt, magna cum reverentia caput telluri illidunt. Et sane si frons animi janua rectè dicitur, non video, quali sub sidere homines numen Dei religiosius adoraturi sint, quam hi, de quibus loquimur, si modo pro vanis fabulis verbi cœlestis veritatem aliquandò cognoscant. Dolendum autem magnoperè est, lucem clarissimam Evangelii illis nondum illuxisse.*

§. 12.

§. 12. Video quoque ipsis exprobrari, quod fabulas & legendas easque spurcas populo prælegant, quod inter alios facit *Sir. c. 5. pag. 38. Errore 2. Cont. art. de Sacra Scriptura*, ubi eis fide *Oderb. Epist. ad Chytr.* qui queritur: *se Evangelii lectionem unam nunquam audivisse*; & ubi de libris ipsorum sermonem instituisset, subdit: *neque quare hos libros possideant scire possum, cum diebus dominicis puras solummodo fabulas populo prælegant*: exemplumque fabulæ addit plures ejusmodi abominandas adducit *Sir. c. 5. p. 40.* Sed uti antiquitus id moris ipsis fuisse negare non ausim; ita non dubitarim, asserere hodie tale quid in templis minime committi. Nam ut taceam me sollicitâ cura excussisse omnes septem majorum Ecclesiarum Russicarum, quæ in Ingria nostra fuêre, loculos, & omnes perlustrasse libros, nihilque ejusmodi nugarum invenisse; Revaliæ quoque Russorum templum adeundi copiâ mihi facta, libros à Czare donatos splendidos inveni, in quibus ejusmodi fabularum neque vola neque vestigium apparuit. In istis Sanctorum fortè occurrent fabulosa, sed spurca non crediderim iri repertum.

§. 13. *Organa pneumatica*, & alia *instrumenta Musica* suis Templis non inferunt; contendentes iis vitâ destitutis, DEI laudes celebrari non posse. Et quanquam ipsis *Psalmos Davidis* & instrumenta in Templo Hierosolymitano adhibita proponas; Respondent: hæc

hæc in Veter. Testamento quidem in usu fuisse, sed in Novo abrogata. *Olear. l. 3. cap. 27. pag. 302.*

§. 14. In fundendis precibus occupati, genua nunquam ponunt: Sed vel erecti, vel in terram prostrati orant. Eos qui in genua procumbunt, imitari dicunt milites Christo illudentes. *Olearius* itaque asserens, quod precentur procidentes in genua, à vero aberrat l. 3. c. 27. p. 502. Die Russen haben in ihren Kirchen weder Stüle noch Bäncke/ denn es muß niemand sitzend/ sondern alle auf der Erden kniend/ oder liegend ihr Gebet und Gottesdienst verrichten.

CAP. X.

§. 1.

Hic jam offert sese commoda occasio, disserendi de libris, quorum usus in Templis ipsorum. Primo loco nominanda *Sacra Script. Nov. Test.* uti cap. præcedenti §. 7. jam indicavimus. Hic autem paulo curatius inquirendum, in partes illas Scripturæ Sacræ quas Templis inferunt: quas inter eminent, *quatuor Evangelistæ*, (Evangelie!) ç mscr. & splendide compacti, laminis argenteis ornati, in altaribus syndoni involuti, inveniebantur: tam sanctè habiti, ut non nisi signo crucis primum muniti, & peculiari amiculo manu involuta, contrectare eadem ausi fuerint.

Sed

Sed *Acta Apostolorum & Epistolæ* (Apostol ipsis dictæ) in cathedra ecclesiastica reponuntur. *Psalterium* Davidis, cum variis sanctorum *Liturgiis & Patrum* fragmentis, licet alii defuerint, ad manus esse debent. E Patribus pauci in templis comparent, licet satis magno numero in suam linguam habeant conversos, ita ut *Jovius* asserat, *quod in linguam Illyricam, ingens multitudo librorum sacrorum translata.* Et ne translatores ignores, *Hieronymum* & *Cyrillum* nobis sistit.

§. 2. Translatorum cum injecta sit mentio, commodè ventilabimus quæstionem de versione Slavonica *sacrorum Bibliorum & 1. à quo facta. 2. an ex ipsis fontibus, vel aliis adornata sit translationibus.* Prius quod concernit, in varias abeunt Eruditi sententias. Nam si Moscovitica Translatio eadem est, quam *Hieronymus* in lingua Dalmatica exhibuit, quæ Slavonica vel ejus Dialectus, cum certum sit, quod exstiterit ejusmodi Bibliorum versio, licet auctores ignorati, teste *Jesuita Contzen, quæst. proœm. in Nov. Testam. qu. 4. §. 10.* Hieronymo utique tribuenda quoque Moscovitica.

§. 3. Sed ut verum fateamur, non videmus, cur ab illustris *Scaligeri* sententiâ recedamus, qui observavit exstare translationem in linguam Slavonicam, *Hieronymi* Dalmaticâ posteriorem, charactere Serviano, non ut illa *Hieronymi* Dalmatico; & hanc ipsam esse, cujus

jus in Moldavia, Russia &c. hodieque usus est. Sit itaque *Methodius* auctor versionis: Quoniam vero fuerit, non ita certò constat. Videtur hic Methodius, unus idemque fuisse cum *Methodio Moraviensis Ecclesf. Archiepiscopo*, ad quem *Johannes VIII. Papa Epist.* exaravit (quæ apud *Binium Tom. 3. Concil. Gen. part. 2, pag. 995. ordine est 268.*) de quo *Aventinus*, cui diligentiæ laudem meritò tibuunt, *Annal. Bojorum l. 4. pag. 59.* refert, *quod ob bella crebra Moraviâ relictâ in Dalmatiam abierit, ibique inventis literis ad Moravos redierit, ab ipsis dein in sanctorum numerum relatus & religiosè cultus.*

§. 4. Sed juvat audire ipsum Aventinum l. c. sic loquentem: *Eadem tempestate (Ludovico Augusto imperante & Joan 8. sedente, secul. 9.) Methodius Philosophus Venedas invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum Slavorum sermonem, persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut explosâ linguâ latinâ, exsibilatoque ritu Romano, suum consecrarent eloquium. Idem vero, hoc cum & incolis in Bojoariæ regno persuadere conaretur, factione Juvavensium mystarum inde pulsus, in Moraviam aufugit, ibique in urbe Ulmutz humatus est.* *Latus Compend. Histor. Univ.* de eo refert: *quod sub Ludovico II. Imper. Dalmatas & Slavos converterit A. Chr. 862. Bohemos dein ad fidem perduxit, Borzivoo R. baptizato, A. Chr. 894. quibus ut & Moravis, jam antea se conversis, adhuc A. C. 910. diligenter Christum prædicavit.* Ex Læto *Hofm.*

 Lex.

Lex. Univ. Tom. I. p. 1035. A *Cyrillo* fratre adjutum contendit *Frencelius, de originibus linguæ Sorabicæ in Præf. ad Lect.* Sed *Brerewodus Scrut. Rel.* c. 17. p. 146. cum *Scaligero* versionem *Methodio* tribuit. Quis autem hic *Cyrillus* fuerit, & quomodo *Mutius Pansa* aberrarit, vel *Alexandrinum*, vel *Hierosolymitanum* credendo: cum hic *An. Chr.* 860. *deum vixerit*, vide sis l. c. *Moravorum Præsulem fuisse docet* Hofm. *Lex. Univ. Tom. I. pag.* 517.

§. 5. Ceterum *Dn. Olear.* l. 3. c. 21. p. 276. quod posterius spectat, an sc. *è fontibus facta*, sic definit; *quod Vetus Testamentum juxta LXX. Interpretum versionem adornatum sit. Novum autem Testamentum, juxta versionem Vulgatam.* Die Heilige Bibel haben sie / und zwar das Alte Testament nach den 70. Griechischen Dolmetschern / das Neue aber nach der gemeinen Ubersetzung / in Sclavonischer und Rußischer Sprache beschrieben und gedrucket. (ubi Sclavonivonica & Russica eadem lingua consenda.) Quoad Vetus adstipulamur *Dn. Sch. c.* 1. asserenti, neminem magnoperè impugnaturum ex LXX. fluxisse, cum illa versio primitivæ Ecclesiæ temporibus in magna fuerit authoritate; adeo ut illi Doctores plurimum tribuant, quos inter *augustissimus Latinorum Pater Augustinus l.* 15. *de Civ. Dei c.* 23. *sensit*, quod *illi spiritu Prophetico Vetus Testamentum verterint.* Cujus vestigia pressit *Bellarminus l.* 2. *de Verbo Dei* c. 6. asserens, quod *LXX. Interpretes pecu-*

tia-

liari modo Spiritum Sanctum adsistentem habuerint, ne quâ in re errarent, ut non tam interpretes, quam Prophetæ esse videantur; quos tamen collatio cum Authentico fonte Hebræo instituta, à veritatis tramite aberrasse sæpius, evidentissimè convincit.

§. 6. Quod si expendissent *Morinus & Is. Vossius*; ille l. 1. *Exercit. 6. c. 1. p.* 183. vix scripsisset: *Certum est antiquam illam LXX. translationem authenticam fuisse: alias enim nullo verbo Dei authentico quingentis annis usa esset universa Ecclesia, nullo Apostoli Apostolorumque successores, qui alia translatione nec ipsi usi sunt, nec aliam Ecclesiis Dei utendam tradiderunt*: Hic autem peculiaribus Diatribis evincere non allaborasset, *ipsam textui sacro præferendam*; quibus se è nostratibus *D. Gerb. Disp. Isag. de Sacra Scriptura c.* 17. §. 6. *D Calovius Crit. Sacra pag.* 787. *seq. D. Walth. Offic. Bibl.* §. 339. *seq. e Pontificiis*, Huntlæus *Tom I. Controv. cap.* 11. *pag.* 42. *Bonfrerius proleg. in Lib. Mosis & alii* opposuêre; Textumque Hebræum illi præferendum, optimo jure statuunt.

§. 7. Uti autem pollicem *Oleario* libenter pressimus in iis quæ de Vet. Testamento attulit, non tamen idem facere quimus quoad Novum; licet videamus alios eidem accedere, quos inter *Opp. cap.* 2. *p.* 6. *qui interpretationem cum versione V. Test. LXX. & Nov. Testamenti cum Vulgatâ congruere ex amico, qui biennium nuper in Russia docendo transegerat, utrâ-*

que versione collatâ intellexisse se contendit. Nam bene observat *Sch. cap. 1.* id scrupulum injicere posse, *quomodo Russica secundum Vulgatam adornata, cum Græci semper ab Ecclesiâ Latinâ averso fuerint animo, adeoque minimè consentaneum, fonte deserto rivulos sectatos:* qui tamen rem minime confecit recurrendo ad *Hieronymum*; quod cum à Pontificiis Vulgatæ auctor statuatur, sic is Slavonicæ quoque scriptor, potuerit Vulgatæ rationem habere; quod memoratus *Sch.* certò asserere non sustinuit; nec potuit, cum *Methodium* hæc maneat gloria.

§. 8. Unde nos collationem instituentes, discrepantiamque inter utramque invenientes, cum Slavonica presse verborum ordinem, à quo Vulgata sæpius recedit, sequatur, non dubitamus asserere, è fonte factam, & amicum *Oppenbuschii* haud accuratè utramque contulisse. Uno & altero exemplo fidem assertioni conciliabimus. Contulimus autem loca sequentia, eo maximè nomine, quod in *Manuali* ipsorum compareant. In formula benedictionis Matrimonii. *Joh. 2. 6. lapideæ hydriæ* V. Sed in Gr. est: *hydriæ lapideæ*; Sic & Biblia Russica. Ib. omisit *V. ἀνὰ sed R. vertit πο*, circiter. *Eph. V. 23.* Gr. *& ipse est*, sic R. Vulg. omittit, *& est.* ibid. Gr. *corporis.* sic R. addit V. *ejus.* Vers. 29. Gr. *suam carnem*, sic R. & Pagn. Ast. V. *carnem suam.* ib. Gr. Κύριος *Dominus* sic. R. & Pag. Sed. V. *Christus.* v. 31. Gr. *relinquet patrem suum & matrem.* sic R. Pagn. omittit:

mittit: *suum.* Vulg. *patrem & matrem suam.* G. εἰς σάρκα μίαν. R. sic. V. & P. *in carne unâ* ib. V. *in Christo.* P. *de Christo.* R. *in Christum.* Sic Gr. v. 33. οὕτως. R. & P. *ita.* V. omittit. In formula sepulturæ occurrit *Joh. VI. v.* 35. & 37. & 38. in quibus loca per participium in Græco prolata; per participium *Russus* explicat. *Vulg.* per pronomen qui. Sed participium activum Vulgata quoque per participium reddit. 1. *Cor. XV. v.* 20. Gr. *dormientium* per participium. sic V. At R. *mortuorum.* P. qui *obdormierunt.* Gr. *primitiæ dormientium* ἐγένετο sic R. V. omittit *factus.* V. 15. Gr. *Carò mea est, quam Ego dabo pro mundi vita.* Sic R. & P. At *Vulg.* omittit: quam ego dabo. *Rom. VI. v.* 4. addit Russ. *incipiamus.* quod nec in Gr. nec in V. vers. 6. V. *ut ultra non serviamus. Gr.* addit. *nos.* Sic R. & P. *Matth. XXVIII. v.* 19. Gr. *Sancti Spiritus.* Sic R. sed Vulg. & P. *Spiritus Sancti.*

§. 9. Speramus quoque nos Lectori benevolo haud ingratam facturos rem, si quod in medio relinquit *Dn. Sch. c.* 1. determinaverimus, quoad aliam *versionem Slavonicam*, de quâ ille ita: *Typis quidem impressa extat versio Bibliorum Sclavonica, literis latinis s. Dalmaticis, ut vocant, Witeberga superioris seculi* Anno 1584. *exscripta, apud Johannis Cratonis hæredes* (& hanc in illustri inclutæ Academiæ hujus Bibliotheca videre mihi contigit) *Ast num eadem hæc sit cum Slavonica, qua Russi hodie utuntur, meum non est judicare, quippe cum Russicam oculis usur-*

pare nondum licuerit. Videtur subdubitasse *Dn. Sch.* an *Oratio Dominica*, quam exhibet *cap.* 1. ex libellis *Catechet. Russorum & Rocha iisdem in Bibliis Russicis concepta verbis:* Alias ipsi haud difficilè fuisset statuere, non esse eandem; cum notabilis in orationis Dominicæ translatione occurrat differentia. Sed antequam eam monstramus, pace viri optimi, licebit annotare, quod nec Lecturam linguæ Russicæ, nec ipsam linguam calluerit: Hinc abbreviationibus delusus, malè in petitione 1. scripsit Dastetsi: pro Da suiatetsi. In 5. Ostavlem, pro Ostavliajem &c. jam si conferamus utramque versionem, discrepantia deprehendetur maxima. Exordium Russicè ita sonat: *Otze nasch ische jesi na nebesech.* At in Witteb. (quæ è germanicâ Lutheri versa â *M. Georgio Dalmatien,* qui *Vetus* & *Trubero* qui *Novum Testamentum* transtulêre, cujus Exemplar impressum à se visum, sibique placuisse docet *Frencelius de Ling. Sorab. in Pæf. Sparfwenfeldiana Bibliotheca* item in folio servat) *Nasch Otze kir si v' nebesich.* 1. Petitio Russ. *Da Suiatetsi ima twoje.* In Witteb. *Posvitschenu bodi twoje ime.* 2. Russ. *Daprüdet Zarstwie twoje.* Witt. *pridi twoje Kraileftwu:* quæ sufficere possunt ad evincendam differentiam.

§. 10. Sed nec ea quæ *Schwabio* dicitur è *Rocha* desumta, concordat cum illâ quam exhibet *Boxhorn. in Rep. Moscov.* 194. ex *Bibliotheca Vaticana Angeli Rocha,* quæ magis translationi codicis Witteb. conformis est, quam Russicæ; sed

ſed ab utraque abit. Nec Slavonica literis, latinis, prout oportuit, (*quod impoſſibile fortaſſe*) deſcripta: quod an typographo, an exſcriptori tribuendum non definio. Hoc aſſerere queo, eos qui de translationibus ex aliorum ſententiâ ferunt judicium, cum ipſimet linguæ ignari, in devia facilè prolabi. Integram orationem dominicam, infra ubi eò perventum fuerit, dabimus ex Bibliis Ruſſicis.

§. 11. Sunt autem hæc *Biblia Slaveno-Ruſſica* impreſſa bis. 1. quidem apud Oſtrogenſes Anno 1581. ſumtu & curâ *Conſtantini Ducis Oſtrogenſis & Palatini Kiovienſis, Principis Wolinia,* qui *Regenvolſcio* audit, *veneranda canitie ſenex, pius & zeloſus, Hiſt. Eccleſ. Slav. l. 4. c. 3. pag. 486.* de qua editione vide *præfationem Græco-Slavonicam:* in qua conqueritur Dux, ſe multos â Diabolo incitatos calumniatores eſſe expertum. Sic non minus illum, ac alios ejusmodi ſacros labores urgentes, malevolorum iniquis cenſuris expoſitum fuiſſe videmus.

§. 12. *Moſcuæ* itidem in fol. An. 1663. *regnante Alexio Michailovitz* prodiêre, quorum hæc longè ſplendidiora. Exhibet utraque ſingulis libris *Novi Teſtamenti additas præfationes;* Sed & Vet. Teſtam. præfatio prolixa præmittitur; & hinc ſubjunguntur *Summaria* ſeu *præcipua capita cujuſque libri;* ex quibus contenta facilè poſſunt à lectoribus addiſci, & memori mente recondi. Sunt autem hæ præfationes ad Nov. Teſt. deſumtæ *ex Theophylacto,*

insigni usu semet lectoribus commendantes, cum in compendio explicent, quæ in singulis libris sacris traduntur.

§. 13. Nec infructuosum erit disquirere, de editione τῶν LXX. cum quâ Translatio nostra Veter. Testamenti conspiret quam maximè. Illud extra controversiam est, eam ex manuscriptis codicibus adornatam, Sec. 9. à *Methodio*, de quo cap. 9. §. 7. cum *ars typographica, quæ unicum est contra tineas & blattas, omnis eruditionis inimicas, remedium*, demum Sec. 15. *Argentorati, Moguntiæ, an Harlemi*, nostrum non est determinare, sit inventa. vid. *Lex. Univ. Hofm. Tom.* 2. *pag.* 507. Quæ Msc. cum variarint, inde factum, ut etiam impressæ editiones discrepent; de quo juvabit audisse *Joh. Morinum Ep.* ad Junium de Versione LXX. *Ex his causis fit, ut codices 70. Interpretum etiam correctissimi inter se nonnihil varient, etiam ubi amanuensium negligentia aut ignorantia* (has inter causas alias retulerat) *nulla est, vel alteratio commissa. Correctissimos dico, ne existimes hic de mixtis illis editionibus me verba facere, quales sunt Complutensis, Antwerpiensis, Francofurtensis & alia. Illa enim non sunt ullo modo sincera 70. Editiones,* sed *farrago quædam ex Editione 70. Seniorum, & interpretatione Theodotionis collecta. Interrogabor forsan hoc dato, utramque illam editionem germanam 70. Seniorum interpretationem, utra purior & ab omni mendo defecatior? Romanam præstare*

ratio

ratio sana & experientia suadere videntur p. 418. *Eccles. Orient. antiquit. Enucl.* Et aliis interjectis, hæc addit: *Nolim quoque, existimes, me editionem Romanam omnis menda puram credere: habet suos navos hac editio, quod non dissimularunt & in scholiis & in præfatione, qui eam Romæ curarunt. Exempli causa: Gen. V. v. 25. ubi de annis Methusala; sic cap. XI. v. 24. ubi de Nachor, aliisque in locis eodem capite, in quibus tua sicut & Aldina multo sincerior est.* Sed nec sequentia absque fructu hoc loco adduci queunt: Pergat itaque *Morinus: Multis*, inquit, *tamen nominibus excusari potest. Codex enim ille vetustissimus, ex quo editio illa desumpta est, ab initio Geneseos ad Cap.* 47. *plurimum mutilatus erat, ideoque editio Romana aliorum codicum ope restituta est. Deinde in numeris ubique varietas maxima est, & potissimum his in locis, ut varias editiones conferenti & ea legenti, quæ Jo. Scaliger ex Eusebii & Georgii Syncelli παντοδαπῆς ἱστορίας excerpsit, manifestum est. vid. pag.* 424. Hinc factum, ut & *Morinus*, Parisinam splendidissimam, adjectâ versione latina, ad textum LXX. interpr. efformata, Tomis IV. in fol. constantem, ad exemplar Romanum edidisse se fateatur, addictis scholiis a. 1628. Sed & Amstelodamensis de a. 1683. itidem hanc imitata. Cujus editor in fine eruditæ præfationis, quà usum, utilitatem, imò & necessitatem versionis τῶν LXX. latè demonstrat, optat, ut *Is. Vossius* ex collectione omnium accuratam nobis exhi-

beat. Nuperrima Lipſienſis de an. 1697. ſe Romanæ & Londinenſis veſtigia premere fatetur. De LXX. Interpr. confer *Ligtfoti* Miſcell. c. 22. &c. *Calovii* Criticam Sacram, *Morini* Exercitationes; in compendio multa tradentem *D. Pfeifferum* Crit. Sacr. c. 11. §. 8. p. 321. ſeqq. qui tamen, dum Verſionis hujus authoritatem §. 13. non tantum *humanam* ſed & *exiguam* dixerat, videtur jejunè nimis de illa ſentire. Qui plures de LXX. Interpr. agentes noſſe vult, legat §. 15. l. c. magno numero indicatos.

§. 14. Romanæ editioni primas cum deferant aliæ omnes, cum hac Slavonicæ noſtræ collationem inſtituere non pigebit. Prolixo tamen mihi eſſe non licet, ideoque loca quædam tantummodo examinabo. Initium autem faciam à loco Gen. V. v. 25. quem *Morinus* corruptum fatetur. In Romano legitur: *καὶ ἔζησε Μαθουσάλα ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑξήκοντα, καὶ ἐγέννησε τὸν Λάμεχ; καὶ ἔζησε Μαθουσάλα, μετὰ το γεννῆσαι αὐτον τὸν Λάμεχ δύο καὶ ὀκτακόσια ἔτη, καὶ ἐγέννησεν υἱὸς καὶ θυγατέρας.* Sed Ruſſus textum originalem ſequitur.

Gen. V. v. 32. Romanus Codex, habet: *τρεῖς υἱὸς, tres filios.* Suec. juxta text. Origin. och födde Sem / Ham och Japhet. Ruſſus ab hoc verſu incipit cap. 6. (unde patet nec eandem cum Romano admittere Capitum diviſionem) & quoque addit: *Sini Tri*, tres filios; quod nec Pagn. nec Vulg. fecit.

2. Chron.

2. Chron. 14. Tria loca habent variantes lectiones in Scholiis: quas sequitur Russus. v. 6. quædam addit v. 15. Rom. κτήσεων legit; in Schol. κτηνῶν. ita R. Rom. ib. legit: ἀλιμαζωνεῖς in Schol. ἀμαζονεῖς. sic & R.

Psalm. 118. v. 27. ἐπήκουσάς μου, καὶ ἔγενου μοι εἰς Σωτηρίαν. Non in Suec. nec Luth. In Russo habentur.

Prov. II. vers. 3. addunt alii Codd. *Si scientiam quæsiveris voce magna.* Russus quoque hos sequitur. Non in Origin. nec Luth. v. 21. auget Russus sic: *quia justi hæreditabunt terram, pii in illa subsistent;* quæ non in Rom.

Es. I. v. 4. in Orig. & Suec. Wånda tilbaka. Rom. omittit. Russus inseruit.

Jer. IV. v. 8. Suec. grymma wrede. Rom. iræ solum meminit. quidam θυμὸς ὀργῆς legunt. hos sequitur Russus.

Ezech. I. v. 14. in Rom. editione omittuntur: Och diuren lupo hijt och tijt. in cæteris comparent. Etiam in Russo.

Dan. VI. vers. 18. additur: *DEUS occlusit ora leonum* &c. Non in Hæbræo, nec Lat. Russus habet. Hinc faciiis conjectura, non eodem msc. usum translatorem Russum, ad quod Rom. Editio concinnata.

§. 15. Præter divisionem in certa Capita nostris respondentia plerumque, in minora fragmenta Nov. Testam quoque dividunt Zaczalas s. inceptiones dicta; adeo ut apud Mo-

Moſcovitas Matthæus capitula habeat CXVI. pleraque adeo parva, ut tribus aliquando tantum conſtent verſibus; Marcus LXXI. Lucas CXIV. Johannes LXVI. quod ad imitationem Græcorum eos feciſſe, qui Nov. Teſtamentum in περικοπαῖς diſtinxêre, non eſt dubitandum vid. *Scb.* c. 1. ex *Laſizii Theol. Moſc.*

§. 16. Quod autem hæc translatio, multum contulerit ad promovendum Ruſſorum converſionem, nemo negaverit. Nam cum Sec. 9. verſio abſoluta eſſet, & Sec. 10. exeunte ſolennis converſio ſecuta ſit; quis non videt, eam translatione eſſe procuratam, minimùm valdè promotam? Idem viſum in re ſimili *Duntio* noſtro, qui Cæſ. Conſc. de Eccleſ. ſect. 2. q. 5. aſſerit, multum juvaſſe reformationem à Luthero ſuſceptam, egregiam illam Bibliorum editionem, *Franciſci Ximenii, Toletani Archiepiſcopi in Hiſpan. Cardinalis & Complutenſis Academiæ fundatoris*, incredibili ſumtu, (nam ducatorum ſexcenties millenis conſtitiſſe ei dicitur) & curâ Anno 1515. (& ſic, biennio ante cœptam reformationem) evulgatam, quod opus Complutenſe vocatur, & in Vet. Teſtamento textum Hebræum & Paraphraſin Chaldaicam cum totidem verſionibus latinis, in Novo Teſtamento Græcum cum verſione latina exhibet. Quod cum doctis præbuerit occaſionem diligentius ſcrutandi textum biblicum, ſimul lux Evangelii quaſi è tenebris prorupit. vid. l. c.

CAPUT.

CAP. XI.

§. 1.

His de versione Sacræ Script. *Sclavonicâ* prælibatis, addimus ea, quæ *de Patribus* in linguam Slavonicum transfusis, eâ, qua possumus, brevitate dicenda habemus. Occurrunt autem nobis primo sequentes, quorum meminit *Liturgia Chrysostomo adscripta bis verbis: In honorem & memoriam sanctorum Patrum nostrorum sacerdotum principum, Basilii magni, Gregorii Theologi, Johannis Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Nicolai Myrensis & omnium sanctorum sacerdotum.* Edit. in fol. p. 5. sed in 8. pag. 32. *Athanasii* nihil vidimus translatum, præter *Symbolum*, quod ipsi tribuitur, de quo sup. c. 2. §. 11. Neque *Nicolai Myrensis*; si quæ scripsit: nominandus itaque.

§. 2. 1. *Cyrillus Hierosolymitanus*, cui catecheses adscribuntur, florens A. C. 365. Moscis *Kirila Jerusalimski* dictus.

2. *Johannes Damascenus* Sec. 8. sub *Leone III.* & *Constantino V.* scriptis libris 4. *de orthodoxâ fide* clarus, quos in Slavonica lingua extare valde dubito. Homilias duas de cultu imaginum confessioni additas, supra monuimus. Ipsis dicitur *Jwan Damaskin.*

3. *Johannes Chrysostomus* Archi-Episc. Constant. quem ob melleum eloquium, aureum os nominant; quod Moscovitæ exprimunt *Sloto Usta* eum appellantes. Floruit autem

cir-

circa fin. Sec. 4. *Arcadii & Honorii* Imperatorum tempore. Hujus *Homilias in omnes Epistolas Pauli*, ne quidem ad Hebræos excepta, *Spiridon* in Consist. Narvensi Slavonicas nobis monstravit, in folio apud Kiovienses editas. 2. Habent etiam *Homilias ejusdem in Evangelium Matthæi* in fol. 3. Ejus *Liturgia* quoque in 4. edita: de qua infra. 4. Item l. 7. *de Sacerdotio*. quos omnes in Bibliotheca *Generos. Dn. Sparfwenfeldii* videmus.

4. *Ephrem Syrus, Diaconus Edessenus* Sec. 4. cujus scripta tanti facta, ut post Sacrarum Scripturarum lectionem palam recitarentur, *Hieronymô* teste lib. de Scrip. illust. Moscovitis *Jephreim Syrin* dictus: qui quod librum ab Angelo acceperit aureis *literis scriptum*, à nemine præter ipsum aperiendum, & inde sua hauserit, ipsis gratis creditur. Sub *Valente* Imp. decessit, An. Christi 478. de quo plura *Hofm. Lex. Un.* Tom. I. p. 601.

5. *Gregorius Nazianzenus*, uti *Schv.* existimavit cap. 1. & cum illo alii, *Bogoslova* (Theologus) ipsis dictus. In indice meo msc. *Liturgia* ejus quoq; fit mentio, sed an impressa, an msc. tantum sit, non liquet. Mortuus An. C. 389. in solitudine, cum Archi-Episcopatui Constantinopolitano A. C. 382. sponte renunciasset. *Hofm. Lex. Univ. Tom. 8. pag.* 717. plura notanda suppeditabit.

6. *Basilius Magnus*, cujus *Liturgiam* translatam tantum vidimus, impressam anno 1684.

Mo-

Moſcuæ in 4to. Hic floruit Sec. 4. in cujus laudem Nazianzenus orationem compoſuit. *Hofm. Lex. Univ.* Tom. 1. p. 259.

7. *Theophylactus in.* 4. *Evangelia*; cujus ſecundam editionem nitidiſſimam è caſtris ad Narvam *accepimus.* Fuit *Bulgarorum Archiep.* ipſis convertendis ingenti zelo intentus; Seculi ſui decus, qui obiit Anno Chriſti 1071. *Hofm. Lex. Un.* Tom. II. pag. 450.

8. *Vitas Sanctorum* prout in *Menologiis Græcorum* ſe invicem excipiunt 4. Tomis in fol. editas habent. Poſtrema editio ſplendidiſſima eo ipſo anno exiit, qui CAROLUM XII. Auguſtiſſimum, victoriâ multis retrò ſeculis inauditâ, *Narvam* noſtram inſigni Ruſſorum clade, & ſua liberatione nobilitavit. *Prolog* Ruſſis dictum opus. Hæ vitæ etiam in compendio editæ in 12mo. Editio ſecunda *Moſcuæ prodiit* A. C. 1659. ſub Tit. *Meſetzoslow*, ſeu *Calendarium.* Præterea inſertæ ſunt recentioribus editionibus Libri, cui nomen *Pſaltir Sledovanna.*

9. Præterea invenies *Menologia*, *Minea* Ruſſis dicta, è græco translata, 12. Tomis in fol. (quorum ſinguli ſingulis menſibus deſtinati) complectentes *Liturgias Sanctorum* ſeu Miſſas dicendas, quoties eorum recurriſſet memoria. Secunda editio paucis abhinc annis ſatis ſplendida exiit.

10. Sunt & alii ejusdem generis libri *Octai*, *Trifolci*, *Schesto dnef*, *Triodi*, *Penticaſtarion &c.* Ruſſis dicti, quorum nomina indicant è Græ-

ca

ca Ecclef. ad Ruffos perveniffe. vid. *Allatium differt.* de lib. Eccl. Græ.

11. His addendus liber *Jrmoloi* dictus in 4. dirigens miffas vulgares.

12. *Manuale* f. *Rituale*, quod *magnum* vel *parvum*. Magnum eft Euchologion Græc. quod *Petri Mogila* curâ traslatum, editum in fancti Spiritus magno & *miraculifico* monafterio Lauræ *Kiovia* an. 1646. menfis Decemb. die 16. de quo *Normannus* præf. ad verf. *Confeff fidei.* Ex hoc dein aliud enatum etiam in fol. fed longè minoris molis. Hujus videtur effe compendium illud quod in 8vo editum Anno Chrifti 1696. Extitêre autem & in 4. & in 8vo. & in 12. quorum nunc rarior copia, Roskolkicis unicè adamata. Hi enim quo vetuftiores codices vident, eo lubentius ære grandi eos redimunt. Dicuntur ipfis *Potrebnik* neceffarii.

§. 2. Exemplar notiffimum exiit fub hâc Epigraphe: *In honorem fanctæ unius fubftantiæ, vivificantis & infeparabilis Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, ex mandato Magni Domini noftri Czaris & Magni Ducis* Petri Alexii filii, *totius magnæ & parvæ & albæ Ruffiæ autocratoris, ex permiffu & benedictione illius Patris fpiritualis, & devoti magni Domini, coram DEO fancti* Dn. Adriani *Archiepifcopi Mofcoviæ & totius Rusfiæ & omnis tractus borealis Patriarchæ, fub Sereniffimo Magno Domino Czaris filio & Magno Duce* Alexio Petri *filio; editus eft hic liber*

Treb-

Trebnik (necessarius, usualis) *in Czarea magna urbe Moscua, anno à mundo condito* 7205. *à nativitate vero secundum carnem Dei verbi* 1696. (eodem quo Confessio anno) *indicta* 5. *mense Septembri.* Indicem transferamus, qui talis:

Descriptio Capitum cum Deo Sancto comprehensorum in hoc Manuali.

15. *Canon precationum ad Dominum nostrum JEsum Christum, & purissimam Deiparam matrem Domini, in dissolutione animæ à corpore uniuscujusque rectè credentis; & precatio in exitu animæ, fol.* 141.

16. *Sequela in morte & sepulturâ corporis secularis hominis, (è plebe & è seculo) fol.* 150.

17. *Instructio quâ ratione agendum cum sepeliendis morientibus, in sancto paschate & in totâ sanctâ septimanâ, fol.* 178.

18. *Sequela super sacerdotes mortuos, fol.* 182.

19. *Ordo sepulturæ infantis, fol.* 227.

20. *Sequela brevioris benedictionis aquæ, fol.* 243.

21. *Sequela benedictionis in sancto manifestationis Dei sc. die trium Regum, fol.* 259.

22. *Precatio in nativitate Christi filiis spiritualibus, fol.* 274.

23. *Precationes in initio jejunii sancti quadragesimalis, fol.* 276.

24. *Precatio cum benedicendum cibo & carni, (additur in libro, in sanctâ hebdomade paschatos) fol* 281.

25. *Precatio cum benedicendum caseo & ovis, fol.* 282.

26. *Precatio in perceptione fructuum 6. die Augusti, fol.* 282.

27. *Precatio super illos qui portant primitias fructuum, fol.* 283.

28. *Precatio in fundatione domus, fol.* 284.

29. *Precatio cum quis vult ire in domum novam, fol.* 287.

30. *Pre-*

30. *Precatio in fodiendo puteo, fol.* 287.

31. *Precatio super novum puteum, fol.* 287.

32. *Ordo servandus, quomodo sacrum peragendum, cum aliquid impuri inciderit in puteum aquæ, fol.* 287.

33. *Precatio volentis itineri se committere, fol.* 288.

34. *Precatio excommunicatoria Sancti Basilii super obsessos à Dæmone, fol.* 289.

35. *Ordo servandus cum sacrum peragendum, cum impuri vel inquinati quid ceciderit in vas vini, vel olei, vel mulsi, vel quid simile, fol.* 290.

36. *Precatio super illos qui comedunt aliquid impuri, fol.* 292.

37. *Precatio super vasa inquinata fol.* 293.

38. *Precatio super triticum inquinatum, vel farinam vel aliud quidpiam, fol.* 293.

39. *Precatio super salem, fol.* 295.

40. *Precatio super sementem seminandam, fol.* 295.

41. *Precatio super horrea, fol.* 296.

Reliqua quæ in eo continentur, sunt:

42. *Ex* Nomocanone *centum & sedecim utilissimarum regularum elucidatio, fol.* 297.

43. *Calendarium cum DEO sancto, per totum annum, fol.* 326. *seq.*

44. *Paschalia s. tabulæ festum paschatos & reliqua festa inveniendo servientes, fol.* 380.

§. 4. 13. *Kanonick,* duûm generum: majus & minus.

14. *Molitwennik* f. Liber precum; quorum in 8. 12. 16. plurimæ editiones publicatæ.

15. Χειροτονία f. instructio sacerdotis, libellus in 8. paucis foliis constans.

16. *Ustaf*, quorum plusculæ editiones, continentes varios tractatus: horum primus Psalterium &c.

17. *Sluschebinck* f. ratio administrandi officium sacrum in fol. 4. & 8. Mea editio in 4. Moscuæ an. 1684. impressa.

18. *Tschasoslow*. in 8. 12. Horologium, continent preces seu horas Canonicas.

19. *Kormtscha Kniga*, mole magnus liber, Concilia & Canones complectens &c.

20. *Historia Ecclesiastica*, si indici mscr. meo fides.

21. *Vita Nicolai*, in 8vo.

22. Innotuêre alii nomine *Philistim* & *Margarit*: an unus liber duplici nomie, an distincti libri, non facilè dixerim. Homilias dicuntur continere.

23. *Mir Sbogom Tschelovèku*, Pax cum DEO homini.

24. In indice meo mscr. præter *Anastasium*, *Cyrillum Alexand. & Maximum*; quorum supra meminimus, nominantur. 1. *Athanasii libri.* 2. *Theodori Balsamonis Canon.* 3. *Joannis Zonaræ de Patribus.* 4. *Photii Nomocanon.* 5. *Matthæi Hieromonachi quadam.* 6. *Archidiaconi Alexii.* 7. *Harmenopuli Nomophylacis.* 8. *Epistola S. Nicolai.* 9. *Theodori studita*; sed an editi, an manuscripti tantum apud ipsos inveniantur, incertum est. Certum autem quod plurimi

rimi libri Mscr. in deliciis habentur, typis licet nunquam exscripti.

25. Inter Msc. eminere credo *Joannis Climaci Scalas Paradisi*, in Charta Orientali in fol. nitidissime descriptas: qui solus est liber, quem in ejusmodi Papyro, cum Msc. innumera viderim, scriptum deprehendi. Asservatur in Biblioth. Upsaliensi.

26. *Calendaria* habent addita aliis operibus, & separatim in 12. impressa; quorum usus perpetuus est; & quanquam hodiernus Czar annum, quem olim â mense Septembri, nunc â *Cal. Jan.* incipiendum jusserit: *Ecclesiasticus* tn. etiamnum â 1. Sept. initium capit.

§. 5. Ceterum licet, *Jovio* asserenti, quod *Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Papa* in linguam Illyricam traducti sint, (in gratiam forte Dalmatarum latinæ Ecclesiæ filiorum) contradicere non ausim: hos tamen in Russia receptos esse omnes, negare nullus dubito, maxime cum sciam omnes ferè Patres Latinos ab ipsis contemni, in quo consentientem habeo *Sir.* cap. 5. pag. 33. Qui de Patribus his plura volet, adeat dictum *Siric.* c. 4. p. 23. *Scb.* c. 1. *Lasizii Theol. Moscov. cap. 4. A Miechow Sarmat. Asiana & Europ. pag.* 517. *Pet. l. 6. pag.* 7. Tandem reperi Canticum *Ambrosii*: *Te DEUM laudamus*, in linguam Slavonicam translatum & libello precum in 16. additum sub tit. *Confessio orthodoxa Fidei Sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis*, in nullo â nostro verborum ordine

recedens. Libellus *Kioviæ* impressu permissu *Kuę Barlami Sheptizensis Archimandritæ* anno 1698. die 20. mensis Augusti.

§. 6. Non silendus nobis Russicæ Gentis scriptor *Nicolas Tschjudo tvorets*, qui sanctitate & miraculis celebris perhibetur, quem diligenti manu versant. Ex eo fabulas in templo perlegi solitas, depromptas existimat *Sch.* cap. I. Verum credimus eum non tantæ esse authoritatis, ut scripta templis illata fuerint. Meminit quoque *Dn. Ludolphus* præfat. in *Grammat. Russ.* cujusdam *Simonis Polotskogo*, qui tempore ultimi Czaris *Theodori Alexeovitz*, Psalmos Davidis in Rythmos Slavonicos redegerit, & alia multa Theologica in lucem emiserit, nimirum *Objed Duchovni*, prandium spirituale: *Wetscher Duchovni*, Vespera spiritualis: *Mnogo tzvetznoi vertograd*, multorum florum hortus; qui & quantum potuit difficilioribus Slavonicis abstinuisse traditur, quo à pluribus legi & percipi posset; interim tamen omnia esse Slavonica, & multa vulgo contendit esse ignota.

Andreæ Cæsariensis Episc. Commentarium in Apocalypsin Mscr. in fol. cum figuris: & in 4to absque iis, apud *Spiridona* Roskolkicum Doctorem vidimus.

§. 7. Hic quoque monendum, in omnibus fere templis reperiri librum dictum *Psaltir Sledovanna*, hoc est, Psalterium, cum sequelis seu tractatibus variis, quorum præcipui:

pui: 1. *Symbolum Athanasii.* 2. *Anastasii Patriarchæ magnæ Antiochiæ & Cyrilli Alexandrini brevis explicatio de fide per interrogationes & responsiones.* 3. *Regulæ quo modo legendum Psalterium per totum annum.* 4. *Regula quâ ratione legendum Psalterium tempore quadragesimæ.* 5. *De Caphismis quintæ septimanæ sanctæ & magnæ quadragesimæ.* 6. *Quomodo legendum Psalterium septimana sancta, ut idem finiatur.* 7. *Basilii Magni de Psalterio sermo.* 8. *Augustini Patris & Doctoris &c. prolegomena ad Psalterium & aliorum de præstantia Psalmorum.* 9. *Theodoreti explicatio in 5. Psalmum.* 10. *Quomodo privatim cantandum sit Psalterium instructio.* 11. *Oratio ante lectionem Psalterii.* 12. *Ipsum Psalterium Davidis.* 13. *Horologium sive breviarium continens continuationem rituum Ecclesiæ, secundum ordinem Hierosolymitanum & honoratiorum monasteriorum &c.* 14. *Menologion totius anni, cum Chronologia, precibus, laudibus & legendis.* 15. *Condonatoriæ preces, cantus & laudes, incipientes â septimana, quâ Pharisæi & Publicani historia legitur, usque ad omnium sanctorum diem, & alia pluscula precationes, laudes &c.* 16. *S. Cyrilli Alexandrini sermo de exitu animæ, & secundo adventu Christi.* 17. *Ritus & officium singulis septimanæ diebus adhibenda.* 18. *Paschalia & cyclus lunæ, computata ab anno mundi 6000. usque ad 7448.* *Pleniorem enumerationem contentorum alii servamus tempori.*

Neque prætermitti debet *Anthologion* seu

Florilegium h. e. divinorum officiorum breviarium, & volumine satis magno in fol. editum, Kioviæ.

Hinc constare arbitrior, maximam illis fuisse curam, ut Ecclesiæ instruerentur libris necessariis, & cognitio Theologiæ Bibliis, & Patrum Scriptis promoveretur; unde quoq; factum, ut paucissima extent impressa scripta politica, de quibus in peculiari opere, *de libris scilicet & re literariâ Moscov.* volente DEO, agere decrevimus.

§. 8. Habent autem longe plures, qum â nobis modo indicati; quod vel *tres indices* probant; qui impressi sunt in eodem cum *Cyrillo* volumine. Primus hanc habet inscriptionem; *Libri Sanctorum & â DEO inspiratorum nostrorum Pastorum & Doctorum universalium;* in quo primo nominatur: Liber *Dionysii Areopagitæ &c.* Ex latinis: *Hippolitus Papa Romanus, Sylvester* P. R. *Palladius, Irenæus Lugduensis, Isiodorus Pelusiota, Augustinus Hipponensis civitatis Ep.* quorum omnia Scripta in Slavonicam translata esse vix credo. Unicam tantum Augustini Præfationem in Psalmos, Slavonicè conversam vidi in Psalterio Sledovanna; de reliquis planè nihil. Nominantur ibi Scriptores & libri circiter 90. Alter index nominat *Libros Apocryphos E. g. Psalmos nonnullos, Evangelium Barnabæ, Thomæ &c.* quorum non multo minor numerus, quos orthodoxos Christianos legere aut asservare non oportet. Tertius *librorum Hæreticorum* nomen-

nomenclaturam ſiſtit, & incipit nominando: *Aſtrologiam, Aſtronomiam &c.* Satis prolixus; quam finit hoc voto: *Maledicti ſint Haeretici, Scripta autem Vulcano conſecrentur.* Hi poſteriores reſpondent *Indicibus Expurgatoriis & librorum prohibitorum Romanenſium*; Sed quo authore conſignati noſtri, non inveni. Crediderim pauciſſimos horum Slavonicè extare; & eſſe translationem indicis â Græcis concinnati.

§. 9. Non tamen negaverim plures *Libros Mſcr.* quam *impreſſos* reperiri. Cujus rei fidem faciunt ſcriptores, qui quorundam meminêre. *Olearius* etenim tradit interpretem von Delden pluſculos libros ex Latino & Gallico transtuliſſe: quorum nominat: *Hiſtoriam Magni Mogulis:* quod ipſi præiverit Legatus Cæſar. *Adam* Dorn/ qui *Coſmographiam in Compendium miſſam,* ipſis Slavonicè communicarit, l. 3. *itin.* cap. 22. p. 281. Licet Aſtromoniam inter prohibita retulerit index, cujus meminimus; poſſideo tamen Mſcr. de Aſtronomina, de ſignis Zodiaci, & aëris tempore, quæ ſingulis reſpondet.

Mappas Geographicas non tantum habent, ſed & ſæpius queruntur, quod minus accuratè ſint adornatæ illæ, quæ *Moſcoviæ* delineandæ ſunt deſtinatæ. Proinde particularium provinciarũ tabulas ipſi accurarunt, quas *Dn. Sparwenfeldius* collegit, & *Dn. Witte* Conſuli Amſtelodamenſi Ampliſſimo, it. *Joh. Bleau*, ut inde *Univerſalem adornarent*, communicavit.

§. 10. *Historiam* in deliciis habent *veram & fabulosam*, & inter libros licitos enumerant *Chronographicos, Genealogicos* & similes. Quin & *Jovius* author est, suo tempore apud ipsos reperta præter *Annales Patrios Historiam Alexandri Magni Romanorumque Cæsarum:* item *M. Antonii & Cleopatræ.* Unde *Dn. D. Bothvidi* th. 17. benè infert: *Prudentiam eorum politicam in rebus gerendis, non soli naturali solertiæ, sed etiam talium historiarum cognitioni acceptum ferendam.* Prolixitatis vitandæ causa, de *Libro* de *Fide*, ut cap. 7. §. 11. promisimus, agere nunc non possumus.

CAP. XII.

§. 1.

CUm *Græci* non minus ac *Pontificii*, adeoque etiam *Moscovitæ* potissimam cultus divinæ partem repositam habeant in recitandis & frequentandis *Missis* seu *Liturgiis*, in earum naturam paulò curatius erit inquirendum. *Liturgia* Græcæ originis, propriè ministerium significat; & admittit significationem *Politicam, Aristotel. Polit. l. 4. Oeconominicam, Aristot. Pol. l. 7. Ecclesiasticam*, & tunc modo *latiore* modo *angustiore* sensu accipitur. Nos sensu Ecclesiastico acceptam, nihil aliud esse dicimus cum *Hofmanno*, quam *descriptionem ordinis servandi in celebrandis Sacris*, qui etiam Hierurgia dicitur. vid. *Cont. L. II. Tom. I p. 1032.*

§. 2. Circumferuntur Liturgiæ plurimæ

mæ, quorum quædam *Petro, Jacobo, Andreæ, Basilio, Chrysostomo:* quædam *Marco, Clementi, Gregorio Magno*, & cui non? tribuuntur. *Jeremias Pat. Constant. Liturgiam* Græcis usitatā refert ad *Jacobum Apostolum:* concedit quandam à *Marco* quoqne ordinatam, postea à *Basilio*, & tandem à *Chrysostomo* brevius & concinnius conscriptam. Causas mutationis se ignorare fatetur: Sed certo scire duo volumina à *Basil. & Chrysost.* relicta, quorum *Basilii* Liturg. plenior sit verbis, *Chrysost.* concisius loquatur. vid. *Censuram Orientalem c. 13 p. 105.*

§. 3. Hinc necesse est sequi, pro lubitu mutatas; multa iis addita, nec omni illâ prolixitate esse opus. Additiones autem plusculæ impiæ cum sint & idololatricæ, adeoque ad Patres referri nequeant; multi dubitarunt an essent fœtus istorum Patrum? Genuinos non esse dubio caret, si omnia iis contenta respicias. Quis enim crederet illos præscripsisse cultum idololatricum? quis *Chrysostomum* docuisse fideles orare: *Pater Joanes Chrysostome ora Christum, Deum salvare animas nostras.*

§. 4. Nec tamen inde colligerem, nihil eorum, quæ ibi habentur esse *Chrysostomi.* Placet sententia *D. Andrews. Episc. Winchest. in the Patern of Catechistical Doctrine c. 3.* de 2. præcepto pag. 202. *But to deny the Substance of it to be Chrysostoms, is contrari to the Testimony and practise af all the Greeck Church, and therfore was niver*

niver intendes by this Learned author. Substantiam vindicat *Chrysostomo*: idque testimonio *Eccles. Græca* innixus: Sed mutationem subiisse concedit. Verum argumentum quo ipse & quem citat *Jewel*, utuntur, ut probent mutatas; *quod nimirum orarint pro Imperatore Alexio qui 600. annis Chrysostomo junior, non evincit Liturgia* quicquam additum. Neque enim semper pro *Arcadio*, cujus tempore vixerat *Chrysostomus*, orare poterat Ecclesia: Sed alii aliique Imperatores, prout quisque alterum excipiebat, substituendi; ut demirer illos hac uti voluisse ratione. Sed cum Oratio à nobis allata & similes, id evidentissimè doceant, scrupulo hic non est locus. Ut autem, liquidius constet vitiatas esse, comparationem quandam inter varias editiones instituimus.

§. 5. Ad manus fuêre *Liturgia Chrysostomi* editiones duæ Græco-Latinæ in 8. Venetiis impressæ 1644. quarum prior multo prolixior & variis Sacerdotis instructionibus, orationibus &c. auctior. Dein alia *editio in fol.* non addita Loci vel Anni impressionis memoria. Inter quam & prolixiorem illam modo memoratam, minima occurrit differentia: Sed nec inter alteram talis, quæ ipsam planè convellat substantiam. De *translatione Russica* idem dicere possum; quæ tamen *pluribus suum instruit Sacerdotem* quam reliquæ omnes; *ritus nonnullos addit*, maximè ubi de scindendo

&

& scisso in altari reponendo pane sacro agitur: Sed in iis quæ verbo divino consentiunt, æque ac in reliquis quæ ipsi adversantur, amicè conspirant.

§. 6. Prioris generis quod 1. Omnes *panem & vinum adhibent*. 2. Omnes *retinent verba institutionis*. 3. Omnes *orationem Dominicam recitant*. 4. Omnes *hymnum cantant Angelicum*. Ef. VI. 5. Omnes *precantur ut communicantes dignè Sacramento utantur*. 6. Omnes *sub utraque Sac. Cœnam administrant*. 7. *Epistolam & Evangelium & Symb. Nicenum prælegunt*. 8. *Ad devotinem sæpius exhortantur assistentes*. 9. Omnes *pro Regibus orant, & Litaniæ partem inserunt præcipuam*: 10. *Pro Catechumenis apud Deum intercedunt*, in quibus nos ipsorum vestigiis, quoque insistimus; & nostram Liturgiam cum ipsorum quoad hæc capita, si Catechumenos excipias, concordare palam est.

Sed in omnibus tam *Græcis* quam *Russicis* Liturgiis, invenies eadem idololatriæ tristia & deploranda monumenta. Nam 1. Cunctæ *preces ad Mariam & Sanctos fundunt*. 2. Cunctæ *ipsorum meritis & intercessionibus à malis liberari & salvari gestiunt*. 3. Cunctæ *Sacrificium incruentum Deo offerunt*. 4. Cunctæ *non tantum pro vivis, sed & mortuis orant & sacrificant*. 5. Cunctæ *aras & imagines thure expiare & placare se credunt*. 6. *Panem etiam antequam consecratus fuerat, venerantur præpostera adoratione: Post consecrationem minimè*: ut ob-

ser-

servat *Mayerberg* pag. 51. Confessione invitâ, quæ *Sanctam Eucharistiam* sic venerari jubet, uti ipsum JEsum Christum. qu. 56. & 107. 7. *Sanctorum meminêre, de quorum sanctitate nemo certus, ne quidem certitudine probabili, esse potest.*

§. 7. Differentia autem maxima, quæ Majorem & Minorem inter occurrit Liturgiam, hæc est, quod major jubeat *Catechumenos accedere* p. 88. & Edit. in fol. pag. 17. Minor autem vult *eos excedere. Russus* hinc consentit: idque jure optimo. Quod ut pateat, ex *Isidoro de Ec. officiis lib. 2. c. 20.* disce *Catechumenos fuisse homines, qui primum de Gentilitate veniebant, habentes voluntatem credendi in Christum.* Horum tres fuisse classes Scripiores tradunt: *Audientium* nempè, *Genuflectentium & Orantium;* unde etiam ter Diaconus repetebat suum: *Catechumeni excedite.* His omnibus prima fidei elementa, in certo loco *Catechumenio dicto*, non scripto sed viva voce tradebantur: unde & ipsis nomen hæsit â *κατηχεῖν, auribus insonare, erudire, docere prima elementa:* quo sensu Luc. I. 4. Act. XVIII. 25. Gal. VI. v. 6. adhibetur; fides enim ex auditu. Rom. X. 17. seq. Omnes hi dimittebantur, cum ad sacram Cœnam celebrandam se accingeret sacrorum minister, Diacono ter exclamante: *ite C[illegible]chumeni, missa est,* idque apud Latinos imitatione Græcorum, qui abeundi verbo utebantur: notante *Hofm. Cont. L. Univ.* Tom. I. p. 365. Ergo Liturgia *Russica* & *minor* præferenda *majori*; eò magis quod & *Basilii*

filii Liturgiam consentientem habeat fol. 164. Plura de his suppeditabunt *Macri in Hierolexico, Suiceri Thes.* in hac voce: *Hofman in voce Missa.* Ex nostris *Dn. D. Lange Reval. Ep. longè meritissimus*, in Dissert. Grad. de Introductione Catechumeni ad lectionem Sacr. Scripturæ, habitâ Aboæ an. 1690.

§. 8. Sunt autem ejusmodi *Liturgiæ* seu *Missa*, inprimis apud Pontificios, variæ & peculiari nomine insigniuntur, prout hunc vel illum scopum sibi habet Sacrificus propositum. Nam celebrantur missæ 1. *Defunctorum*. 2. *Judicii*. 3. *Feriales*. 4. *Præsanctificatorum*. 5. *Privata*. 6. *Publica*. 7. *Sicca*. quidni *frigida, calida, humida?* quas species omnes apud *Russos* receptas esse asserere non audeo. De his qui plura cupit, consulat *Hofm. Cont. Lex. Un.* Tom. II. p. 69.

§. 9. *Præsanctificatorum* Missam apud *Russos* celebrari dubium non est; cum ea Græcanicæ Ecclesiæ sit propria, in qua Christi corpus, non conficitur, ut ajunt, sed confectum, divinis laudibus decantatis absumitur. vid. *Hofm. l. c. Formulam* hujus *Russicam* vid. in *libro Liturgiarum* â fol. 199. ad fol. 224. Huic ægrotorum communio, apud Pontificios respondere videtur. Neque enim apud ægrotum de novo conficitur. Ergo etiam hujus in Ecclesia Rom. deprehenduntur vestigia.

§. 10. Hic verbo monendum, quid inter *Romanam Liturgiam & Russicam* intersit discriminis; cum inde eluceat, gratuitam esse

illam Romanæ Ecclesiæ, seu potius *Allatii* & complicum, de *perpetuâ cum Græca Consensione* jactantiam. Nam 1. *Russi* pane fermentato, *Romani* azymo utuntur. 2. *Alios Sanctos* sibi demulcendos, seu placandos & intercessores elegêre *Illi*, alios *Hi*. 3. *Illi* sub utraque specie; *Hi* sub unâ populo distribuunt; quæ vel sola discrepantia, jactatum falso consensum infringere potis est. 4. *Illi* panem & vinum simel calici immittunt, & cum chochleari populo distribuunt. fol. 144. seq. *Hi* utrumque separatim. 5. *Canon Romanus* non tam prolixus ac *Russicus*. Adhibui autem editionem *Canonis Rom.* antiquissimam 1507. â *Melchiore Lotter* impressam, cum expositione *Balthasaris Lic. Th. Lipsiensis.*

§. 11. Occurrit præterea *hæc diversitas* 6. quod cum *Pontificii* credant *Mariam* sine peccato conceptam, & pro ea Sacrificium non offerant; hoc tamen faciat *Græca* utraque *Minor* pag. 87. *Major* p. 132. iisdem verbis si Græca spectes: ἔτι προσφέρομεν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν, ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων &c. Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου, ὑπὲρ ευλογημένης Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Major Liturgia* tantum addidit: ἐνδόξου. Versio autem variat. Nam in minori sic habet: *Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum, pro in fide requiescentibus majoribus &c. Præcipue pro sanctissima immaculata, super omnes benedicta, Domina nostra*

nostra Deipara & semper virgine Maria; in *majori* verò ita: *offerimus pro his, qui in Christo requiescunt Propatris &c. Præsertim Sanctissimæ & intemeratæ, plus quam benedictæ, gloriosæ Reginæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ*; secuta casum genitivi, qui in Græco respondet illorum præpositioni: cum Latina ablativo gaudeat. Pro illâ quoque offert *Russus* fol. 129. Hic in *Minori* additur: *Ave Maria*, quod non in *Majori*, nec Lat. Canone; nec in *Moscovitico*. *Basilii Liturgia* in præcipuis Capitibus, conformis est illi, quæ dicitur Chrysostomi. *Russica* sæpius remittit Sacerdotem ad *Chrysostomi Liturgiam*, ut inde petantur, quæ repetere bis in eodem libro noluêre editores. Peculiarem prætereà pro *Czare Orationem* habet: quæ non in altero occurrit. Adhibetur in festis solemnioribus: Chrysostomi autem aliis diebus. *Magnæ quidem quadragesimæ, Sacri Paschatis, Dominicis diebus, & quibusdam aliis, Magni Basilii Liturgiam legimus: In aliis autem diebus Dom. sequimur Chrysostomum, sunt verba Pat. Jerem.* Cens. Or. c. 13. pag. 106. conf. Orient. Kirchen-Stat pag. 10. Et quemadmodum *Græci* lingua veteri eam recitant, licet vulgo intellectu sit difficillima: ita & *Moscovitæ* suam Slavonice, de quo vide supra capite 9. §. 5.

§. 12. Hoc ordine autem sese invicem excipiunt *actiones Sacerdotis in Liturgia recitanda* occupati: 1. Præmittit hanc orationem:

Domine, emitte manum tuam de excelso habitaculo tuo : & corrobora me ad propositum Ministerium tuum : ut indemnis adsistam tremendo tuo altari, incruentum sacrificium perficiam, quoniam tua est potentia & gloria in Secula Seculorum Amen. 2. *Recitat plures preces, dum sese sacris induit vestibus : Tunica, Horario, Stola, Cingulo, Subgeniali, Casula ; quibus singulis peculiaris est destinata oratio.* 3. *Lavat manus, addendo orationem ex Ps. XXV. 6.* 4. *Preparat vasa sacra, Patenam & Calicem.* 5. *Scindit panem Lancea ; & in sublime tollit & sacrificat.* 6. *Diaconus infundit vinum in Calicem & aquam ; cui benedicit in honorem & memoriam Mariæ, rogans ut ejus precibus Dominus accipiat Sacrificium istud super cæleste suum altare.* 7. *Plures particulas panis ordine elevat, & ad tertium panem prolixum texit Catalogum Sanctorum, quorum precibus protegi exoptat.* 8. *Orat pro vivis & mortuis.* 9. *Diaconus sumit Thuribulum, & Sacerdos orat, ut incensum sit gratum.* 10. *Velat sanctum Panem.* 11. *Velat S. Calicem additis precibus.* 12. *Dicit orationem oblationis.* 13. *Diaconus incensat mensam.* 14. *Dicit 50. Psalmum.* 15. *Benedicit & orat pro pace, populo, Archie-Episcopo &c. Regibus, & aliis rebus vitæ commode transigendæ necessariis, navigantibus, viatoribus, &c.* 16. *Sanctorum recolit memoriam iter.* 17. *Chorus cantat Antiphonas.* 18. *Chorus psallit Trisagium.* 19. *Sacerdos orat secreto.* 20. *Offert incensum.* 21. *Recitat Evangelium (Russus præmittit Epistolam.)* 22. *Iterum*

orat

orat pro Regibus. 23. *pro Catechumenis orat his verbis :* Domine DEUS noster, qui in altis habitas, & humilia respicis, qui salutem generi humano misisti unigenitum filium tuum, & Deum Dominum nostrum JEsum Christum, respice in servos tuos Catechumenos, inclinantes tibi ipsorum cervicem, & dignos facias ipsos in tempore opportuno lavacri regenerationis, remissionis peccatorum, & indumenti corruptionis. Unias ipsos sanctæ tuæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, & connumera ipsos cum electo tuo grege. *Hactenus secreto ; nunc cum voce :* ut & ipsi simul nobiscum glorificent venerabile & magnificum Nomen tuum, Patris & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in Secula Seculorum. 24. *Diaconus jubet recedere Catechumenos.* 25. *Orationes fidelium succedunt duæ, quas Sacerdos secreto dicit.* 26. *Diaconus extra tabernaculum recitat pacifica.* 27. *Chorus cantat hymnum Angelicum,* 28. *Quem dum cantant, Sacerdos prolixè orat.* 29. *Iterum* Psalm. 50. 30. *Diaconus patenam super caput elevatam & Sacerdos calicem tenens, in dextra tenens thuribulum circumeunt templum & orant pro omnibus.* 31. *Diaconus incensat res Sacras ter.* 32. *Orat pro Sacris muneribus & omnibus rebus quas enumerat.* 33. *Chorus cantat Symbolum Nicenum.* 34. *Hortatur populum ad devotionem.* 35. *Chorus iterum cantat &c.* 36. *Benedicit sanctum Panem verbis institutionis.* 37. *Similiter & sanctum Calicem.* 38. *Orat ita:* fac quidem panem

 hunc

hunc pretiosum Corpus Christi tui, qui autem in calice isto est, pretiosum Sanguinem Christi tui. 38. addit ad transsubstantiationem procurandam: *Permutans Spiritu tuo Sancto.* 40. *Orat ut vergat in salutem animæ communicantium.* 41. *Mariam deprædicat.* 42. *Diaconus defunctorum & vivorum, prout vult, memoriam facit.* 43. *Ad Sanctorum intercessionem confugit.* 44. *Nunc Sacerdos memoriam agit quorum vult mortuorum & vivorum, pro defunctis sic orans:* Pro Requie & Remissione animæ Famuli N. in loco luminoso, ubi non est dolor, gemitus, colloces ipsum Deus noster: & requiescere facias ipsum, ubi custodit lumen vultus tui. 45. *Iterum pro omnibus orat prolixe, ut jam sæpius.* 46. *Orat ut dignè communicent; & alia bona expetit.* 47. *Chorus dicit Pater noster.* 48. *Sacerdos addit, quoniam tuum est regnum &c.* 49. *Preces recitat plusculas.* 50. *Elevat sanctum panem* (qui dicitur Prosphora, cujus medio impressa est crux & lancea cum signo, quod nominatur: Agnetz, cum addita inscriptione: JESUS Christus Nika.) 51. *Diaconus dicit Sacerdoti: Scinde Domine (vel perfode) lanceâ sanctum Panem.* 52. *Sacerdos scindit eum in quatuor partes.* 53. *porrò Diaconus dicit:* Impleas Domine sanctum Calicem. 54. *Diaconus jubet benedicere fervida aquæ.* 55. *Quod Sacerdos facit.* 56. *Hanc dein Diaconus infundit in modum crucis in sanctum Calicem.* 57. *Diaconus rogat sibi dari sanctum Panem.* 58. *Sacerdos eum porrigens dicit:* imperti-

pertior tibi pretiosum & sanctum & immaculatum Corpus Domini & DEI, & Salvatoris nostri JESU Christi, in remissionem peccatorum & vitam æternam. 59. *Sacerdos accipit similiter panem & orat, ut dignus fiat communicans & alia pluscula addit.* 60. *Sic accipiunt sanctum Panem, & sanctum Calicem, & desumit quidem prius sacerdos tres haustus in una inclinatione, & idem primo haustu dicit:* in Nomine Patris; *secundo:* in Filii; *& tertio:* & Spiritus Sancti. *Dicens porrò:* Hoc tetigit labia mea, & auferet iniquitates meas, & delicta mea perpurgabit, ubique nunc & semper & in Secula Seculorum Amen. 61. *Vocat Diaconum.* 62. *Diaconus accedens dicit:* venio ad immaculatum Regem &c. 63. *Sacerdos ad Diaconum:* Accipis, serve Dei Diacone N. pretiosum & sanctum Corpus & Sanguinem Domini & Salvatoris nostri JEsu Christi, in remissionem peccatorum tuorum & vitam æternam. 64. *Patenam & Calicem detergit Diaconus, eumque populo ostendit.* 65. *Gratias agit pro Communione Sacra.* 66. *Deinde orat post completam Missam pro populo & Ecclesia.* 67. *Recitat Ps. 33. secundum ipsos: nobis* 34. 68. *Orationem dicit in contrahendis rebus sacris.* 69. *Dat remunerationem & facit absolutionem.* 70. *Abluit sanctum calicem ter, & inspicit, ne quid superfit, quod appellatur Margaritis.* 71. *Recitat canticum Simeonis.* 72. *Colligit res Sacras, si non adest Diaconus; si adest, ipse facit.* 73. *Iterum Pater noster.* 74.

Abſolutorium Chryſoſtomi. 75. *Poſtea Contacium.* 76. *Dicit ad populum :* Cuſtodiat DEus omnes vos, ſua gratia, & pietate, ubique, nunc & ſemper, & in Secula Seculorum, Amen. 77. *Populus inclinans caput reſpondet :* Benedicentem & ſanctificantem nos, Domine conſerva in multos annos. Et recedit in pace cum Deo Sancto.

§. 13. Priusquam hoc caput de Liturgiis finiam, renovanda eſt memoria præteritorum malorum, excitatorum in Patria noſtrâ occaſione *Liturgiæ Romanæ*, quam poſtliminio Eccleſiæ obtrudere conabantur *Hoſius Cardinalis, Poſſevinus, Laurentius Cloſterlaſſius* & alii; qui bonâ fide Optimi & Erudititiſſimi Regis JOANNIS III. abuſi, contradicentes calamitatibus variis afflixêre. Sed viri illi, quorum præcipui *M. Ericus Jacobi Schinnerus : M. Nicolaus Olai Bothnienſis : M. Petrus Kenicius, M. Ericus Skeperus*, malis & perſecutoribus victas manus dare, piaculum ducentes, nobis laudum DEO dicendarum reliquere materiam, quod per hæc ſua organa, veritatem nobis ſervaverit ſartam tectam ; quâ ut Nepotes noſtri ad conſummationem usque ſeculi gaudere queant, eſt quod â DEO ſupplicibus contendimus votis! De hoc certamine Liturgico & Lernâ malorum, quam unius & alterius ritus mutatio, & vocabuli intruſio, ſecum traxerunt, vide *Bazii Invent. Hiſt. Eccl. lib. 3. à cap. 37. ad c. 66. & Dn. D. Paulini Hiſt. Arctoa c. 72. p. 308.*

CA-

CAP. XIII.

§. 1.

Vidimus *locum*, in quo Sacra celebrant: *Templa* nimirum: Egimus de *lingua*, qua Sacra peraguntur, *Slavonica:* Mentionem fecimus *Liturgiæ*, quæ anima eſt totius religionis ipſorum: Nunc de *tempore*, quo conveniunt ad ſacra loca, diſpiciamus. Tria autem diverſa indicat *Dn. Olear.* l. 3. c. 25. p. 291. & *Fletſch.* cap. 22. I. ante ſolis ortum, quod *Outrena* dicitur, reſpondens noſtro Otteſang/ Anglorum *Mattins:* cujus hunc nobis deſcribit ordinem *Fletſcherus* l. c. *Sacerdos intrat templum, comitante Diacono,* qui, ubi ad medium templi proceſſit, clarâ voce dicit: *Blagoslavi Vladicó* h. e. Benedic nobis, Cœleſtis Paſtor; Chriſtum indigitans. Ita *Fletſch.* Verum hoc non adChriſtum,ſed adSacrificantem velEpiſcopum, qui per excellentiam ſic appellatur, referendum. Tunc addit: *In Nomine Patris &c.* itemAſpodi pomilui (dicere debeatGhoſpodi) h. e. Domine,miſerere; *ter idem repetit. Dein promovet greſſum ad ſuggeſtum usque* (chancell) *vel Sanctum Sanctorum, uti appellatur â Ruſſis, & intrat illud per portam cœleſtem; per quod nemini patet aditus, Sacerdote excepto,* (& *Czare*, cui intrare licet, quoties S. Cæna utitur.) Ubi *ſtans ad altare, vel menſam* (poſitam ad ſuperiorem parietem ſuggeſtus) *recitat orationem Dominicam, & dein Ghospodi pomilui duodecies,*

Postea: *Benedicta sit Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Diacono & populo respondentibus Amen. Tunc Sacerdos addit Psalmos illi diei destinatos & incipit dicens* : veniamus procedamus &c. *& convertit se cum Diacono & populo ad idola, seu imagines pendentes ad parietem, signantes se cruce, inclinantes se ter, illidentes capita pavimento. Post hæc legit Decem præcepta & Credo Athanasii, ex libro Liturgico.* (Quod de decem præceptis asserit *Fletsch.* à vero abludit. Neque illa in libro Liturgico comparent.) *Hoc facto Diaconus, qui stat extra portam cælestem vel suggestum, legit particulam Legendæ, ex libro scripto (nam impressos non habent:)* (*Fletsch.* ævo fortè ita sese habuit. An. 1605. enim scripsit. At nostro abundè typis exscriptæ) *cujusdam Sancti vitam, miracula &c. continentem. Hæc in multas partes dividitur singulis anni diebus,* & legitur *apud ipsos cum tono cantus, non dissimili Papistarum, cum Evangelium suum decantant. Post hanc lectam (quod per sesquihoram, vel bihorium continuatur) addit certas collectas seu preces ordinatas ad illa, quæ legerat antea: & sic ministerium concludit. Et hoc tempore magna vis candelarum cerearum accensa comburitur* (quarum quædam longitudine viri staturam exæquant) *à populo Ecclesiæ istius vel sponte oblata ex voto, vel illi in pœnam imposita.*

II. Tempus Objedna, de quo *Fletsch.* ita: *Circa horam nonam ante meridiem, alium cultum habent* (ipsi Compline, nobis Högmässa

di-

dictum) *in quo multum observant ordinem Pontificiis usitatum in ipsorum Liturgia, cui idem nomen. Quod si fuerit dies festus celebris, ministerium illius peculiari exhibetur modo, & tunc incipiunt ab hac precatione: Benedictus DEUS &c. & Benedicimus tibi, ô DEUS &c. & decantant reliqua, sed cantu magis exquisito.*

III. Vespertinas preces, ipsis Vetſcherna, Aſtonſang/ incipiunt *eodem modo ac matutinas, cum Psalmis ad id selectis. Quibus lectis, cantat: Magnificat anima mea Dominum &c. tunc omnes uno ore cantant: Ghospodi pomilui trigesies. Cui respondent pueri,* qui sunt in templo una voce, quam elevant quantum possunt: Verij, Verij, Verij, vel lauda &c. trigesies; (quid hic velit dicere, non capio. Nam *Verij*, non significat *lauda*, uti ille transtulit.) *Tunc legitur & in festis cantatur Psalmus primus*; & additur *Alleluja decies. Dein aliquid ex Evangelio, quod finitur ter cantando Alleluja.* Et cum dixit *Collectam in memoriam sancti illius diei, concludit ministerium vespertinum. Dein autem Sacerdos in Sancto Sanctorum commoratur, unde nunquam exit durante ministerio* (exiisse vidi;) *Diaconi (quorum multi in templis Cathedralibus stant ad portam cœlestem, intra illam non audent comparere) & populus unà adstat in medio templi vel in porticu*; neque enim sedilia aut scamna habent in suis templis. Consentit *Fletſchero Olearius* l. c.

IV. Circa mediam noctem, sed tantum in Monasteriis observant. *Conf. Pet. l. 6. p. 6.*

CAP. XIV.

§. 1.

FEstorum cum sit facta mentio, illa nunc enumeranda veniunt: Tredecim præcipua nobis sistit *Olear. l. 3. c. 25.* Primum ipsorum festum solenne, incidit in 8. Septemb. & nominatur *Festum nativitatis purissimæ Virginis Mariæ*; ipsis *Pradznik Roschestve pritchistija Bogoroditsii*, DEI genetricis.

§. 2. In 14. Sept. *Uzemirnoje wosduischenije Cresta*, universalis exaltatio Crucis.

§. 3. In 21. Nov. *W' Wedenie pretschistija Bogoroditsij*, Introductio purissimæ Deiparæ.

§. 4. In 25. Decemb. *Roschestwa Christowa*. Nativitas Christi.

§. 5. In 6. Jan. *Bogojavlenia* seu *Creschenia*; Epiphaniæ s. manifestatio divinitatis Christi, testimonio SS. Trinitatis ad baptismum ejus in Jordane à S. Joh. Baptista (Trium regum nobis dictus.)

§. 6. In 2. Febr. *Stretenia Ghospoda naschgebo Isusa Christa*. Dies candelarum, Simeonis obviam itio Christo, â matre in templo exhibito.

§. 7. In 25. Mart. *Blagoveschenia pritschistija Bogoroditsij*. Annunciationis Mariæ.

§. 8. *Werbnoje Voscresenie*. Dies Palmarum, dicitur doctis: *Nedjela Tswietonosnaja*, dominica s. Septimana florifera,

§. 9. *Woscresenia Christova*, s. *Den Swiatije Paschi*, Paschatos aut resurrectionis Christi: Quo die Russi hilari sunt animo, cum quod Chri-

Christus resurrexit; tum quod jejunio diuturno finis impositus fuit. Peculiari tunc quilibet gaudere potest beneficio, & ut secundum morem ipsis receptum loquar, *Czaris lucidos oculos intueri*, h. e. admitti ad deosculandam manum; accipiens ovum rubrum in rei memoriam. Ab hoc die continuos 14. sequentes populus & Primores ejusmodi collorata ova portant; quorum ubique magno numero venalia. Qui sibi invicem occurrunt, hoc sancto tempore salutant se osculo, his verbis additis: *Christos Voskrese* h. e. *Christus surrexit*. Cui respondent dato osculo dicentes: *Voistino Woskrese*, verè surrexit. Neque tunc quisquam, cujuscunque sexus aut dignitatis, cuiquam tale osculum & ovum denegabit.

10. *Wosnescnia Christova*. Ascensionis Christi.

11. *Soschestwija Suiatago i Schivotworaschthago Ducha*. Descensionis Sancti & vivificantis Spiritus.

12. Incidit in 6. Aug. *Preobraschenije Ghospoda Isusa Christa*. Transfiguratio Christi coram discipulis suis in monte.

13. In 15. Aug. *Uspenie pretschistija Bogoroditsii*; Obdormitio purissimæ Matris DEI, (ut ita dicam.)

14. Addit *Warmund sc. Novi anni*, quod in 1. Sept. styl. vet. incidit, si de Ecclesiastico est sermo. Est *Simeoni Stylitæ* sacer; quem quibus cere-

ceremoniis celebrent legere eſt apud *Warm.* cap. 7. p. 52. Addenda his, quæ etiam ſolennioribus accenſentur, ad d. 27. Sept. *Mors Johannis Evangeliſtæ.* d. 13. Nov. *Joh. Chryſoſtomi.* d. 1. Jan. *Circumciſionis Chriſti.* die 17. Jan. Eremitæ *Antonii*, qui vixerat ſub *Conſtantino Magno*. d. 29. Jun. *Petri & Pauli* feſtum ſolenne. Videantur *Calendaria Ruſſica.*

Hæc modo enumerata feſta omnibus celebranda; reliqua, quorum tantus eſt numerus, ut ſingulis anni diebus, non tantum ſingula, ſed plura reſpondeant. E. g. Michaelis, Andreæ &c. liberum eſt unicuique pro lubitu celebrare. Sed Eccleſiaſticus ordo, illa legendo, cantando, & Liturgias recitando tranſigit. Præter hæc Feſta, diem Dominicam non tantum, ſed & diem Mercurii & Veneris, quibus ipſis jejunandum, ſacris addicunt; uti obſervat. *Olear.* l. 3. cap. 25. p. m. 290. Sed olim nulli religioni ſibi duxerunt, poſtquam ſemel ſacris matutinis interfuiſſent, reliquum diei labori deſtinare, accedente inprimis perſvaſione, quod feriari Magnatum tantum eſſet: Sed addit idem, Patriarcham jam ſuo tempore eo rem perduxiſſe, ut ſuus honos diei conſtaret Dominicæ. Nunmehro hat es der Patriarch alſo verordnet / daß nicht allein in den Feſt- und Sontägen / ſondern auch des Mittwochens und Freytags weder Kram noch Werckſtätt offen ſtehen mus / auch müſſen an ſelbigen Tage die Kabake und Krüge

zu-

zugehalten werden / und sonderlich wanns Zeit zur Kirchen ist zu gehen / nichts daraus verkauffet werden. Quæ à Patriarcha tunc constituta, ita quoad diem Dominicam confirmavit Czar ALEXIUS MICHAILOWITZ *Stat. Mosc.* cap. 10. lege 26. *Singulis diebus Sabbathi Orthodoxi Christiani, tribus horis ante vesperas officinas claudant, & à mercatura & aliis operibus omnibus desistant. Dominicis vero non aperiantur, nemoque mercaturæ, exceptis quæ ad victum humanum, & equorum pabulum pertinent, aut labori vacet. Quod observetur in singulis Domini Festis.* Sic sanctificationi illius diei tam bene ibi cautum arbitramur, ac in aliis Christianis Ecclesiis.

CAP. XV.

§. 1.

PEculiárem cultus speciem, cum apud *Russos* æque ac *Pontificios* constituant *Processiones*, earum paucis meminisse juvabit. Duodecim milliaribus (30. wirst:) *Moscuâ* distat Monasterium *S. Trinitatis*, in quo sanctus quidam, natione Russus, nomine *Sergius*, professione primò *miles*, postea *Eremita*, mortuus Anno 1563. humatus, miraculis, si credere fas est, inclytus; quò se *Czar* cum universa familia sua, & Primariis aulæ Ministris, singulis annis bis confert, *Trinitatis & Michaëlis* diebus. Dimidio milliari cum à Monasterio abest, ipse pedes incedit & *Tzarissa* & *Sorores* ejus, usque

usque ad Monasterium, ubi aliquot dies exigit; quo tempore *Archimandrita* ipsi & comitatui, quæ ad victum necessaria suppeditare tenetur: ibi quoque venationi *Czar* indulget, relaxandi animi gratiâ.

§. 2. Alia processio instituitur, in qua & *Czar & Patriarcha* præsentes, ad templum in urbe, non procul ab aulâ legatorum situm; cujus delineationem dabit *Olear. lib. 1. cap. 13.* Eamque d. 22. Octobr. institui docet, & Templum occasione imaginis Mariæ in terrâ repertæ in eo loco ædificatum.

§. 3. Processio quoque habetur ad aliud templum Moscuæ, cui nomen *Pretschistija Boghoroditsja Casanskaja*, quod in illo reperitur Exemplar imaginis Mariæ, in Casan inventæ; quò peregrini se magno conferunt numero.

§. 4. Inter maximè solennes eminet illa, quæ die *Palmarum* celebratur, & instituitur à Templo S. Mariæ, ad illud cui nomen Jerusalem, in vicinia arcis, cujus descriptionem hanc dedit *Warm.* pag. 58. nempè: *Primo arborem, ad quam varii fructus alligati, in humili curru, quem equus trahit, præcessisse; cui insidebant 4. pueri candidis amicti stolis, cantantes Hosianna. Hos excepisse Sacerdotes (Popos) Pontificalibus indutos, portantes cruces, vexilla, imagines, thuribula fumantia. Post hos Principes & Consiliarios Czaris & reliquos nobiles, binos processisse, plerosque ramos palmarum gestâsse. Hos secutos utrumq; Czarem* Iwan & Petrũ Alexeowitz, *Fra-*

Fratres, tunc simul regnantes, qui a quatuor Bojaris splendide vestitis deducebantur: Czar uterque Patriarcha Equum, cui longas aures artificiose addiderant, ut Asino esset similis, manibus habenas longiusculas tenentes, ducebant. Fictus ille Asinus nigro panno involutus erat, cui Patriarcha, eo quo apud nos mulieres equitare solent modo, insedit, indutus Pontificalibus pretiosissimis vestibus, in capite gestans mitram unionibus distinctam, cui aurea superimposita erat corona: Dextra crucem auream Adamante ornatam, qua populum adstantem benedicebat. Ad latera & a tergo Patriarcha incedebant Metropolita, Episcopi & alii Ecclesiastici, libros pars, pars thuribula portantes, quos primarii Mercatores & populus comitabantur. In via puerorum plurimi jussi erant consistere, & partim vestimentis suis, partim aliis rebus viam sternere, ut sic per illas Czares & Patriarcha incedere possent. Pro hac opera Patriarcha Czaribus 800. Rublos tum dedisse, fatetur author se audivisse; Czares autem hac ratione humilitatis documenta se dedisse, ipsique Salvatori hunc honorem, idque in memoriam ipsius, exhibuisse credunt. Eodem modo per totum Regnum hac processio instituitur: Czaris locum tenente Woiwoda vel Gubernatore, Patriarcha autem Metropolita vel primario Ecclesiastici ordinis viro. Hanc processionem delineatam & æri incisam videre est in Brands *Itin.* p. 256. Sueticè descriptam lege *Per. l.* 6. p. 36. qui eam Apespel nominare non dubitat.

§. 5.

§. 5. Peregrinationibus his ad loca sacra vim expiandi peccata &c. Adscribi vix dubitare possum licet Or. Kirchst. p. 19. contendat, id apud Græcos non fieri. Sed eô fine quoque â Pontificiis instituuntur; quibus si Russos jungamus, veritati nos litasse credimus. Quam sanctè habeant Processiones ex hac lege 26. cap. 10. *Stat. Moscov.* colligas: *In diebus vero quibus publice cum imaginibus, & crucibus per civitatem procedunt supplicationes, nemo mercaturam exerceat, aut officinas aperiat, quoad usque Processio in Cathedralem Ecclesiam reversa non fuerit.*

§. 6. Non minimam cultus divini partem cum in *jejuniis* quærant, quædam de his etiam indicanda. *Ecclesiam Moscoviticam duram & molestam jejunandi rationem suis præscribere* indicat *Olear.* l. 3. cap. 29. pag. 308. Cujus jussis quidam strictius, quidam verò stant laxius. Neminem se vidisse ait, qui illis diebus carnes comedere voluerit. Neque sacharum nunc adhibent, cum *Patriarchæ* mercator dixisset, illi albumen ovorum admisceri. Plures dies per annum habent, quibus carnis esus interdictus, quam concessus. Singulis enim hebdomadibus *Mercurii & Veneris* diebus jejunandum est ipsis.

§. 7. Deinde maximum jejunium incipit, circa Dominicam *Esto mihi*, & usque ad *Paschatis* tempus extenditur. Prima septimana *Maslaniza* dicitur illis, cum butyri, la-

ctis,

ctis, ovorum adhuc concedatur usus; in quâ se plurimi strenuè ingurgitanti, vino sublimato maximè, quod ipsis valdè placet; immemores illius *Basilii hom.* 1. pag. 185. *de laude jejun.* *Non per temulentiam aditus patet ad jejunium, nec ad sobrietatem per lasciviam.* Per reliquum tempus jejunium melius observant, ita ut quos religio incessit, etiam piscibus abstineant.

Secundum jejunium *octiduo* post *Pentecosten* incipit, duratque *ad Petri Pauli* 14. diebus.

Tertium incipit 1. *Aug.* & *14. diebus* observandum.

Quartum *die* 12. *Novemb.* usque ad *Nat. Christi.* Diebus Festis & Dominicis, nisi incidant in tempus jejunii, omnes carnes comedunt, & dicitur quod se *peccare credant*, si tunc abstinerent. Est namque apud ipsos, æque ac in Primitiva Ecclesia prohibitum jejunare die Dominica, quæ gaudio spirituali destinata. Durante jejunio, præsertim magno, *nemini licet mutuam uxori præstare thori benevolentiam:* Existimat autem *Olear.* Daß durch verrath Ihrer selbst oder Ihrer Weiber/ wenig Strafgelder einkommen werden. Quod uti à multis negligi crediderim, à cordatioribus tamen observari dubio caret, idque sub pœna Epitimii, & non mulcta pecuniaria. Pœnam hanc sic describit Talander Reiß-B. cap. 3. pag. 22. Wer in der Fasten seine Frau erkennet/ kan das gantze Jahr nicht zum Abend-

K mahl

mahl gehen/ ohne Beysorge/ eine grosse Sünde dadurch zu verüben. Ist es ein Priester/ muß er ein gantzes Jahr seine Ampts-Verrichtungen unterlassen. Und wenn es ein andrer/ der in das Predigampt zu kommen trachtet/ wird er die gantze Zeit seines Lebens nicht darzu gezogen. Ihr Mittel wider diese Unreinigkeit/ ist vielmehr das Bad als die Reue.

§. 8. Peculiaris est jejunii sanctificatio, quæ in majori inprimis jejunio frequens, olim maximè, cum ad confessionem se præparant; nam quidam *aves coemunt & avolare sinunt*, existimantes liberatione avium se bonum opus exercuisse, & quod DEUS ipsos â peccatis eâdem ratione sit liberaturus. Cum Turcis hoc commune habent, qui & ipsi similibus operibus remissionem peccatorum lucrari se posse, falsò sibi persuadent. Hoc nostro tempore, fere in desuetudinem abiit hæc consuetudo, & parum inter honesto loco natos obvia. De reliquis ritibus in administratione Sacramentorum adhibendis nunc esset dicendi locus: Sed illorum, ubi ad Sacramentorum doctrinam perventum fuerit, mentionem faciemus. Nunc de Scholis disquirendum.

CAP. XVI.

§. 1.

TEmplis contiguas habent *Scholas*, quarum

rum minutus olim fuit numerus; hodiè valdèauctus, ut in singulis majoribus *pagis* singulæ, in *Civitatibus* plures occurrant. Eruditionis in illis acquisitæ summus apex fuit, *legere & scribere Russice & Slavonice: Olear.* autem docet jam suo tempore agitata esse consilia de erigendis talibus, in quibus & *Græca & Latina* addisci possent *linguæ*, *Patriarchâ & Czare* in id enitentibus; quæ adeo feliciter effectui data, ut in viciniâ Aulæ Patriarchalis, ejusmodi *scholam erectam* viderit, cui tum Græcus, *Arsenius* nomine, præfuerit. Ab illo tempore longè plures fundatæ, ut non amplius isti querelæ *Olearii* locus: **Verstehet auch kein Russe / er sey geistlich oder weltlich / hohes oder niedriges Standes-Personen / nicht ein Wort weder Griechisch noch Lateinisch.** Confer. **Talander** cap. 4. pag. 28. Sed alia fuit *Orichovii* sententia, qui suo jam ævo illorum Latinis Græcisque literis exculta docet ingenia: quanquam nimius videri posset in laudibus gentis suæ *Orichovius*. Inter alias scholas eminuit illustris illa, quam duo Hieromonachi Græci Giovannichius & Zophronius *Licudi* fratres germ. Moscuæ aperuêre, in qua plusquam 100. juvenes Græcam, Latinam & Slavonicam addiscebant linguas; quin & à longo tempore Lingua Græca in scholis tradita; licet non semper à magistris eruditione claris. De scholis hæc **Talander** cap. 4. pag. 27. **Man findet in Moscau weder**

Collegien noch Universitäten. In ihren Schulen lernet man in der Jugend nichts mehr als schreiben und lesen. Hactenus benè. Sed sequentia sibi non constant. Und wenn einige wolten mehr studiren/ so würden sie sich verdächtig machen/ und deswegen gestrafft werden; indem der Czar nicht zuläst/ daß einer vor gelehrter als Er gehalten werde.

§. 2. De ipsorum ingenio in percipiendis literis & linguis *Olear.* testatur, *esse illos felicissimo*, quod Exemplis confectum dedit. Libros, quorum præcipuus in Scholis usus, sequentes enumerat *Petrejus* lib. 6. pag. 7. *Alphabeta, libros precum (Tsasownik* dictos) quarum plurimæ ad *Mariam* & *Nicolaum directæ, cum responsoriis, Psalterium Davidis, Symb. Apostolicum, Nicenum & Athanasii* & gestas res Alexandri Magni. Quod de gestis Alexandri M. hic asserit, non meretur assensum: Nam in Scholis nullius teruntur manibus. *Symb. Apost.* non habent translatum. Sed illi quibus animus est adeundi sacros ordines, discunt legere in *Nov. Testam. Act. Apost. Epist. Pauli, Homiliis Chrysostomi, Basilii, Gregorii Nazianzeni* & quorundam aliorum. His adde Grammaticam *Slavonicam* in 4. & 8. editam, sub hoc titulo: *Grammatiki Slavenskija pravilnoje Syntagma*, cujus author *Miletius Smotriskius*, Clericus ad templum descensus Spiritus Sancti *Vilnæ* in Lithuania, tempore Patriarchæ Constantinop. *Thimothei.* De literis ipsorum sequen-

quentia tradit Talander: Im Jahr zwölfhundert und zwey und sechtzig/ hatten die Moscowiter noch kein *Alphabet* gehabt. Aber zu selbiger Zeit sendete ihnen Keyser Michael Palæologus die Sclavonischen Characteren oder Zeichen der Buchstaben/ deren sie sich bis anjetzo bedienet/ und seynd alle Ihre Bücher mit diesen Buchstaben geschrieben. Indeß brauchen sie noch zu ihrer Sprache ein absonderliches Alphabet, welches sie meistens von den Griechischen entlehnet/ und haben die Zahl der Buchstaben dermassen vermehret / daß sie deren 43. zehlen / davon der gelehrte Daviti uns die Aussprache gezeiget/ und kan man deren Figuren in dem Turnisser antreffen. cap. 4. pag. 26. Quod longè ante illa tempora literis gavisi sint, supra annotavimus. c. 3. §. 6. Quod alio Alphabeto, quam hoc posteriore, à Græcis maximam partem mutuato, utantur, vidisse me non memini: Literarum figuram, nomen & potestatem, vide sis ap. *Olear.* l. 3. cap. 22. p. 280. *Pfeiff. Crit. Sacra* qui tantum 40. numerat. *Ludolphum* Gram. 39. *Vanselaw* in initio *Catechefeos Russico-Svetica* nitidiss. Holmiæ in 4. impressæ, cujus unicum tantum in Archivo Regio vidi Exemplar, curiosissimis hactenus ignotum.

§. 3. Nunc celebrem plane scholam Moscuæ apertam esse, à captivo *Præposito Marienburgensi D.* Glück inaudivimus, ipsius quoque ad Czarem de hâc factam propositionem ad

manus habemus, quam prolixitas vitanda inserere prohibet. Quod felici successu gaudeat conatus, literis amicorum nuper edoctus est Adm. Rev. *Dn. D. Molin*, S. R. M. Reginæ nostræ clementissimæ à Sacris primariis. Sed non desunt qui aliam fovent sententiam, & hanc facultatem ipsi concessam non esse, nisi ipsorum sacris se addixerit, existimant.

§. 4. Calligraphias sunt studiosissimi, quod Manuscripta in Archivis Czaris asservata loquuntur. Sed & hodie librorum manuscriptorum, apud ipsos est usus frequentissimus: cum impressi omnibus non sufficiant, Typographiis existentibus rarioribus.

§. 5. Non equidem accedo *Talandro*, qui c.4. p. 27. unicam tantum in regno toto existimat esse *Typographiam*, eamque Alexandriæ in Sloboda quæ 4. milliaribus Moscua distat. Sic enim loquitur: Alle Bücher/ deren sie sich bedienen/ seynd geschrieben/ in dem im gantzen Lande nicht mehr als eine eintzige Buchdruckerey ist; nemlich zu Sloboda in Alexandrien, vier Meilen von Moscau/ welche doch nichts anders unter die Presse nimmt/ als die Wercke/ so zu des Czars gebrauch bestimmet/ und müste man in sonderbahren Gnaden stehen/ wann man einiges Exemplar davon erhalten solte. Hodiè aliter se res habet, & tanta vis librorum in castris Russicis ad Narvam reperta, ut Pop *Fædor Stepanof* Ratzinensis Sacerdos, cui cognitionem Elementorum Ling. Moscov. debeo,

beo, per jocum dixerit: Russos venisse oppugnatum Narvam, Libris non armis; Processionem potius, quam expeditionem bellicam instituisse. Nobis autem licebit inde inferre: Majorem metum Numinis & pietatis curam florere in ista gente, quam hactenus persuasum plurimis. Ceterum plures sunt Typographiæ, nec locus quem nominat *Tal.* notus. Antiqa videtur illa satis quæ *Ostrogiæ* adhibita est ad *Biblia imprimenda*; quam comparavit *Dux Ostrogensis*, circa An. 1580. Deinde *Kioviæ* instructam crediderim: Itidem *Moscuæ*, ubi nunc *Palatium Typographorum* magnificè exstructum, plura præla continet. Est & quarta in monasterio *Kuteniensi*, duobus milliaribus Novogrodiâ dissito, Typographia; item 5. *Tshernighowiæ*, è quibus plures prodiere libri precum &c. Celeberrima omnium est *Moscoviensis*: in qua splendidissima imprimuntur opera, varia & vasta volumina, sumtus CZARE liberalissime suppeditante. Hujus natales & antiquitatem, ut & alia ad Hist. Eccles. Russicam spectantia cum doceat *relatio* ex Archivo Regio die 13. Nov. 1703. nobis communicata, hanc subjungere placuit:

§. 6. Aus Copia aus des Großfürsten Knes *Jwan Wasilievvitzen* Kirchen-Ordnung/ welches aus der Reußchen Jahr Rechnung von 7061. biß zu itzo lauffenden 1640. Jahre vor 71. Jahren/ von dem Großfürsten und Metropoliten wegen der Druckerey und Kirchen-Ordnung angerich-

tet/ und gestifftet worden/ aus der Reuschem Sprache ins Deutsche mit Fleiß übersetzet worden:

VOn dem Vater außersehen/ von dem Sohne geliebet/ von dem Heil. Geist geschlossen/ und von dem glaubigen Zahren und Großfürsten *Iwan Wasiliewitz*, aller Reuschen Landen Herrscher und gesegneten auch geweiheten Macarien Metropoliten über gantz Reuschland/ haben viele heilige Kirchen aufbauen/ in der Zahrischen Stadt Moscau/ und in allen andern des gantzen Landes herumb gelegenen Städten/ in seinem Reiche/ auch in dem neuen gewundenen Lande/ unter Casan mit seinen Städten/ die heiligen Kirchen/ von dem glaubigen Zahren herrlich und schön mit Bildern auch mit gottseligen Schrifften und herrlichen Büchern/ und allen gebührlichen Kirchen Ornat und Zierde ausgeputzet/ und wol staffiret/ nach guten Gewohnheiten/ und geistlichen Kirchensatzung/ vermüge Göttlicher und Apostolischer Väterlichen Büchern/ aus weisem Rath so vieler berühmten grossen Könige/ seligen Andenckens/ auch von Constantinopel aus Griechenlandt/ von dem grossen Kayser Constantino, Justino und Michael auch andere zu der Zeit Gottseligen Königen/ auch zu dieser Zeit nun jetzt regierenden gottseligen glaubigen Zahren und Großfürsten *Iwan Wasielievitz* Herr über gantz Reuschland angeordnet und befohlen die Heiligen Bücher von Märcketen und Buchladen zu kauffen/ und in die heilige Got-

Gotteshäuser geben lassen / als nemlich: **Den Psalter / die Evangelien und Apostel-Geschäffte** / auch andere Gottselige heilige Bücher uñ Schrifften / die da unverfälschet uñ unverdächtig seyn; sintemahlen man viele Bücher befunden / die da verdächtig / falsch und unrecht geschrieben / auch viele alt verlegen und zerrissen / von den ungelehrten unverständigen Schreibern verfälschet und unrecht geschrieben. Da dieses vor den Zahren gebracht / und solches verständiget und zu Ohren kommen / da hat der Zahr und Großfürst / auf Mittel gedacht / durch was wege Er die Druckerey aus Griechen / Venedig oder Phrygia aus andern Sprachen und Zungen ins Land bekommen möchte / darinn man forthin die **Heilige Schrifft und nützliche Bücher** gedrucket / und verfertiget bekommen könte / und hat der Zahr und Großfürste seine Meinung und Bedencken / dem geweiheten Macarien Metropoliten über gantz Reußland zu verstehen gegeben / worüber der Metropolit sich höchlich erfreuet / und zu dem Zahr und Großfürsten gesaget: **Dieser Rath und gute Gedancken / hat dir GOtt eingegeben / von oben her seynd diese gute Gaben dir zugeflossen.** Nach diesem Befehl des glückseligsten Herrn Zahren und Großfürsten *Ivan Wasilievitz*, Herrn über gantz Reußlandt / und dem gesegneten und geweiheten Metropoliten ist gerathschlaget worden / auf was manier man einen **Meister mit der Druckerey** in dem Jahr 7061. in dem 35. Jahr /

des Großfürsten Alter / aus Zahrischen gottseeligen Bedencken / und gehabten Rathe befohlen / die Druckerey zu bauen / und aus seinem Zahrischen Schatz / alle Unkosten daran zu *spendiren* / biß daß die Druckerey vollkömmlich gefertiget. Und gab der Zahr und Großfürst aus seinem Schatz den Bauleuten in St. Nicolai Kirchen / und dem Buchdrucker Iwan **Hoderßon und Peter Timofiofson** / wegen der Druckerey und ihren Häusern Geld zu bauen / und da ihre Erbeit alles vollkommlich gefertiget / da hat man zu aller erst Bücher der Heiligen Schrifft und Apostel Geschäffte / und aus allen Apostelen und des Apostels Pauli Epistel zusammen getragen / und drucken lassen / in dem Jahr 7071. den 19. April. am Tage St. Iwan Paliwreda, die gantze Erbeit angefertiget / hernacher im Jahr 7072. den 1. Martii ist bey Antretung des Ertz-Bischoffs Offanasii Metropoliten über gantz Reuschlandt / in dem ersten Jahr seiner Regierung / dieses Werck gäntzlichen vollführet und geschlossen; Alles der Allmächtigen und alles Lebendes Anfängern / der Heiligen Dreyfaltigkeit / GOtt dem Vater / GOtt dem Sohne / und GOtt dem Heiligen Geiste / zu höchsten Ehren und Danck glücklichen verrichtet und wol vollendet / Amen. Integrum itaque decennium Typographiæ adornandæ insumtum. Et sic hæc reliquis omnibus *antiquior, nitidior & illustrior* meritò censebitur.

§. 7.

§. 7. Memini conquestum esse â *Dn. Schwabe* Disc. præl. 3. & *Olear.* Edit. primæ p. 174. quod lente Typographicæ operæ procedant; quo jure id fecerint ignorare me fateor, cum observaverim *librum de Fide* satis magnum in fol. crassitie duos digitos æquantem, intra bimestre esse absolutum an. m. 7156. Hinc factum, ut in secunda edit. omiserit *Olear.* querelam. Carè libros divendi nullum est dubium, quod & benè observarunt authores allegati.

§. 8. Nitidissimis & chartâ & stylo utuntur, ut nihil reliquis Typographiis Europæis concedant, vel in ullo inferiores sint: cujus testes adduco Biblia, libros Chrysostomi de Sacerdotio, Liturgias & vitas Sanctorum An. 1700. editorum. Videtur Czar hodiernus palmam *Regibus & Principibus quibusvis* dubiam facere velle, promovendo literarum studia. Nam immensam auri vim iis impendit, & etiamnum impendere paratus. Absque *Czaris* & *Patriarchæ* veniâ nullus liber imprimitur, omnes etiam nomina eorum adscripta habent; Vetustiores ad calcem: Recentiores in frontispicio. Exempl. vide supra *cap. 2. §. 1. & 12.*

§. 9. Neque suis Typographiis contentus hodiernus *Czar*, facultatem dedit Bibliopolæ & Typographo Batavo, *Joanni Thesing*, imprimendi *Libros Russicos* & vendendi in ditionibus suis, peculiari ipsi concesso 15. annorum

Pri-

Privilegio Anno 1698. 14. Maji St. V. quod ſic incipit: *De Voorſt en Grootmagtigſte Heer en Zaerſe Majeſteyt*, PETER ALEXEWITZ, *der beiden Ruſſen Vryherr.*

Gehoort hebbende de vorenſtaende bede, heeft deſelve an den Suppliant Jan Theſing *goedertierentliyk toegeſtan en vergunt, als mede gelaſt te doen drukken alle* Kaerten *der* Waereldt, *Land en Zee Kaerten*, *alle* beelteniſſe van vorname Perſonagien, *alle voorens benaemde Boeken handlende van* Oorlog *ſo te Water als te Lande*, *als ook die van* Bouw-konſte, Wis-konſte, Veſtning-bouw, *Boeken van allerley* Kennis, Vrye Konſten, Handwerken, *behalven van de* Griekiſche en Geſtelike Beliednis, *in de* Duyitſe en Ruſſe *tael*, *med letteren van jeder in ſin tael in en band teglyck*, *of jeder int byſonder*: *de gemeldte* Boeken *en* Kaerten, *van de geheele* Waereld, Printen, *of* Beeltniſſen *van alle voornaeme* Herren *en* Perſonagien, *van* Amſterdam *tot int* Ryk *van ſyn* Zaerſe Mayeſteyt *af te Schepen op Archangel*, *en in alle andere Steden en Plaetſen van geheel* Rusland, *op dat daar door ſyn* Zaerſe Mayeſteyts Onderdanen gereet, *en gehoorſam woorden geoeffend*, *en veel Winſt toegebracht.* Quibusdam interjectis: *Sullen van alle Boeken*, *die te koop worden gebracht tot Archangel*, *motten betalen*, vire ſtuyvers *van waerde van* vyf gyldens *in de Schatkiſt van ſyn* Zarſe Mayeſteyt. *&c.* Optandum eſſet, ut promisſis ſtaret *Dn. Theſing.* Sed literæ *Dn.*

Bleau

Bleau & Dn. Petzold ad *Nob. Dn. Sparfvenfeld* ſpem noſtram in herbâ ſupprimere videntur. Ita enim ille Amſtelod. d. 10. Apr. 1700. *Je me ſuis informé de ce que le Sr.* Theſing *a deſſein de faire, en vertu de l' oĉtroye & du Privilege du Czar, mais il n' a encore rien fait, je ne crois pas méme qu' il faſſe quelque choſe, à moins que quelqu'un, qui fut plus ſcavant dans ces affaires s' en veullié mesler & s' aſſocier avec luy, ce qu' il ſouhaitte fort; mais il aura de la peine à trouver ſon hommez. Les Moſcovites, comme vous le ſcavez, ſont gueres curieux, tout ce qu' il font eſt par contrainte, & pour complaire au Czar, lequel mort, adieu les eſtudes.* Hic vero d. 9. Apr. ejusd. anni: Theſing hat ein Privilegium auf 15. Jahren/ ob er ſchon ſehr wenig thut und ſelber keine capacität dazu hat.

§. 10. Ut conſtet Czarem nihil reliqui feciſſe, quod ſubditis ſuis expoliendis conducere poſſit, non præterire poſſum ea quæ reperi in Hiſtoriſchen Remarques Hamburgenſibus d. 23. Maji 1702. pag. 167. Herr Elias Kopijewicz, ſo mit Ihrer Czariſchen Mayeſtet in Moſcau allergnädigſten Privilegio verſchiedene Bücher geſchrieben/ und Anno 1698. in Amſterdam eine Druckerey zu excolirung der Sclavoniſchen Sprache (von welcher die Rußiſche ein Dialectus iſt, angerichtet/ iſt anjetzo in Berlin würcklich in Unterhandlung begriffen/ daß beſagte Druckerey dorthin zu der von Ihro Königl. Mayſt in Preußen errichteten Academie des

des Sciences soll transportiret werden. Exhibent deïn Catalogum librorum, partim impressorum, partim prælo paratorum: Sed experientia docuit nihil omnino hactenus typis descriptum. Cum averem scire, quâ fortunâ uteretur Berolini, egi cum Dn. *Nöller* Bibliop. Rigensi, ut, quid rei esset, inquireret; qui desiderio meo velificatus, hoc responsi â *Dn. Ulrich* Liebpert Berolino die 28. Febr. An. 1702. tulit: Was anlanget wegen der Rußischen Schrifft/ kan ich meinem Herrn nichts gewisses davon berichten. Es ist zwar hier viel redens davon gewest/ aber nicht zum stande kommen. Die Buchstaben sind Griechisch/ aber auf ein 8. oder 10. Stücke sind anderer gestalt; Sie haben hier sollen geschnitten werden/ aber sie können nicht mit einander überein kommen/ sind welche die sagen: **Sie können die Sprache aufsm** *Fundament*, andere die da sagen: **Sie können nichts**/ also ist es ins stecken kommen/ und bis diese Stunde nichts daraus worden.

§. 12. De Bibliothecis quid dicam? Nullam harum apud Scriptores invenio mentionem. Ex relatione *Dn. Sparfvenfeld* didici, Czarem habere aliquam satis instructam & mscr. & impressis libris, eamque in aulâ ipsius asservari. Est & Patriarchæ sua, non minori librorum numero celebris. In singulis provinciis suas adornarunt, Metropolitæ, Archiepisc. Episc. inprimis in Monasteriis eas repe-

rire

rire eſt; ibique Mſcr. antiquisſima ſumma cura aſſervantur. Apud Eccleſiaſticos alioquin præter *Pſalterium & Manuale, libellumque precum*, raro quidpiam invenies. Qui nobili loco nati ſunt, Hiſtorias patriæ & alias Mſcr. legunt. De reliquis libris minus ſunt ſoliciti; ut apud privatos ſi Bibliothecam (extra domum *Luciani Holoſow*, & paucisſimorum) quæſiveris, operam luſiſſe te deprehendas. Interim libros ſplendidè veſtiri curant, nec auro & argento parcunt uni lateri exornando: alterum quod menſæ imponunt plerumque deauratum non eſt. Hodie autem multi utrumque ornatu ſimili dignantur.

CAP. XVII.

§. 1.

MOnaſteriorum mentionem planè omittere non poſſumus, quæ olim *officinæ fuêre jejunii, vigilarum, precum, beneficentiæ, charitatis & laboris, inſuperque ſtudioſorum Scholæ. Hofm.* Cont. L. U. Tom. I. pag. 109. hodieque planè degenerarunt in otioſorum hominum receptacula. Magno numero viſuntur in Ruſſia, tam viris quam muliebri ſexui dicata. In hæc ſe conferunt, pars paupertatis cauſa, alii ob ingraveſcentem ætatem, quidam ſanitatis minus validæ curandæ cauſa, multi quod cum thori ſocio vel ſociâ non ipſis conveniat, quidam aliis moti rationibus: Quarum poſtre-

postremam & rarissimam devotionem dixeris; quæ tamen divites quoque eò traduxit. In Monasterium transens, olim omnia sua bona legavit Monasterio, postea partem quoque hæredibus reliquit. Cum sic ferè tota regio Monasteriis addiceretur; ut ipsi *Czari* tandem absque colonis vita transigenda fuisset: Malo huic medicina factà hoc *Statuto: Si aliquis patrimoniatus cujuscunque conditionis, aut vidua, in Monasterium ingressus, aut ingressa fuerit, patrimonia qualiacunque (si qua habuerit) illi non det, nec post susceptum monasticum habitum ea amplius administret. Sed reddat agnatis ad ea de jure vocatis, qui teneantur ipsi usque ad mortem de omnibus necessariis prospicere. Quod si isti non præstiterint, liceat ei patrimonia sua vendere agnatis, aut extraneis; Empta autem patrimonia poterit ad libitum cuicunque vendere, vel donare, retinere autem post susceptum habitum nullo modo* Stat. Moscov. cap. 17. Leg. 43. Quædam proinde divite gaudent proventu: quædam satis paupere.

§. 2. Regulam *S. Basilii*, (qui in Oriente Sec. 4. ut *Benedictus* in occidente Sec. 6. Monasticam vitam ad certas regulas alligarunt. vide *Disputationem nostram Synodalem de Votis Monasticis Upsaliæ Anno 1698. habitam, cap. 2. pag. 7. seq.*) in Russia sequuntur; quæ neutiquam in tot & innumeras ferè familias, uti in Lat. Ecclesia divisa. Existimat *Warm. c. 5. p. 34.* etiam *Benedicti & Nicolai* Sectatores Monachos inveniri: Sed

de

de hoc apud alios, si *Opp.* excipias, nulla prorsus extat mentio. Imò cum omnes Græcorum Monachi *Basilii* regulam sequantu, *Orient.* Kirchenstat p. 10. non video undè plurres Regulæ ad Moscovitas emanârint. Consentit *Perrisften* Relat. *de Moscov. i frati sono tutti del ordine di San Basilio.* Errarunt proinde illi qui *Petrejo* retulerunt, eos esse *Bernardi* regulæ addictos. Vide l. 6. p. 4.

§. 3. Regulæ suæ sunt observantissimi. Statis temporibus nocte dieq; cultui divino vacant. vid. *Petr.* l. 6. p. 26. *Rosaria* semper ad manus habent. Sunt autem *Rosaria Russorum* ex corio fabrefacta, certis peculiari modo paratis nodis distincta; cum *Romanæ Ecclesiæ Rosaria* ex globulis constent: & hunc morem orandi per calculos, ab *Eremita Petro*, introductum jam A. C. 1090, etiamnum servat. Eorum nullus usus in Ecclesia Græca, si fides *Orient.* Kirchenstat pag. 18.

§. 4. Austeram deguntin Monasteriis vitã: nunquam comedentes *carnes & pisces recentiores;* Sed tantum salsos, cui addunt *mel, lac, caseum, & olem,* inprimis *cucumeres* salitos. Bibunt autem *quas* seu liquorem ex aqua, cui parum farinæ injectum, compositum; ingrati & acidi saporis; cui etiam cucumeres immittunt & cochlearibus comedunt.

§. 5. Extra septa Monasterii ab amicis interdum lautius habentur, ut etiam bene poti reducendi sint. In Monasteriis neque vinum,

neque vinum aduſtum, neque medonem aut cerevisiam inebriantem ſervare licet: queis ſi Pontificiorum Monaſteria privaveris; Monachos quoque omnes in exilium miſeris. His enim vina generoſiſſima, quibus pleraque abundant, præcipuum eſt coactæ & violentæ detentionis ſolatium.

§. 5. Plurimi ſunt indocti, ſimplicitate & ſtupiditate celebres; & de his non minus ac de plerisq; Ruſſis è plebe verum eſt hodieque, quod *Clemens Adamus* dixerat: *Orationem Dominicam decimus quisque haud novit.* Pauciſſimi decem præceptorum habent notitiam; credentes hanc ad Dominos & primarios Eccleſiaſticos, non verò ad ſe ſpectare. *Orient.* Kirchen-Staat p. 20. etiam teſtis eſt, ignorantiam hanc apud Græcos quoque Monachos regnare: Was endlich die Literatur der heutigen Griechen betrifft / ſo iſt gewiß daß ſo wohl zu Athen / als in dem übrigen Griechenlande / die alte Philoſophie und rechtſchaffene Gelehrſamkeit gantz zu boden liege / und die meiſten Prieſter und Mönche die alte Griechiſche Sprache nicht verſtehen / ja es iſt manches Orts von den Biſchöffen verboten / daß niemand die alte Poëten, Redner / Philoſophos und andere Scribenten leſen möge. Deßhalben lernen die meiſten in der Schule deßwegen Griechiſch leſen / daß ſie ihr Breviarium oder Stunden Gebet können auffſagen / die aus ſchönem Griechiſch beſtehen / und auf welche / wie die Papiſten auf ihre Horas

Cano-

Canonicas, und Nonnen auf dem Psalter/ die Griechen / nicht allein die Priester und Mönche/ sondern auch die meiste der Leien / den grösten theil ihrer Religion gründen.

§. 6. Multos Monachos in plateis videas rusticorum instar, currus regentes, & mercaturam exercentes, qui â secularibus non nisi veste discerni possunt. Sic plebei etiam apud Græcos Monachi laboribus dediti, nec in otio vitam transigunt, ut fit apud Pontificios, quorum pars maxima Vacunæ vacat. Veste pullâ utuntur: comam alunt & barbam.

§. 7. Reguntur ab Archimandritis, Abbatibus, Igumenis, Prioribus &c. quorum apud inferiores & fratres authoritas satis magna. Inter Monasteria eminet S. Trinitatis Sergii, quod caput præ reliquis effert,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi; ut mihi hoc de suo largiatur Latinorum Poëtarum princeps *Virgilius.* De quo Monast. *Sup.* cap. 15. §. 1. pag. 141.

§. 8. Ordinem, quo se invicim excipiunt, habes in *Statutis* Moscoviticis cap. 10. *de judiciis.* Sed & ex mulcta eorum, qui verbis injuriosis Abbatem hujus vel illlius Monasterii exceperit, quæ non æqua omnibus dictatur, quid intersit discriminis certus esse poteris. Qui enim Abbati Monasterii S. Trinitatis solvere tenetur Rublos 100. Abbati ex Wlodimiriensis Nativit. Christi Monasterio solvit 90. & sic minuitur mulcta in reliquis.

Eliguntur Principis arbitrio, cui nemo resistere audet. D. *Bothwidi* th. 40. De Monialium Monasteriis, vide *Meyersh.* pag. 32. de *Eremitis Lasizium* pag. 166. *Herberst.* pag. 31.

CAP. XVIII.

§. 1.

REgimen Moscoviticæ Ecclesiæ quod concernit, habuit illa olim *Metropolitam* tantum, à Patriarcha Constantinopolitano electum & constitutum; postea vero *confirmatio* ipsi solum relicta; Dein Episcoporum & totius ordinis Clericorum consensu ordinatum, donec jus constituendi illum sibi vindicasset Magnus Dux; qui etiam *Metropolita* titulum in *Patriarchatus*, proprio motu commutavit. *Olear.* l.3. c.28. p. 304. tradit equidem Patriarcham *Philaret Nikitiz* ultimnum fuisse *Patriarcham à Constantinopolitano* confirmatum: Sed jam antea hæc videtur ipsi derogata fuisse authoritas. De hoc in *Stepenna Kniga*, Msc. & vita *Johannis Basilidis*, hæc reperio. *Primus Patriarcha Moscoviæ fuit* Job, *prius Metropolita Moscoviæ. Creatus* autem *est anno Mundi* 7063. *à Jeremia Pat. Constant. qui ipse in Moscoviam venit cum Metropolita uno & duobus Episcopis Græcis. In magna autem Novogardia posuit Archiepiscopum Alexandrum in primum Metropolitam ejusdem &c.* Et ab illo tempore *Czares* Patriarchas constituisse, mihi quam maximè sit verosimile. Conf. *Guagnin.* in ed. *Albini.* p. 226.

§. 2.

§. 2. Hodiè electio ipsius fit in majori arcis Templo Sobor, congregatio, dicto. Ex Metropolitis, Archiep. eliguntur duæ, ternæ & interdum quinæ personæ, quorum eruditio, prudentia, pietas cæterorum antecellere creditur, quas *Czari* commendant; qui instituto cum Ecclesiasticis colloquio, id muneris digniori committit. Interdum cum optio inter illos datur difficilis, sorti decisionem committunt; quæ etiam nonnunquam repetitur sæpius, ad leniendam aliorum invidiam: Cui cum Czaris accesserit consensus, Electio rata habetur. Electores autem dant ipsi literas vocationis, quibus eum ritè electum testantur: de qua Electione vide *Petr.* l. 6. pag. 3. dicentem: Hwilcken/når som han skal wäljes och wijes/ ingen minder Högtid skeer/ ån når en Storfürste uthwäljes. Et ut pateat quanta sit in hoc negotio authoritas *Czaris* addit: Mißhagar samma Person Storfürsten/ som the uthwald hafwa/ tå tager han en annan ther til/ then honom tåckes/ och achter intet/ om han til samma kall år dogelig eller ey/ och alle te andelige stå honom emoot/ moste han tå likwål taga ther widh/ och blifwa Patriarch så långe Storfürsten synes. Hæc postrema verba videntur innuere, pro arbitrio Principis iterum deponi posse: verum experientia firmat, quod cum *Patrarcha Nicon* esset loco movendus, tunc à *Czare* tres accersitos esse Patriarchas Græcos, qui sententiam de eo tulêre, & offi-

cio indignum judicavêre; ut abſoluta ſua poteſtate in hoc paſſu non utatur. Jure optimo proinde attulit ſequentia *Dn. Sir.* cap. 5. p. 86. Nec minus in Ruſſica Religione laudandum, quod ab electione *Patriarchæ*, non excludant magnum Czar, ſecus ac hodie contra vocem Spiritus Sancti & Antiquorum Praxin, in Romana fieri ſolet Eccleſia.

§. 3. Hujus Patriarchæ â *Czare* in univerſo regno ſumma eſt authoritas: Titulo gaudet eo quo Czar, excepto quod ſe non Czarem ſed Patriarcham nominat. Patriarchen/ inquit *Petr.* l. c. brukar ſå högh Titel ſom Storfürſten/allenaſt at han intet ſkrifwer ſigh för Czar &c. Judicium in rebus ſpiritualibus exercet, religionis *curam* habet, mandato Principis, cui ſumma incumbit. vide *Quenſt. Part.* 4. c. 13. Sect. 2. q. 5. Officio ſatisfacturus, *Pietatis*, licet ſuperſtitione & erroribus contaminatæ, ſedulus eſt promotor; & quæ huic ſcopo obtinendo ipſi videbuntur conducere, ordinare ipſi integrum eſt, & ſic ordinata Czar mandat executioni dari. De hoc *Olear.* l. 3. *Itiner.* cap. 28. p. 304. Der Patriarche hat nach dem Großfürſten die gröſte Ehre und Gewalt im Lande; Iſt Richter über die Geiſtlichkeit in Sachen / die nicht bloß dem weltlichen Rechte unterworffen/ hat auffſicht auf die Religions-Sachen/ gute Sitten und Chriſtlichen Wandel / und was ihm dabey gut deucht / mag er nach belieben ordnen/ einführen und abſchaffen/ und befielet dem Groß-

fürſten

fürsten die Execution. Et si fides *Dn. Pernist.* inconsulto Patriarchâ, nihil majoris momenti, determinat. *Il gran Prencipe non risolve ò non determina cosa d' importanza, senza il parere, del Metropolita.* Hic ipsius tempore nondum titulo Patriarchæ gaudebat.

§. 4. Patriarchæ dignitatem illustrat cap. 12. *Stat. Moscov.* cujus 1. lex ita sonat: *Patriarchæ officiales, aulici, filii nobilium, subditi, cæterique cujuscunque conditionis homines, qui vivunt in Patriarchatus bonis, judicentur in quacunque causa, sive actores, sive rei in aula Patriarchæ; nunquam enim tempore antecessorum Tzarum, & piæ memoriæ Domini Tzaris, & totius Russiæ Magni Ducis Michaelis Federowiz, ad aliquam Cancellariam vocati fuerunt, sed semper ad illam, cui ipse præsidet.* Hinc quoque officiales Patriarchæ & Consiliarii, Tzaris dignitate proximi. Lege II. vero ita constitutum: *Sed si Patriarchæ officiales muneribus corrupti, vel amicitia depravati, aliquem injustè judicaverint, & hic appellationem ad Tzarem interposuerit, admittatur, & ejus causa ab officialibus Patriarchæ ad Tzarem & ejus Bojares avocetur, & comperta veritate, quod illi injuste judicaverint, puniantur, sicut constitutum est de judicibus Tzaris.* Quo jure proinde *Guagninus* c. 2. *Desc. Mosc.* dixerit: *Arces, civitates & omnes administrationes seculares ipsis ademtas;* non video. Nec id sequitur ex hac relatione *Herbersteinii* pag. 22. *Episcopi, duntaxat circa res divinas, ac ipsam religionem*

piè procurandam ac promovendam sunt occupati: rem autem familiarem & publica negotia officialibus administranda committunt. Nam & idem faciunt Pontificii Episcopi, quibus administrationem ademtam esse, nemo affirmaverit. Unde *Petrejus*: Metropoliterne/ Patriarchen/ Abbaterne och Prioter i Clöstren hoswa sina egna Landbönder/ och åhrlig inkomst l. 6. p. 4. Reditibus Patriarcha gaudet amplissimis, si fides *Talandro* cap. 9. pag. 58. Dieser Patriarche hat ohngefehr drey und viertzig tausend zwey hundert Pfund jährliches Einkommens.

§. 5. Ab hoc etiam Czar coronatur seu ungitur; qui postquã Principum dignissimus eum rogavit nomine populi, ut Czarem dignetur ungere, manu prehensum Czarem in sede Regia collocat, crucis signo munit faciem ipsius & pectus, imponit capiti mitram Ducalem, corona ornatam, finiens ceremoniam hanc benedictione, quam ipsi Patriarcha, Archiepisc., Episc. & totus Clerus impertiuntur; commendans ei *Timorem DEI*, *amorem justitiæ*, *& religionis defensionem*. *Taland.* cap. 6. pag. 40. A nemine, ne quidem ipso Czare Patriarchæ destinatis facilè contradicitur: Et plura pro arbitrio Patriarchæ esse immutata testis est *Olearius*. Hodie defuncto *Adriano* nemo est surrogatus, licet sedes jam ultra biennium vacaverit; quæ tamen aliàs intra semestre ab alio occupata. Hinc suspicio & hic mutationem meditari *Czarem*; sed fortè temeraria.

§. 6.

§. 6. Metropolitas ſecundum *Olearium* lib. 3. capite 28. pagina 305. habent præterea quatuor. 1. *Novogrodienſem.* 2. *Roſtovienſem.* 3. *Caſanenſem.* 4. *Sarkienſenm.* Quos excipiunt Archiepiſc. ſeptem 1. *Wologdenſis.* 2. *Reſanmenſis.* 3. *Susdalenſis.* 4. *Twerſenſis.* 5. *Sibirienſis.* 6. *Aſtracanenſis.* 7. *Pleſcovienſis.* De *Meyersb*. pag. 27. addit *Archangelenſem.* Hos excipit Epiſcopus *Columnenſis.* De *Meyersb.* addit Epiſcop. *Viatka.* Poſt illos numerant *Protopopas*, *Popas & Diaconos.* *Archidiaconum* unum habet Patriarcha, Cancellarii vices obiens. *Patriarcha*, *Metropolitis*, *Archiep. & Epiſcopis* nunquam uxorem ducere integrum eſt, cum è Monachorum ordine ſint electi. Interim viduo, ubi in Monaſterium ſe contulit, patet aditus ad ipſum patriarchatum. Exemplo ſit *Philaret Nikitiz Czaris parens*; quod tamen ſingulare, nunquam fortaſſe imitandum.

§. 7. Non licet Eccleſiaſticis annulos geſtare, niſi *Protopopis & Diaconis*; nec uti caligis; nec lintea, ſed lanea induſia tantum induere, neque molli lecto membra excipere feſſa. Ipſi tamen Patriarchæ non quidem lineum ſed ſericũ fuſci coloris, induſium conceſſum eſt. Veſtis *Patriarchæ & Metropolitis* communis eſt tunica nigra prolixa, cui adhuc pallium nigrum injiciunt. Nigri coloris panno nemo, præter Eccleſiaſticos & Monachos, in Moſcovia veſtitur. Mitras *Archiepiſcopi*, *Epiſcopi*

& *Abbates* nigras & rotundas gestant: solus *Novogrodiensis* albam bicornem more Romano. *Olear* sic describit capitis ornatum: Auf dem Kopfe tragen sie schwartze Hauben/ bey drey Ellen weit/ welche in der mitte eine runde Platte/ als einen grossen Teller und hinten vom Kopfe herunter hangend haben. Baculum in modum crucis formatum manu tenent *Olear.* Wann sie auf der Gassen gehen/haben sie ståbein Hånden/ die sie Posok nennen/ so oben einen guten Finger lang/fast in einen rechten Winckel gekrůmmet.

§. 8. Poporum seu Sacerdotum quantus in in Moscovia sit numerus inde cognoscas, quod Moscuæ 4000. numerentur: cum in Templis majoribus 6. 8. & 10. reperiantur.

§. 9. Hi ad ministerium sacrum destinantur hoc modoo. Ille, qui Sacris initiari cupit, adit Patriarcham vel Metropolitam, &c. ubi examinatur, non quidem ab ipso Patriarchâ, sed alio, cui illud commisit: qui, si ipsi testimonium dederit, quod bene legere, scribere & cantare didicerit, ordinatur & ordinationis ipsi dantur literæ.

§. 10. In vestitum datur ipsi tunica sacerdotalis, parum â plebeis tunicis differens; coloris promiscui. Crines in vertice non raduntur, sed forcipe secantur & capiti panneum capitium *Skuffia* dictum imponitur: Quod dein semper gestant, nec in gratiam ullius loco movent. In hoc dignitatem ipsorum

rum potissimum consistere facit. *Warm.* cap. 5. p. 33. Worinnen ihre gantze Priesterliche Würde bestehet / und käme derjenige so Ihm sothanes Skuffia oder Weyhmützlein von dem Kopf abschlaaen sollte / in sehr grosse Straffe. Simonia valde in usu. *Warmund.*

§. 11. *Popis & Diaconis* non tantum licitum est, uxores ducere, sed tenentur, eas sibi adjungere, idque uti volunt, ad præscriptum Pauli 1. Tim. III. 12. *Episcopus sit unius uxoris vir.* Peculiarem quoque meretur observationem, *quod Virginem teneantur ducere:* Sie seynd verbunden eine Jungfrau zu nehmen inquit *Talander* c. 9. p. 58. Qui uxorem violatæ pudicitiæ ream invenerit, ministerio sacro adhiberi nequit. Sammaledes skal ey heller wijas til Präst som kräncker en Jungfru / heller ock märker förstа natten han hoos sin hustru ligger / att hon icke war Junafru. *Petr.* l. 6. pag. 47. Mortuâ uxore, à sacro ministerio abstinere debet, nisi ætate & moribus conspicuus inveniatur; nec quicquam illorum obire, quæ antea obierat. In choro tamen instar Diaconi, legere & cantare ipsi licet. Sæpè etiam junior Sacerdos, cui castè extra conjugium vivere difficile, deposito habitu sacerdotali, mercaturæ vel opificio se addicit, & sic secundas celebrat nuptias.

§. 12. Episcoporum jurisdictioni subsunt *Clerici, Monachi, Moniales, Proscurnicæ* (viduæ Sacerdotum pinsendis panibus sacris de-

destinatæ) *uxores & filii Sacerdotum, vidua & obstetrices, ac ministri monasteriorum quique vestes monachorum conficiunt & similes. D. Bothw. th. 41.* quod de actionibus ad ministerium ipsorum spectantibus accipiendũ. In cæteris judici seculari subsunt, perinde ac laici. Committit *Dn. Sir.* Fabrum cum Sacrano, nec obscurè partibus hujus accedit. Dixerat *Faber p. 171. Nec se unquam Imperator ipse de pœnis Clericorum ingerit. Hoc Episcopalis tantum animadversionis constanter affirmant & prædicant, ut eos arguant, & castigent, quos sibi subditos Evangelicus ordo, & in sortem Domini vocatio fecerit.* Subdit *Sir.* Ast imperitum & inexpertum sese iterum præstitit *Faber*, cum *Sacranus Elucidarii* sui cap. 2. errorem Moscorum 40. hunc referat: *Dicunt*, sunt verba Sacrani, *Secularibus Dominis, eorum præsidibus, licere sine nota excommunicationis majoris, verberare & deponere eorum Patriarchas, Episcopos, sacerdotes.* Sed utriusque assertioni sua constat veritas. Illi quidem, si de iis sermo, quæ ad officium ipsorum spectant. Huic, si de aliis criminibus & offensis agas. Impunè tamen verberare ipsos non licet: licet de facto sæpè fiat; quod cum ipse *Dn. Sir.* observaverit ex *Petr. Olear. Herbersteinio;* cur dicam *Fabro* scripserit non conjicio. *Petrejus*, inquit, docet l. 6. à Patriarcha & Episcopis coerceri sacerdotes in actionibus officium eorum spectantibus; ast in aliis peccatis, adulterio, furto, homicidio, proditi-

one

one &c. Magistratus politici coërcitioni eos esse subjectos &c. Talem autem exemptionem ac in Papatu, ibi vigere, nemo dixerit. Hinc illæ *Sacrani* lachrymæ.

§. 13. Officium Episcoporum est, Sacerdotes ordinare ac dissidia in religione componere: Sacerdotum ter in septimana Sacra peragere. Hæc de jurisdictione Episcoporum & de Clericorum coërcitione, paucis delibasse sufficiat.

§. 14. Necessarios proventus habent è prædiis, aliisque extraordinariis beneficiis. Sacerdotes plerumque ex contributione curialium seu Parochianorum sustinentur: assignanturque eis domunculæ cum agris & pratis, undæ victum quæritant. Tempore belli etiam tenentur exercitum milite augere, ut reliqui bojares. The moste ock giöra sin Rußtienst som andre Bojaret/ når krig år förhanden/ och hålla så många håstar och karlar/ som the haswa godz och inkomst til. To Patriarchen/ Metropoliterne/ Bisperne/ samt Munckerne/ haswa fierde dehlen af landet under sine klöster: Kneßerne och Bajorerne den andre fierde dehlen/ och Storfürsten så myckel som bådc dehlerna/ therefter the ock skola sigh rusta/ och ferdige hålla når krig år/ och the på tog uth drago skola. *Petr.* l. 6. p. 4.

§. 15. Ecclesiastico Ordini tantus habetur honos, ut summis Ducibus præferantur Metropolitæ &c. vide *Petr.* l. 6. pag. 4. ubi Bo-

ja-

jarum filii ipsis ministrare dicuntur. The förnämste af them hålla öfwer 1000. Bajorer / som them dageligen tiena/ och somlige minder/ som the hafwa förmögenhet til.

CAP. XIX.

§. 1.

DE Conciliis apud ipsos habitis verbo agamus. Nationalium satis magna apud ipsos veneratio; quorum duo occasione *Sectæ Roskolkicæ* habita. Primum A. M. 7162. Moscuæ in arce; cui interfuerunt *Czar Alexius Michailovitz, Nicon Patriarcha* & totius Cleri præcipui num. 34. una cum toto *Senatu Principis* seculari. In hoc verba fecit *Nicon* & Schismaticos refutavit, de modo signando se cruce & emendatione librorum impressorum; eo successu, ut *Czar* & totum *Concilium* statueret, fidem deberi codicibus vetustis membranaceis; & secundum illos impressos emendandos. Quorum sententiam *Patriarcha Const.* de eo consultus, approbavit, & plusculos Codd. Manuscr. Czari submisit.

§. 2. Alterum celebratum Anno Mundi 7190. d. 5. Julii in Granwita Czaris arce præsentibus. *Czaribus Joanne & Petro*, & præcipuis è Clero: Sed & *Czarissa Nathalia Kirilovna & Principes Tatiana Michalovna, & Sophia, & Maria Czarum Sorores* aderant, in quo prius Concilium confirmabatur, & quod libri Patriarcharum *Philareti & Josephi* tempore im-

impressi, emendatione egerent ipsis ad oculum demonstrabatur. Tantum autem tumultum Schismatici excitarunt, ut eo perculsi Czares & reliqui coronâ exire pararent. Sed precibus Procerum moti, ad tempus usque precum vespertinarum interfuere. Caput autem *Mikita* tumultuantium principi amputatum: Cæteris libri ademti: & ne tumultui ansam darent imposterum, Vulcano traditi. Hanc relationem suis circumstantiis munitam, communicavit nobis Generosissimus *Dn. Sparfvenfeldius*, qui tempore postremi hujus Concilii Moscuæ degebat. Sed de Conciliis late tractatur in libro *Objed Duchowin*, ad quem Lectorem remittimus.

§. 3. Paucis adhuc monendum, ex *Herberst.* p. 22. quod præter *septem Concilia Generalia* Russi nulla agnoscant. Illa autem sunt: I. *Nicenum* in quo 318. Episc. *Arium*; II. *Constantinopolitanum I.* in quo 150. Episc. *Macedonium*; III. *Ephesinum I.* in quo plus quam 200. Episc. *Nestorium*; IV. *Chalcedonense*, in quo 630. Ep. *Euticben* damnârunt. V. *Constantinopolitanum II.* Anno Christi 553. VI. *Constantinopolitanum III.* An. Chr. 680. VII. *Nicenum II.* An. Chr. 787. celebrata. Hoc ita intelligendum existimo; Reliquis tantam authoritatem non esse tribuendam: omnem autem illis adimendam, non sinunt credere provocationes ad Concilia particularia, non infrequentes.

CAPU

CAP. XX.

§. 1.

CLaudat hanc Sectionem *Sanctorum* memoria, quorum cultus apud Russos utramque facit paginam. Ordinem talem eis assignavit *Basilides cap.* 13. Responsionis, quo agit de veneratione Imaginum. *Enimvero*, inquit, *divinarum Imaginum, prima est JESU-Domini & Servatoris nostri. Deinde purissimæ Genitricis ejus. Tertium obtinent locum eæ, quæ sunt potestatum cælestium Sanctorumque omnium.* Præcipuos horum enumerat *Oderbornius in vita Basilid.* pag. 320. *De sanctorum hominum numero S. Nicolaum, Michaelum Archangelum, Eliam vatem, & Johannem Baptistam religiosissimè venerabatur, futurum ratus, ut post tot patrata facinora, illorum intercessione ad DEum immortalem commendaretur.*

§. 2. Rationem invocationis hanc dat *Basilides*, & quidem *B. Virginis: Ea est mediatrix salutis hominum, ac per eam placatus est nobis DEus.* De reliquis ita: *Saluti nostræ opitulantur.* Sed frivolam esse rationem, quis non videt? De Sanctis è gente Moscovitica, vide *Olear.* lib. 3. cap. 27.

§. 3. Observatione peculiari digna, quæ tradidit *Meyersb.* pag. 27. *Simulachra omnia, præterquam in Ecclesiæ altari, Moscovitæ respuunt. Sed à Græco, vel Rusrico penicillo delineatæ Divorum Iconibus tabulæ, postquam eas pro au-*

auro, vel argento permutatos (emere non licet) suas fecerint, & aqua asperserint lustrali, in tanta apud eos sunt veneratione, ut addubitare liceat, quonam eos cultu prosequantur.

§. 4. Pergit laudatus Author: *In ædibus suis privatis plures quisque habet, quæ in cœnaculorum & cubiculorum angulis collocatæ, & juxta uniuscujusque facultates argento, auro, ac gemmis ornatæ, tam familiarium, quam advenarum cultui exponuntur. Coram his luminibus accensis preces suas fundunt, easque profectò compendiosas.*

§. 5. Tanta est imaginum necessitas, ut in omnibus actionibus sacris adhibeantur. *Monachis, aut Sacerdotibus preces suas absente imagine ad DEUM fundere, nullo modò licet. Ita Dn. Meyersb. De omnibus hoc asserit Petr. Lib. 6.* Sed audiamus iterum *Dn. Meyersb. Si baptizandus est puer, si connubia jungenda, si juramentum præstandum, si defuncti cadaver terræ mandandum, imagines adhibendæ.*

§. 6. Nec sequentia prætermittenda censemus. *Ab intimis templorum parietibus, circumquaque à privatorum pietate appensæ pendent imagines. Si vero aliquis Ecclesiæ decreto reliquorum communione privetur, eâdem pœna sacra ejus plectitur Icon, è templo enim detracta excommunicato domum suam deferenda traditur, admittenda rursus cum ipso, si Ecclesiæ fuerit reconciliatus.*

§. 7. De cultu quem ipsis exhibent, ad-

venæ sic loquitur sæpius allegatus *Meyersb.* l. c. *Cum Moscovitarum aliquis alterius conclave ingreditur, omnibus, quos ibi offendit, cujuscunque dignitatis fuerint, insalutatis, circumlato confestim obtutu angulos perlustrat, an Imagines adsint? Quas si illico non viderit, interrogat, annon aliquis ibi DEUS sit? Ostensas autem ter se inclinando, & crucis signo muniendo veneratur. Inde erga adstantes humanitatis officia adimplet. Peractis negotiis abiens, imagines iterum eodem venerationis cultu prosequitur.*

§ 8. *Si vir cum uxore sua generationi operam dare velit, imagines aliquo velo operire tenetur, teste eodem* l. cit. Omnia quæ hic *Dn. Meyersb.* retulit, apud *Olear.* l. 3. cap. 26. quoque germanicè legi possunt.

§. 9. Quæ fata maneant cariem sentientes, sic exponit *Meyersb.* pag. 28. *Porro si aliqua ob vetustatem evanidis coloribus cariosa conciderit, eam projicere, vel comburere religioni sibi ducunt, fluento potius supernatare volunt, quo sors duxerit appellendam, aut in aliquo cœmiterio, tanquam suo usui mortuam sepeliri.*

(o)

Secti-

Sectionis Secundæ Dogmaticæ

CAPUT I.

De Justificatione.

§. 1.

POscit nunc instituti ratio, ut pedem promoveamus ad dogmata indicanda, & quantum tempus patietur paucis examinanda; quod cum receperimus nos facturos verbis *Confessionis Russicæ*, à methodo ipsi recepta recedere nobis erit religio. Cum autem Auctori volupe fuerit, tres quasi præliminares tractationi & divisioni præmittere quæstiones, has sicco pede prætereundas minime censemus, cum doctrinam de justificatione contineant.

§. 2. Quantum contentionis super hoc caput: *An justitia sit ex lege, an ex prædicatione fidei, an vero ex utraque simul? Apost. Paulo cum Adversariis intercesserit in pereruditа Disquisitione Inaugurali cui Tit. Zelus Vindex* edit. Aboæ 1703. ostendit *Dn. D. Johannes Rungius Sup. Narv. successor meus honoratissimus.* p. 4. Et dolendum quam maximè, quod totus ferè orbis Christianus, Judæorum legat vestigia, & vel ex operibus solis, vel ex fide & operibus justitiam arcessat; quanquam soli fidei hanc acceptum ferendam tota doceat Sacra Scriptura, &

Paulus quam luculentissime. His qui operibus maximè confidunt, accensenda est tota Ecclesia Græca hodierna & Moscovitica quoque, uti patet ad oculum ex quæstionibus in Confessione præmissis, quarum

§. 3. Primæ his verbis conceptæ: *Quid tenere atque observare orthodoxus & Catholicus homo debeat, ut æternæ olim vitæ hæres fiat?* Cum respondet: *Rectam fidem & bona opera:* hac addita ratione: *Qui enim hæc duo servat, ille bonus Christianus est, certamque æternæ salutis spem habet,* teste Scriptura, quam allegat, nempe *Jac. II, v.* 24. & 26. Dein *1. Tim. I, v.* 19. & *1. Tim. III, v.* 9. non obscurè indicat, operum maximè habendam esse rationem, quod ex quæst. 9. pag. 26. patet, ubi *spem salutis æternæ habendam esse adminiculantibus nostris operibus asseverat.* Quo ipso Autor in fidem injurius est haud dubie, & dictis his ad sententiam suam stabiliendam abutitur.

§. 4. Nam quod dictum *Jacobi* attinet, in eo *Apostolus* nullo modo operum necessitatem ad salutem adstruit, sed id requirit, ut testimonium perhibeant veræ fidei, se per opera bona à fide mortua separanti; unde tamen non sequitur ad vitæ æternæ consecutionem necessariò requiri opera. Quia autem *Apologia Augustanæ Confessionis* pag. m. 107. de hoc loco asserit, quod nullus alius locus magis putatur officere nostræ sententiæ, haud supervacanea censenda opera, si & illam audiamus.

§. 4.

§. 4. *Sed est facilis & plana responsio*, inquit, *Si non assuant adversarii suas opiniones de meritis operum, Jacobi verba nihil habent incommodi.* 1. *Hic locus magis contra adversarios facit quàm nos; Illi namque de fide nihil dicunt, quam Jacobus retinet.* (Quod & *Confess. Ruff* facit, hac in parte Pontificiis vetustioribus præferenda: Recentiores enim fidem quoque poscunt.) 2. *Non sensit Jacobus nos per bona opera mereri remissionem peccatorum & gratiam, loquitur enim de operibus justificatorum, qui jam sunt reconciliati, accepti & consecuti remissionem peccatorum. Jacobus paulo ante dixit de regeneratione, quod fiat per Evangelium. Non igitur per opera.*

§. 5. Quibus si subjunxerimus ex *Solida Declaratione Concordiæ* pag. m. 639. sequentia: quantum à mente *Jacobi* abfuerit illa sententia, quam adversarii ipsi tribuunt, constare putamus. *Jacobus (ut Apologia docet) agit de eorum operibus, qui per Christum jam sunt justificati, cum DEO reconciliati, & per Christum remissionem peccatorum sunt consecuti. Cum vero quæritur, unde fides hoc habeat, & quid requiratur ut justificet & salvet, tum falsum erit, si quis dicat fidem non posse justificare sine operibus: vel fidem quatenus charitatem, quâ formetur, conjunctam habet, justificare: vel fidei ut justificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum, aut ad justificationem: vel in articulo justificationis esse necessariam præsentiam bonorum operum: vel bona opera esse causam, sine qua non: quæ per parti-*

culas exclusivas ex articulo justificationis non excludantur. Fides enim tantum eam ob causam justificat, & inde vim illam habet, quod gratiam DEI & meritum Christi in promissione Evangelii (tanquam medium & instrumentum) apprehendit & amplectitur.

§. 6. Ut proinde rejicienda merito explicatio dicti *Jacobi*, quam cum *Pontificiis* communem habet *nostra Confessio Russica*, & cum explicatione doctrina: *Formalem nostram justitiam coram DEO, esse inhærentem nostram novitatem seu charitatem.* Et dein illa: *quod justitia fidei coram DEO duabus partibus constat; remissione peccatorum & renovatione seu sanctificatione*, prout etiam rejectæ sunt *Lib. Conc. pag. 644.* De dicto *Jacobi* vide *Bald.* ad h. l.

§. 7. Nunc quo jure *Paulum* adducat *Confessio* videamus: Nullo si opera spectes; & hoc inde constat, quod *Apologia Aug. Confessionis* docet *Paulum 1. Tim. I, v. 19.* tractare, *non modum consequendæ vitæ æternæ, sed summam vitæ Christianæ*, quod de altero loco quoque certum est. vide *Bald.* & Lib. Concord. p. m. 108.

§. 8. Ad secundam quæstionem ita formatam: *Quid vero prius credere, tum deinde bona opera efficere debet Christianus?* respondet: *Quia sine fide nemo DEO placere potest, secundum dictum Pauli* Ebr. XI, 6. *ut acceptus igitur sit DEO homo Christianus, ut illique grata ejus sint opera, is primum fidem in DEum habeat oportet; postmodum & vitam etiam suam ad fidei regulam componat & con-*

conformet. In qua responsione, si de fide justificante sermo, quid desiderem non habeo. Hic Russi saniores videntur Papicolis, opera bona sine fide fieri posse asserentibus, *teste Apol. in Lib. Concord.* p. 107. ubi hæc habentur: *Adversarii docent hominem justificari dilectione & operibus. De fide quâ apprehendimus propitiatorem Christum nihil dicunt.*

§. 9. Quæstioni tertiæ: *Quibus in rebus hac duo consistunt?* sic satisfacit *Confess. In tribus hisce virtutibus Theologicis: In Fide, in Spe, in Charitate;* non male, si fidem non tantum ut virtutem, sed ut medium applicandi sibi meriti Christi considerasset. Sed vix, ac ne vix quidem, in hoc sensu de Fide aget *Confess.* quod & summum illud est, quod meritô in illa desideramus; & ipsius Authores eodem quo Pontificii morbo laborasse deprehendimus; quibus consentit Pat. *Parthenius* in Syn. 2. cont. *Cyrill. Luc.* rejiciens hanc sententiam fidem sine operibus salvare. *In nono vero* inquit, *fidem sine operibus salvare statuit: esse autem hanc non opus nostrum, sed Christi unius extrinsecus justificantis hominem per vitam ac mortem suam, ne videatur quidquam ad salutem suam homo conferre. Et Cyrillus Berrhoensis Syn.* 1. *damnat in illo, quod docuerit nequaquam opera sufficere, ad petendam remunerationem in Christi tribunali.* Ex hac assertione credit fluere: *Mentiri Evangelia, dicentia,* Esurivi: & dedistis mihi manducare; & Paulum os Christi, atque

fratrem Domini Jacobum; hunc quidem, non auditores; sed factores legis, justos esse legem ferentem, illum vero fidem sine operibus mortuam declarantem.

§. 10. Distributionem *Operis* facit Autor secundum tres illas partes: Nimirum inquit, ut in prima parte: *Concordi confessione de articulis fidei agamus.* In secunda: *de Spe & oratione Dominica & beatitudinibus Evangelicis.* In tertia denique, *de praeceptis divinis, quibus Charitas in DEUM & proximum continetur.*

CAP. II.

De Fide, Fidei principio, Sacra Scriptura, Traditionibus, Conciliis, Patribus.

PArtis primae tractationem orditur quaestione 4, *Quid est fides?* & respondet ex Ebr. XI, 1. (quam epistolam Paulo recte tribuit) suam subjungens definitionem: *Fides orthodoxa, catholica & Apostolica est, corde credere & ore profiteri unum DEUM, personis trinum.* Quae de fide cordis & confessione oris tradidit, bene firmat loco Rom. X, v. 10. sed minus recte sese habere definitionem asserere possum, si cum iis quae apud *Script. Loc. Theolog.* occurrit conferatur,

§. 2. Nam uti fides alia est *qua* creditur Gal.

Gal. I, 23. Tit. I, 13. alia autem *quâ* creditur 1. Joh. IV, 15. 16. alia atque alia quoque definitio danda. Cum autem *Confeſſ.* hic agat de fide quæ creditur, haud incommode ſic definitur; *Eſt cognitio doctrinæ ſalvificæ, è ſacris literis ritè cognitæ, ſolido aſſenſu approbata.*

§. 3. Quæ dein ſubjungit: *Adhæc pro certo atque indubitato tenere debet orthodoxus Chriſtianus* (Syn. 6. Can. 82.) *omnes Fidei articulos, quos Catholica & orthodoxa credit Eccleſia, a Domino noſtro JESU Chriſto per Apoſtolos Eccleſiæ traditos; atque ab œcumenicis Conciliis expoſitos adprobatosque fuiſſe, quos & ipſe verâ fide complecti debet,* favent 1. *Traditionibus.* 2. *Conciliis,* & illa ut fundamentum fidei conſiderant.

§. 4. Fidem noſtræ aſſertioni facit locus 2. *Theſſ. II, 15.* allegatus: *Vos igitur fratres perſtate, Traditionesque tenete, quas ſive ex ſermone noſtro ſive Epiſtola didiciſtis* (Tremell. vertit *traditam doctrinam*) & ex 1. Cor. XI, 2. *Collaudo ego vos fratres quod mea omnia memoria tenetis; quodque traditiones prout illas vobis tradidi, retinetis.* Hic autem agi de Doctrinâ, (quam ſi traditionem adpellare volueris, per me licet) per omnia iis, quæ in Sacra Scriptura tradita ſunt, conſentiente, tam erit certum quam quod certiſſimum. Unde quid præſidii hic habeant *Traditiones frivolæ, cum verbo DEI pugnantes, cerebello ſuperſtitionum nubibus obtenebrato originem debentes,* non video.

§. 5. Fallit proinde vel maximè ex illis Sacræ Scripturæ dictis facta illatio: *Ex hisce manifestum est, articulos fidei auctoritatem adprobationemque suam partim Sacræ Scripturæ, partim Traditioni Ecclesiasticæ, atque doctrinæ Conciliorum, sanctorumque Patrum acceptum referre.* *Dionysii* quæ affertur authoritas ex *Hierarch. Eccl.* cap. 1. pag. 108. cum supposititium sit opus, & auctoris incogniti (vide *Hofm. Lex. Univers.* part. I. pag. 556. qui non fuisse compositum ante finem Sec. 4. rectè docet.) nos non movet; quanquam *Critop. conf.* cap. 1. pag. 17. eum magni faciat: Et malæ causæ est indicium, quod è tot Patribus neminem in hâc sententia reperiunt, ut confugere habuerint necessum, ad fictum & fucatum hunc scriptorem.

§. 6. Ruunt itaque sequentia: *Scilicet quia gemina & duplicia Ecclesiæ dogmata sunt. Alia literis mandata, quæ divinæ Sacræ Scripturæ literis comprehensa habentur. Alia vivâ voce ab Apostolis tradita. Atque hæc ipsa sunt, quæ postmodum à Conciliis, sanctisque Patribus plenius declarata fuerunt: binisque his fundamentis fides superstructa exstat.*

§. 7. Ex his apparet, quid statuendum de hoc asserto *Opp.* cap. 2. pag. 11. *in rebus fidei Principem ipsum, quidquid credere aut opinari vident, id rectum omnibusque sequendum statuunt.* sc. de facto forte tempore *Basilidis* nonnulla è voluntate tyranni constituta: Sed de

jure

jure nihil ejusmodi evenire debere docet *Confessio. Sch.* cap. 1. tradens, eos Sacram Scripturam sufficientem agnoscere fidei normam, â *Confess.* refutatur: Num autem ipsis videatur clara, ut & hic Pontificiis obscuram clamitantibus, eos possimus opponere, dispiciendum alibi.

§. 8. Circa *principium cognoscendi*, seu normam doctrinæ intolerandum hunc errorem communem habet cum *Ecclesia Romana*, quæ, *traditiones pari pietatis affectu cum Sacra Scriptura suscipiendas* blasphemè docuit in Concil. Trid. Et quod mireris, Christianis in mentem venire potuisse, *pluris traditiones, quam ipsas Scripturas facit tota Ecclesia Romana*, quod Doctorum testimoniis firmat *Quenst.* part. 1. cap. 2. Sect. 2. quæst. 11. Quibus quoad hoc posterius Russi mei sunt meliores: nam de Traditionibus exæquandis vel præferendis, altum apud illos silentium. Traditiones autem dum rejicimus, *dogmaticas*, cum Sacra Scriptura *pugnantes*, volumus intellectas: *non rituales. Quenst.* l. c.

§. 9. *Conciliis* ut majorem quam Patribus auctoritatem largimur haud inviti; ita nihil planè, divina fide credendum extra Scripturam, ab illis nobis obtrudi patimur. De his vide *Quenst.* part. 1. cap. 4. Sect. 2. Esse utilia, non necessaria fatemur lubentia lubentius.

§. 10. *Patres* sint testium loco, quorum suffragia veneramur, & ut fortius stringamus ad-

adversarios ex abundanti ipsimet ea subjungimus. *Quenst.* l. c. Sola itaque *Scriptura Sacra erit norma & regula*, secundum quam omnia dogmata examinanda, vide *Lib. Concord. p. 570.*

§. 11. Laudanda omnino sunt quæ hic in *Confess.* sequuntur, *p. 18. Quam* (sc. fidem) *neutiquam arcanis pectorum claustris duntaxat abstrui oportet: Verum etiam confessione oris intrepidè & indubitanter prædicari & proferri, quemadmodum & sacer Psaltes loquitur,* Psalm. CXVI, v. 10. & Paulus 2. Corinth. IV, 19.

CAP. III.

De *Numero Articulorum fidei &c.*

§. 1.

NUnc sequitur in Confessione nostra *quæstio* 5. *Quot Catholicæ atque orthodoxæ fidei articuli sunt?* Cui respondet: *Duodecim secundum symbolum Concilii primi Niceni & secundi Constantinopoli habiti.* De numero hoc nos ipsi litem non movebimus, cum de eo varient Eruditorum sententiæ. Longe plures esse, si ea, quæ symbolo illo traduntur, in suas partes dispescas, quivis videt. Sed videtur hic numerus placuisse, ut responderet numero Apostolorum, quorum singulis suum symbolum ex *Symbolo Apostolico* tribuunt quoque *Pontificii* .De Conciliis nihil monendum, præterquam quod & nobis sint œcumenica.

§. 2. Sed quæ in Confessione sequuntur:

tur: *Quibus in Conciliis* (quorum doctrina Symbolo comprehensa) *ita accuratè sunt exposita quæ ad fidem nostram pertinent omnia, ut neque plura neque pauciora à nobis credi oporteat*, examen merentur. Et quidem quod de sententia *Calixtinorum*, contendentium omnia *Symbolo Apostolico* esse comprehensa, dixerat *Magnus Calovius*, hic nobis quoque reponendum: esse pluscula quæ hic non sunt exposita, nobis tamen & scitu & creditu necessaria. E. g. *Doctrina de justificatione per fidem Christi meritum applicans, de Scriptura Sacra; de Libr. Canon. & Apocryph. auctoritate Sacræ Scripturæ & alia hujus generis.*

§. 3. Cum notissima sit distinctio Articulorum *in fundamentales & non fundamentales*, quorum illi nec ignorari nec negari possunt: Hi & ignorari & negari: Illi autem *in fundamentales primarios & secundarios* distribuantur, quos inter hæc notanda distinctio: Primarios nec ignorari, nec negari posse: Secundarios ignorari quidem, non autem negari posse, absque salutis periculo & dispendio; hos omnes *Symbolum Nicenum*, si vel maximè de primariis sit sermo, complecti quisquis dixerit, veri limites transgressum se deprehendet. Proinde Confessionis assertioni suus non constabit honos.

§. 4. Addita præterea: *Non alio sensu intellectuque, quam quo Patres illi intellexerunt*, non absque prævio examine admittimus: nam

&

& hic Patribus nimium defertur, & quod Scripturæ Sacræ unicè competit. Ex hoc enim fonte fluxit *Symbolum*, & de *rivulo* ejusque *puritate* ex ipso *fonte* instituendum esse judicium, per se clarum esse opinor. Quod si Patrum dicta *Sacræ Scripturæ* consenserint, ut testes admittantur.

§. 5. Articulos quosdam per se *claros & manifestos*: alios *quædam occultius complecti*, cum docet *Confess.* nos sibi assentientes habet; Si ad verba quibus in Sacra Scriptura tradita respicias: Non si ad rem ipsam, quæ omnem superat captum.

CAP. IV.

De DEO.

§. 1.

SUccedit articulus primus qu. 6. *Credo in unum DEUM, Patrem omnipotentem, Conditorem cœli & terræ, rerumque visibilium atque invisibilium omnium.*

§. 2. Quæst. 7. p. 20. docet: *Articulum duo complecti: prius DEUM credendum* Deut. VI, 4. posterius: *DEUM omnia è nihilo condidisse* ex Psalmo XXXIII, 9.

§. 3. Quæst. 8. pag. 21. docet, esse *unum*, ex Ephes. IV, 5, 6. præterea *existere neminem* ex Es. XLIV, 7. & Deut. VI, 4.

§. 4. Quid sit DEUS? qu. 8. ita explicat: *Ceterum quidnam omnino, in natura sua DEUS sit*

ſit, id ipſum res creata nulla ſatis adſequi ac percipere poteſt. Non viſibilis modo; ſed ne inviſibilis quidem, Angeli ipſimet. Recte omnino; cauſa addita ſe quoque bene habet, *quoniam nulla penitus inter Creatorem & rem creatam comparatio proportioque intercedit.*

§. 5. Quæſt. 9. pag. 22. *Deum eſſe trinum in perſonis demonſtrat* ex Matth. XXVIII, 19. & *inſtitutione Baptiſmi.* Ordinem perſonarum rite tradit: licet *errorem de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre inſinuet*, de quo ſuo loco. *Identitatem eſſentiæ* pag. 28. ex 1. Joh. V, 7. orthodoxe proponit. Ad conſenſum *Synodorum & Doctorum* provocat, *Martyrum* ſanguine firmatum, concludens: *hoc plane & nos modo ex toto corde noſtro ſine ulla titubatione credere, atque hanc firmam & inconcuſſam ſervare fidem, illiusque cauſa, ſi neceſſe ſit, mortem oppetere debemus.* Sic neceſſitatem hujus articuli quoque adſtructam opinamur, & hæc omnia firmo ſtare talo judicamus. Conſentit *Critop. Conf.* cap. 1. pag. 10.

CAP. V.

De S. TRINITATE.

§. 1.

QUæſt. 10. pag. 26. Trinitatis myſterium plenius explicat, & quod *nulla imagine, vel exemplo penitus declarari poſſit*, ex Eſ. XLVI, 5. colligit.

§. 2.

§. 2. Cumque *nullum intellectum comprehendere, nullam linguam eloqui valere* dixisset, ex 2. Cor. X, 5. *rationem captivandam monuisset, & Symboli Athanasii* explicationem candido lapillo signasset, sic finit sermonem: *Hâc fidei simplicitate contenti, nihil ulterius exquirimus ac scrutamur. Siracidis* cap. 3. 22. ne *scrutare*, observandum ducens.

§. 3. Postea *Sanctæ Trinitatis Mysterium* ex Veteri Testamento probat ita, ut in ruborem dare possit *Calixtinos* è Vet. Testam. hoc mysterium clarè probari posse negantes: Qua negatione quantum turbarum in Ecclesia nostra moverint, loquuntur tot libri, tot contentiones.

§. 4. Ut autem constet quâ via incedat, 1. *allegat locum* Gen. I, 26. & Cap. III, 22. & Cap. XI, 7. *pluralitatem personarum adstruentes*. Dein in Es. VI, 3. *Trinitatis vestigia reperit*. Sed ex Psalmo XXXIII, 6. *plane Trinitatem evincit, & ad sacras literas & Doctores Ecclesiæ remittit*.

Sic Russi sese â Socinianis, Anabaptistis, Pontificiis nonnullis, cum quibus Novatores unum inflant cornu, feliciter separant, laudem promeriti eo nomine eximiam. Necessitate medii in Veteri Testamento creditam Trinitatem cum *Quenstedt* statuimus. part. 1. cap. 9. Sect. 2. quæst. 3. vide *Critop*. cap. 1. pag. 11.

CA-

 193

CAP. VI.

De Proprietatibus DEI.

§. 1.

QUæst. 11. pag. 29. *Proprietates DEI in personales & essentiales commode dispescuntur.* quæst. 13. pag. 30. *Personales* esse eas, *quæ personas divinas discriminant, non vero essentiam*, ubi character *Personarum Patris*, ingenitum esse, *Filii* genitum, *Spiritus Sancti* procedentem, si excipias quod â solo patre additur, verè traditur, idque *ab æterno contigisse docetur* ex Ps. CX, v. 3.

§. 2. Hanc doctrinam obsignat effato *Gregorii Theologi: Commune hoc equidem Filio ac Spiritui Sancto est, quod utraque persona à Patre oritur. Sed illud Patri proprium quod ipse ingenitus est, ut Filio, quod genitus est, & Spiritui Sancto, quod procedit.* Quod Confess. addit: *alia personalis Filii proprietas universa adsumtæ humanitatis æconomia est*; peculiaris ipsi est sententia, suo loco relinquenda.

§. 3. Quæst. 13. pag. 31. de *essentialibus* proprietatibus divinis sic mentem explicat: *Esse illas, quæ in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum æqualiter conveniunt: nimirum esse DEUM, esse æternum, carere omni principio & fine, bonum esse, omnipotentem &c. æqualiter nulloque prorsus discrimine tribus personis communes.*

§. 4. Quæst. 14. p. 33. Exponit causas *cur in*

 Symb.

Symbolo omnipotentiæ tantum facta mentio: quoniam *illa essentiæ divinæ proprietatem quam adcuratissime exprimit. Et omnipotentiæ proprium 1. à seipso naturam habere 2. Ex mero nihilo creare.* Omnipotentem probat ex Apoc. I, 8. Lucæ I, vers. 37.

§. 5. Porrò annotat, *omnipotentiam à voluntate & arbitrio distinctam: ut non omne efficiat, quod efficere potis est, sed tantum quod vult*, ex Psal. CXV, v. 3. Et quæ dein subdit: *ille quidem certe sexcenta mundorum millia, æque ac nostrum hunc fabricari potuit, at noluit: Cartesianis nostris expendenda relinquimus:* nam hi illud impossibile dictitant, more suo rationis decempeda, campos divinæ potentiæ dimensuri.

§. 6. *Omnipotentiam cum summa perfectione* conjunctam statuit, atque argumento profanorum DEUM impotentem asserentium, cum peccare nequeat, occurrit, *hoc esse impotentiæ summum signum, & sui abnegationem, cum essentia DEI incompatibilem.* 2. Tim. II, 13. Ebr. VI, 18. *Omnipotentiam extollit* ex Psalmo LXXVII, 13. & 14. recteque dici *omnipotentem cum omnia in suo habeat arbitrio.*

§. 7. Quæst. 15. pag. 36. Docet *quâ ratione DEUS omnipræsens, & tamen quibusdam locis adesse dicatur.* sc. quod *nullum DEUS occupat locum, sed ipse sibi locus est.* Verum quoniam *iis in locis illustriora quædam & magis insignia efficit, ibique opera ipsius & gratiæ vestigia clarius sapi-*

sæpiusque emicant, ita illic habitare fertur, velut in *cœlo* (ex Damasc. O. F. l. 1. c. 16.) *quoniam ibi sunt, qui jussa atque arbitria illius capessunt, illumque perpetuo concelebrant Angeli. In terra, quoniam illic in carne cum hominibus versabatur. In sanctâ Ecclesiâ, quoniam illic modo peculiari & gratia fidelibus datur, & prædicatur gloria. Similiter & locus quilibet alius, in quo aliqua gratia DEI significatio ostenditur, locus illius adpellatur.*

§. 8. Quæst. 16. pag. 37. *De omniscientia DEI agit* & differentiam tradit inter cognitionem *oculorum*, quæ *DEO & hominibus* competit. *DEUM per se nosse omnia; abdita, arcana, hominum angelorumque cogitationes, idque ante orbem conditum,* ex Sir. cap. XXIII, 29. &c. & Apocalypseos II, v. 23. *Angelos & homines ex divina patefactione occulta & futura cognoscere,* ex Dan. II, 23. 2. Reg. V, 26. & Actor. V. cujusmodi *rerum futurarum præsensione omnes Prophetas instructos fuisse affirmat,* & nostro gaudet calculo.

§. 9. De *bonitate* DEI ita quæst. 31. pag. 65. differit: *quicquid boni animo atque cogitatione complecti potes, id omne DEO summè bono, ut causæ ac principio adscribe.*

§. 10. De *præscientia* infra quæst. 25. p. 55. agit. De *providentia* quæst. 29. pag. 62.

§. 11. Quæst. 17. pag. 38. de reliquis egit proprietatibus. *Eas dicit innumerabiles, adeoque reliquas sepositis in enumeratis esse adquiescendum.*

CAP. VII.

De Creatione.

§. 1.

QUæst. 18. pag. 34. docet: *DEUM esse creatorem omnium rerum visibilium & invisibilium sine ulla controversiâ.*

§. 2. Ordinem hunc observasse, quod *ante catera omnia cœlestes exercitus produxerit.* Rationem addit, *cum illi pracipui pracones laudis:* Sed nihil certi evincit. *Solâ cogitatione effinxerit, idque de nihilo, mundum illum intellectualem.*

§. 3. Tum & *materialem è nihilo*: tandemque *hominem, qui haud immerito pusillus mundus dicatur, cum immateriali mentisque compote animâ, & materiali corpore constet.*

§. 4. Quæst. 22. pag. 47. *Quod DEUS verbo jussuque suo cuncta è nihilo fecerit.* Et pag. 48. addit, quod post *reliqua omnia hominem Dominum omnium* ex Psal. VIII, 7. pag. 48. qui locus tamen primariò agit de Filio DEI; sensu accommodatitio de filiis hominum.

§. 5. *Omnia bona esse, quatenus ab illo optimo creatore producta.* Ergo *Sir.* cap. 5. pag. 59. & *Sch.* cap. 5. nihil hic censurâ dignum invenientibus adstipulamur. Consentit *Critopul.* cap. 2. pag. 41.

CAP

124

CAP. VIII.
De Angelis.

§. 1.

QUæst. 19. pag. 40. Cum *primo loco creatos Angelos dixisset, spiritus esse adstruit.*

§. 2. Officium, 1. *quoad DEUM, ut ipsum hymnis concelebrent, ipsique adpareant.* 2. *Quoad homines, ut ministerio ipsis adsint.* 3. *Illisque in regnum Dei viam praeant* pag. 41.

§. 3. *Esse illis etiam urbium, regionum, Monasteriorum, Ecclesiarum, hominumque, item tum religiosorum, tum secularium curam commissam.* Quod probat locis sequentibus, *Actor. V*, 18. & cap. XII, 7. & *Matth.* XVIII, 10. in quo sanior *Pontificiis*, qui huic vel illi Angelo in particulari peculiarem assignant provinciam, urbem &c. cujus hic nullum vestigium.

§. 4. Sed & ea quæ præterea tribuuntur Angelis, quod nimirum: *preces & elemosynas nostras & benefacta reliqua ad divinam Majestatem proferant* pag. 42. & pag. 321. (si addas ut testes.) 2. *pro nobis intercedant.* 3. *localiter singulis hominibus adsint.* 4. *ex periculis quibuslibet eripiant.* 5. *animarumque hostem propulsent* pag. 43. quæ firmat testimon. Ps. XCI, v. 11. rectè se habent, si excipias quæ *de intercessione dixit.* Ejus enim in Sacra Scriptura exemplum non occurrit.

§. 5. Nec aberrat dicendo, *quod in antiqua*

Lege, lege Mosaica nondum lata, legem voluntatemque DEI, majores nostros Angeli quoque & etiam postea edocuerint pag. 42. idque *Dionys. Hierarch. Eccles. 4. pag. 26. docente.* Quanquam omnem voluntatem ab illis edoctos esse, ut illa contendit, asserere non sustineam. Unde & nos assensum præbemus *Dn. Schr.* cap. 5. asserenti: *De Angelis recte sentire videntur, nisi quod Dæmones suffitu abigi posse credunt*, teste *Oderb. Epist. ad Chytr. decepti forte apocrypho testimonio Tobiæ. Idem Pontificiis creditum.*

§. 6. Excipit officium Angelorum, eorundem *divisio in novem choros idque ex sententia Dionys. l. c. cap. 6. & 7.* quem & Pontificii in his constituendis agnoscunt doctorem. Sed ejus authoritati quantum tribuendum, jam *cap. 2. §. 5. p. 186.* indicavimus. Et licet Apostolus meminerit Thronorum, potestatum &c. in 9. tamen præcise ordines dispescendos, nullo solido evincetur argumento.

§. 7. De confirmatione Angelorum in bono tradit, *labi non posse*: rationem addens: *quod Lucifero aurem non præbuerint pag. 45.* illudque non posse labi, *non ulli naturæ suæ præstantiæ, sed mero Dei gratiæ acceptum ferendum*; & quidem optimè.

§. 8. De malis angelis observat: 1. *fuisse bonos*, ex Joh. VIII, v. 44. *& verbis Salvatoris pag. 46.* 2. *Nunc esse impietatis omnis autores ibid.* 3. *Mentium humanarum deceptores, tum ipsos tum instrumenta ipsorum*, ex 1. Petr. V, v. 8.

4. *Non*

4. *Non posse vim suam in hominem vel ullam rem creatam, nisi DEO indulgente, exercere*, ex Matth. VIII, 31. p. 47. *Non* 5. *esse in eorum manu ut peccare hominem cogant.* ibid. Rationem adductam: *Est enim libertate arbitrii praeditus, cui libertati nec DEUS ipse vim ullam necessitatemque infert*, cum distinctione admittimus. Sed 6. *instigationibus, illecebrisque in fraudem & errorem deducere ibid.* 7. *Aeternis suppliciis multati cum sint*; 8. *Gratiae participes esse non posse*, ex *Matth. XXV, v. 41.* bene deducit.

CAP. IX.
De Homine.

§. 1.

HOminem qu. 22. pag. 48. 1. *post reliqua omnia creatum.* 2. *ad imaginem DEI.* 3. *Dominum rerum, quae sub caelo sunt omnium, constitutum*, ex Gen. I, v. 26. Ps. IX, 7. ritè adstruit. Quod 4. *inobedientiam suam carpendo gustandoque de vetito fructu declararit.* 5. *E paradiso ejectus fuerit.* Et 6. *in miseriam summam inciderit*, ex Ps. XLVIII, 13. probat: tandem 7. *mortis sententiam audierit*, ex Gen. III, 19.

§. 2. De *statu innocentiae* qu. 23. p. 49. ex *Bas. Hom.* in principium proverb. (pag. 184. edit. *Bas.*) esse *duum generum*. 1. *Esse voluntariam à malo discessionem, ibid.* 2. alterum: *Simplicem mali inscientiam, ibid. posteriore modo ante lapsum comparatam innocentiam Adami*, pag. 50.

§. 3. *In intellectu scientiam omnem: In voluntate probitatem omnem, & honestatem eluxisse, pag. 50. non parta aliunde scientia instructum, sed ex eo quod de DEO meditaretur & commentaretur DEUM cognoscendo, cetera item omnia per ipsum noscitasse* p. 50. quæ posterior assertio vacillare videtur. *Voluntatem retinuisse libertatem, ad peccandum vel non*, pag. 51. *Quamquam obtemperaret rationi ex* Siracidis c. XV, 11. *adeoque fuisse hominem tum angelis simillimum*, pag. 51.

§. 4. Pœnam lapsus dicit, *quod mortalis evaserit*, ex Rom. VI, 23. 2. *Rationis & intelligentiæ perfectionem amiserit*. 3. *Voluntatem in malum, quam in bonum propensiorem factam deprehenderit. ibid.* Hic extremam hominis corruptionem & statum peccati nimis extenuat, contra quam facit Spiritus Sanctus. Sed benè dein qu. 24. monet, 1. *Omnes homines lapsos* pag. 53. & 54. & 2. *Omnes lapsus pœnæ teneri* ex Rom. V, 12. & Gen. II, 17.

§. 5. De propagatione hominis qu. 28. p. 60. statuit: *corpus esse à semine Adami, animam ex DEO*; quod probare conatur ex *Zach. XII, 1. Eccl. XII, 7.* Ad utrumque locum responsio est facilis, si distinguatur inter operationem Dei *mediatam* & *immediatam*. De priori si accipias, ut accipiendum est, non probant quod est in quæstione: scilicet *animas non per Traducem propagari*. Posteriori autem modo, quo minus accipi queat, obstat dictum *Gen. V, 3. Et genuit filium ad imaginem suam*. Quæ sive physi-

physicè, sive theologicè spectetur, hanc propagandi rationem requirit. Accedit quod hoc negato, nec hominem, nec peccatorem genuerit Adamus; sed tantum exanime corpus, idque omnis labis expers. Cum enim anima sit πρῶτον peccati δεκτικόν, eâ non propagata, peccatum propagari non potuit. Nec vivum censemus propagari; cum absque anima, nullam dari vitam persuasi simus; adeoque hactenus tam stupido fuerimus ingenio, ut quæ *Cartesianum* acumen, de animæ in corpore humano actionibus, & de ejus unione cum corpore excogitavit, veritati conformia esse non potuerimus perspicere. Nobis recepta in scholis olim placet, placebitque sententia, *omnis motus corporis humani*, *animam & quidem rationalem*, quam si mentem, spiritum vel quocunque alio vocabulo nominaveris, perinde mihi est, *omnis inquam motus*, *primum esse principium*.

§. 6. Non ignoramus contra nos stare, quod propagationem per Traducem attinet, & *Pontificios* & *Calvinianos* plerosque, & quosdam etiam ex nostratibus, philosophicis speculationibus nimis deditos, in quorum gratiam veritati dictum Sacramentum, nulli violabimus. Neque soli pro ea pugnamus; sed nobiscum in acie stant innumeri, & summi nostræ Confessionis Theologi.

§. 7. Hanc, *Confessio Russica* hoc argumento: *Si, è semine humano, moreretur*, frustra sub-

ruere tentat. Non enim dicimus animam elici è ſemine corporeo; ſed cum ſemine propagari; mediante hac benedictione *Creſcite & multiplicamini*. Breviter: *modum quo anima propagetur neſcimus, propagari animam à parentibus Scripturæ aſſerenti credimus*; cum Doct. *Quenſt.* part. 1. c. 12. Sect. 2. qu. 3. p. 519. Unde quod Confeſſ. addit: *Inſeritur autem à DEO anima, corpori membris ſuis organiſque jam performato, animæque recipiendæ adcommodato*. pag. 62. firmo fulcro non nititur, cum talem modum propagandi exploſerimus.

§. 8. De unione autem animæ cum corpore, quam ita explicat: *Inſerta, continuo per totam ejusdem compagem diffunditur more ignis, qui ſe in omnes ferri candentis ſinus inſinuat; præcipuum tamen domicilium in capite & corde habet*: felicius philoſophatur, pag. 92.

§. 9. Immortalitatem animæ ex *Luc. XXIII*, 43. *Latronis exemplo* benè adſtruit. Cui addit dictum Chriſti *Matth. XXII*, 31. & de anima tantum agere monet. Tandem quæ ſubdit: *quæ ut ſemper vivit, ita ſemper in conſpectu DEI adſtat* pag. 61. de iis quæ ſalvabuntur accipiendum.

CAP. X.
De Peccato.

§. 1.

PEccatum definit: *Legis & voluntatis divinæ transgreſſionem*. qu. 26. pag. 56.

§. 2.

§. 2. De *peccato Originali* ex Rom. V, 12. infert: *quapropter etiam in utero materno mox cum hoc peccato concipimur, nascimurque* teste *Sacro Psalte*, L. vel LI. secundum nos; quæ assertio, alteram de propagatione animæ prorsus evertit.

§. 3. *Originale avitum dici*, 1. *quod ante illud nulla alio peccato homo infectus fuit*, 2. *quod nemo mortalium nisi cum hac naturæ contagione concipitur.* Causam lapsus & consequenter peccati *ad Diabolum, & dein ad Adamum refert: Tametsi jam tum per lapsum suum corruptus esset diabolus; quo etiam instigante, pullulare in homine cœpit. Cui & Adamus auctor ejusdem effectorque obnoxius erat, & nos omnes qui ab illo genus ducimus.* quæst. 24. pag. 53.

§. 4. Quæstionem satis agitatam: *An DEUS & cur hominem crearit labilem tractat; & sic format eam* quæst. 25. pag. 53. *Quando autem lapsurum Adamum norat DEUS, quid ita quæso illum condidit?* respondet autem: *Cum homine illum in modum agit DEUS, ut per lapsum illius majorem in modum sua effulgeret bonitas; quippe unigenum filium suum in terrestrem hanc vallem demittere poterat, qui carne de virgine castissima, opera Spiritus Sancti adsumta, hominem redimeret, majoreque gloria, quam olim in Paradiso habuerat, cum infamia & dedecore Diaboli, in cœleste regnum suum subveheret. Ideoque nec illud hominis peccatum, ab ipsius creatione DEUM deducere atque revocare potuit.* pag. 55. & 56.

§. 5. De peccato morali ex professo agit *Con-*

Confess. part. 3. de Lege DEI &c. Sed cum illius examen instituere vix permittat tempus, hic verbo indicandum quid desideret circa hunc articulum *Dn. Schr.* cap. 8. Sc. 1. quod *nulla cum sit apud ipsos Decalogi notitia*; nulla quoque *peccati esse possit.* 2. Secutus *Clementem Adamum*, credit apud ipsos *Legem moralem quoad obligationem esse sublatam.* Sed licet talis olim fuerit sententia *Basilidis*, uti patet ex cap. 5. *Resp. ipsius* pag. 32. *Theolog. Moscov. Lasizii.* Hodie tamen decem præcepta non tantum agnoscit. *Conf.* pag. 309. *Sed & præcepta quæ ad observationem charitatis DEO, proximoque debitæ pertinent, non servanda duntaxat Christianis, sed accuratius etiam perfectiusque omnino observanda, quam ab antiquæ legis Israelitis observata fuerunt. p.310.* Rationem addens solidam ex *Matth.V, 20.*

§. 6. Addit præterea *Schr.* 2. *peccata quædam graviora vel plane non haberi pro peccatis, vel non satis severe apud ipsos puniri.* Ex his *adulterium* nominat & *bestialitatis crimen nefandum.* Non reperio in *Statutis Moscoviticis* cap. 22. hæc crimina inter ea, quæ morte punienda, recenseri. Sed lex 26. *Rigore summo punit impudicam abortum procurantem*, sc. *supplicio ultimo.* Nec crediderim ipsis fornicationem simplicem, non esse mortale peccatum, ut *Schr. Sacrani* fidem secutus, existimat. Sunt & alia pluscula â *Schr.* in cap. 8. congesta, quæ aliter hodie se habent, ac forte tempore illorum, qui hæc ipsum docuerunt.

CAP.

CAP. XI.
De Libero Arbitrio.

§. 1.

DE *Libero Arbitrio* ex professo agit *Conf.* quæst. 27. pag. 58. statuitque: *Esse etiam in præsenti hoc tempore in cujusque arbitrio positum, ut bonus filiusque DEI sit, è contrario improbus filiusque diaboli*, pag. 59. idque ex *Bas. M.* qui citat 1. *Cor.* IV, 15. & *Joh.* I, 12. dum in Esaiæ XIV. ita loquitur: *Per voluntatem quisque suam arbitriumque aut semen sanctum aut contrarium esse potest. Audi sodes Paulum dicentem: Ego vos in Christo JESU per Evangelium genui. Audi & hæc Scripturæ verba: quotquot illum receperunt, iis potestatem dedit ut Filii DEI fierent. Hoc omne in manu ac potestate hominis situm est; ita tamen, ut in bonum divina gratia homini adjutrix sit, eumque item à malo retrahat.*

§. 2. Sed aberrare à linea veritatis *Basilium & Confessionem* quæ hunc sequitur, & gratis hæc dicta adduci, cùm nihil minus probent, quàm vires liberi arbitrii, quilibet videt. Hoc & alia hujus generis, satis causæ præbuere *Schv.* c. 9. arguendi eos quod *hominis viribus nimium tribuant.* id docet *Sir.* c. 5. pag. 62. *Opp.* cap. 2. pag. 20.

CAP.

CAP. XII.

De Prædestinatione.

§. 1.

DE *Prædestinatione* q. 26. p. 56. hanc format quæstionem: *Si norat igitur omnia DEUS antequam conderet, an bona an mala omnia item prædestinavit ne aliter fiant quam fiunt?* Et responsionem hanc dat: *Res equidem universas ante creationem præscivit DEUS, sed bonas duntaxat prædestinavit, uti loquitur S. Damasc. l. 2. cap. 30.* causas addit: *nam illud divinæ bonitati repugnat ut malas præfiniat.* Verum ne quis hoc de malo pœnæ dictum existimet subdit: *malum autem nihil aliud existimandum est, quam peccatum. Nam præter hoc si proprie loquimur, nihil in orbe mali reperitur: ex eodem de duabus Christi voluntatibus.*

§. 2. *An cetera, queis ob noxas nostras DEUS in nos animadvertit, ut pestilentia, morbi, bella, aliaque ejusmodi, respectu nostri mala dicuntur ex Bas. Hom. 9. DEUM non esse malorum causam* adstruente; *DEO nequaquam mala esse, & ad eum referri posse, ex Amos III, 6.* docet.

§. 3. Porro, inquit, illa *duntaxat prædeterminat DEUS, secundum sapientiam, justitiamque suam, quæ utrum fiant nec ne, id in nostra potestate situm est.*

§. 4. *Verum bona illa, quæ ut fiant, in nostra manu est, præcognoscit; ita vero, ut simul & ipse, ex*

ex propensa sua voluntate concurrat, quod natura liberi arbitrii nil quicquam officit.

CAP. XIII.
De Providentia.

§. 1.

DE *Providentia* DEI qu. 29. p. 62. optimè statuit: *DEUM omnibus rebus providere, quippe à minimis usque ad maxima, adcuratissimè omnia cognoscit, omniumque quæ facit, curam separatim singulatimque habet*, ex Matth. X, v. 20. & Psalm CXLV, 15.

§. 2. Præterea docet, *interesse discrimen inter vocabula Præscientiæ, Prædestinationis atque Providentiæ. Providentiam res jam creatas respicere. Præscientiam & Prædestinationem in DEO fuisse ante illas; sed modo distincto.*

§. 3. Præscientiam enim *nudam rerum futurarum cognitionem esse, sine determinata earundem specificatione.* Sed *Prædestinatio præscientiæ juncta specierum ipsarum determinatio est, quid omnino fieri debeat definiens.*

§. 4. *Secundum nostrum concipiendi modum, primam esse præscientiam, secundam prædestinationem, eas sequi providentiam.* Ex Rom. VIII, 29. *quem locum ad solos homines spectare monet. Reliquas res divinam prædestinationem non complecti, præter angelos, qui jam in vado salutis.* Rationem profert hanc: *quippe libertate arbitrii destitutos, ideoque nec ullis vitiorum maculis aspersos.*

§. 5.

§. 5. Doctrinam hanc ita concludit: *quicquid boni animo atque cogitatione complecti potes, id omne DEO summe bono, ut causæ ac principio adscribe. Contra quicquid malum est, id peregrinum longeque à DEO remotum esse, non tam locali, quam essentiali distantiâ scito.*

§. 6. *De re vero creata* sic habe: *bonam esse quatenus ab optimo illo creatore producta est. Sed cum hoc discrimine, ut mala fiat, intellectu, & libertate arbitrii prædita res creata, quando à DEO desciscit. Non quod ejusmodi fuerit, sed quod per opera rationi dissentanea talis evadat. At irrationabilis quoniam arbitrii libertate caret, modis omnibus natura sua bona est.*

CAP. XIV.

De Secundo Articulo.

§. 1.

SEcundus ipsi est articulus: *Et in unum Dominum JEsum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula, lucem de luce, DEUM verum, de DEO vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* quæst. 32. pag. 65.

§. 2. Hic de *Persona Christi agit*, & quæst. 33. pag. 66. duo ibi tradi docet: 1. *Esse Deum sempiternum, de propria Patris natura natum, honore ac gloriâ æqualem. Patri æqualem* ex Joh. XVII, v. 5. pag. 66. 2. *Esse creatorem, non modo*

do rerum ipsarum, sed & temporis in quo res ipsæ factæ sunt, ex Ebr. I. 2. & Joh. I. 10. evincit.

§. 3. *Nomen* JESUS *Salvatorem significare* pag. 67. ex Matth. I. 21. *Nemini præterea id verè tribui posse, ibid. Nomen Christus unctum* pag. 68. In antiquâ lege unctos Christos esse appellatos, *Sacerdotes* sc. *Reges & Prophetas, rectè observat.* De officio Christi: *quod in illa tria officia unctus sit*, ex Psalm. XLV. 8. Esaiæ LXI. 1. Luc. IV. 21.

§. 4. JESU *excellentiam præ consortibus triplicem* agnoscit. 1. *quod Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci*, ex Ebr. V. 10. & cap. IX. 14. & 28. 2. *Excellentia Regium officium*, ex Luc. I. 32. *cujus imperii Regii testificationem Magi dederint*, Matth. II. v. 2. p. 70. & *ex titulo supplicii*, Joh. XIX. 19. 3. *Officium Propheticum, de quo Moses vaticinatus* Deut. XVIII. 18. Cui satisfecit 1. *docendo* Joh. XVII. 8. 26. 2. *Futura prædicendo ex propria suaque cognitione, ut qui DEUS verus & homo* pag. 71. quæst. 35. *unigenitum esse*, ex Joh. I. v. 14. & 18. probat. *Reliquos per gratiam filios esse*, ex Joh. I. 12.

§. 5. Quare dicatur *Lux de luce*, sic qu. 36. pag. 72. exponit: *Lucem dicit esse geminam: Creatam* Gen. I. 3. *Increatam* Es. LX. 19. *quæ hoc loco intelligenda.* Et addit rationem hanc: *Etenim lux creata, de puro puto nihilo producta fuit: At genita Lux, sive Filius de essentia Patris emersit*, ex Ebr. I. 3. & Joh. VIII. 12. *Totam proinde patris essentiam in se ipso habere*; quod

fimili illuftrat: *quemadmodum cum una lux de altera accenditur.* pag. 73.

§. 6. Explicationi verborum: *per quem omnia facta funt,* fic quæft. pag. 74. fatisfacit: Dicit ex *æquo effe creatorem. Non vero fic per ipfum quafi per famulum, aut inftrumentum,* ex Joh. I, 10. *in mundo fuit, & per ipfum mundus factus eft, hoc eft, ab ipfo:* quæ recte fefe habere omnia confidimus.

CAP. XV.

De Tertio Articulo.

§. 1.

TErtius Articulus ipfi quæft. 37. pag. 47. fic fonat *qui propter nos homines & propter falutem noftram defcendit de cælo, & incarnatus eft de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, & homo factus eft.*

§. 2. Quatuor hic notanda quæft. 38. pag. 74. exiftimat. 1. *Incarnationem factam, cum defcenderet è cælo in uterum virginis;* ex Joh. III, 13. *Defcenfum factum non locum mutando, fed fe humiliando.* 2. *Induiffe veram non apparentem humanitatem.* Tempus fic definit: *idque illo temporis articulo, quo virgo refpondit Angelo: Ecce ancilla &c.* Luc. I, v. 38. *tum illico perfectus homo membris omnibus, animaque rationali, junctim cum divinitate extitit. Damafc.* lib. 3. 1. *quod neque divinitas in humanitatem; nec humanitas in*

in Divinitatem conversa : sed utraque manserit absoluta, cum proprietatibus suis in una persona.

§. 3. *Incarnationem opera Spiritus Sancti factam*, quæst. 39. pag. 77. asserit, *adeo ut* 1. *quemadmodum Virgo, ante conceptionem virgo erat*, Esaiæ VII, 14. *ita etiam in conceptu, post conceptionem, itemque in partu ipso virgo permanserit.* 2. *Sic de Genitricis alvo editum Christum, ut intactum penitus inviolatumque virginitatis illius signaculum conservarit.* 3. *Ipsaque post partum in secula intaminata virgo manserit.* pag. 77. Hic plures decidit controversias, non male; me judice.

§. 4. Porro rem explicat ita: qu. 42. p. 80. *Nullam carnem secum attulit. Verum illam in sanctissimæ Virginis utero, de purissimis sanguinis illius guttis opera Spiritus Sancti adsumsit.* Hic prima vice mentio fit hæreticorum contrarium tenentium: *Ceterum* scribit, *qui Salvatorem cælo descendentem, jam carnem gestavisse adfirmant eamque sic per S. Virginem tanquam per canaliculum quempiam traduxisse*, (apud *Cyrill. Hierosf.* Catech. 13.) *eos Ecclesia pro hæreticis habet, damnatque.*

§. 5. De salutatione angelica notat qu. 40. pag. 77. *fas esse Virginem collaudare & venerari.* 1. *quia DEI genitrix.* 2. *quia Ecclesia salutationem concinnavit ex Angeli & Elizabethæ verbis, quibus paucula sua adjecit.* Sic autem habet; *O Deipara Virgo, ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & bene-*

O 2 *dictus*

dictus fructus ventris tui, quoniam Salvatorem animarum nobis peperisti. pag. 78.

§. 6. Explicat quæst. 41. pag. 78. quid de ea censendum. *Salutationem originem debere DEO* docet: *per Gabrielem delatam, qui non ausurus adhibere, nisi â DEO mandata. Elizabetha verba â Spiritu Sancto; additionem Ecclesia itidem â Spiritu Sancto profectam. Ecclesiam pro jure suo crebro inter orandum adhibendam jussisse.* pag. 79.

§. 7. Exponit præterea quæst. 42. p. 79. quid doctrinæ salutationi insit. 1, *commemorationem adsumta humanitatis.* 2. *quod caro non ê cælo allata.* 3. *quod doceamur virginem nuncupare Deiparam, secundum humanam Christi naturam,* (hic aliquid monstri alit, nec quomodo Deipara secundum humanam naturam dici possit, video) *natumque ex ea Christum, DEUM pariter, hominemque perfectumfuisse.* 4. voce: *gratiâ plena, docere Angelum eam largius divina gratiæ participem factam esse quam aliam rem quamcunque creatam* pag. 81. ex Ps. XLV. v. 10. nullò successu conatur inferre: quod si tantum commemorationis causa diceretur; fortè tolerari posset: Sed non hoc tantum fine recitandam jam prodit.

§. 7. *Nam devotè proferendam esse jubet.* Caussam hanc habe, quæst. 42. p. 81. *Plurimum enim matris adpietatem Filii valet oratio.* In eodem itaque cum Pontificiis errore hîc hærent; licet expressè non addatur â Græcis

Ora

Ora pro nobis nunc & in hora mortis, ut apud Latinos. De quo nullum supererit dubium, ubi sequens addideris Confess. præceptum; *qui devotus virginis cultor esse velit, ille Hymnum ἀκάθιστον dictum*, (quod stantibus, non vero sedentibus canatur) *recitabit, & supplicationes, & cæteros Ecclesiæ hymnos, in honorem Deiparæ compositos*. Mariolatria proinde non minus apud hos quam illos regnat: licet à Spiritu Sancto maledicta; & ex hypothesi Græcorum, de animorum statu post mortem, supervacua.

CAP. XVI.

De Quarto Articulo.

§. 1.

Articulus quartus quæst. 43. p. 82. his verbis absolvitur: *Qui pro nobis crucifixus est sub Pontio Pilato.*

§. 2. Hunc qui. 44. p. 82. *sex res* tradere ostendit. 1. *verè & proprie passum* ex Luc. XXIII. 46. *Sanguinem fudisse eoque nos redemisse*, Ephes. I. 5. & 7. pag. 82. 2. Quæst. 45. pag. 83. *Sine nulla peccato pœnas peccatorum luisse*, 1. Pet. I. 18. & 19. Joh. I. v. 29. *idque sponte sua*. p. 83. 3. Quæst. 46. p. 84. 2. *Secundum carnem, non divinitatem passum*, Coll. I. 22. pag. 84. quæ sequuntur: *Nihil enim perpessa est divinitas: non illa cruci affixa fuit: non consputationibus, non alapis, os*

præbuit, non vitam amisit, ita sunt accipienda, ut argumento *D. Lutheri* contra *Zwinglium* sua constet veritas. Tale autem fuit: *Hæc persona patitur, moritur &c. Hæc Persona est verus DEUS*, E. verus DEUS *patitur, moritur &c.* Quo syllogismo expositorio omnes tropi excluduntur. *Calovius* in Synopsi Cont. Art. 3. Sect. I. th. 8. p. 267. 2. *Divinitatem, ex quo semel adsumserat humanitatem, non ab ea fuisse separatam, ne quidem tempore passionis & mortis.* 3. *In ipsa morte unam eandemque fuisse personam*, ex *Damasc.* Hom. in Sanctum Sabb. pag. 292.

§. 2. 4. *Mortem Christi* quæst. 47. pag. 85. *præstantiore modo contigisse quam cæterorum hominum.* 1, *Ob scelerum sarcinam* Jes. LIII, 4. 2. *quod Pontificium munus in cruce implevit offerendo se DEO & Patri &c.* I. Tim, II, 6. Ephes. V, 2. Rom. V, 8. 3, *quod conciliationem absolvit*, Col. I, 20. cap. II, 14.

§. 3. 5. De sepultura Domini nostri JEsu Christi, quæst. 43, pag. 87. 1. *Quod vere mortuus*, pag. 87. 2. *Sepultus in celebri loco.* 3. *Idque ne quis dubitaret, aut calumniandi ansam arriperet.* 4. *quod custodia Judæorum, manifestissimum resurrectionis perhibuerit testimonium*, Matth. XXVII, 64. *quippe metu percellebantur custodes* Matth. XXVIII, 2. 5. *Idem adstruitur ex Angeli verbis* Matth. XXVIII, 5. 6. Rumusculis de ablato per discipulos corpore opponit: 1. *Monumentum.* 2. *Signaturam Saxi.* 3. *Judæorum excubias.* 4. *Sindonem.* 5. *Sudarium quod in*

sepul-

cro remansit. Joh. XX, v. 7. De ſepulcro hoc annotavit: *Animadverſu dignum eſt nimirum, ut ſecundum ſacra vaticinia, neceſſe erat, honoratum Chriſti conditorium eſſe: ita etiam fuiſſe & eſſe,* ex Jeſ. XI, 10. qui locus propriè huc non facit, ſed quodammodo tamen probat. Et uti ea quæ hactenus de hoc articulo tradidit, verbo DEI ſunt conſentanea: ita ſequentia ſpirant ſuperſtitionem Pontificiam: *quod ſepulcrum quisquis in fide & Amore Chriſti viſit: ille multam criminum ſuorum remiſſionem conſequitur: dum per illud ad Chriſtum ipſum animo accedit.*

§. 4. Quæſt. 49. pag. 90. exponit: *quonam loco anima Chriſti poſt exceſſum à corpore, ante reſurrectionem egerit?* ſtatuitque cum *Damaſc. Divinitati junctam ad inferos deſcendiſſe.* Cumque fateatur nihil hoc artic. de illo innui, probare id vult *ex hymnis Eccleſiæ* & inprimis hoc Tropario: *Tu corpore in ſepulcro ut homo: Tu anima apud inferos ut DEUS: Tu in Paradiſo cum latrone, itemque in throno gloriæ cum Patre ac Spiritu, Chriſte fuiſti, qui cuncta imples ipſe incircumſcriptus.* Hoc Troparium in Liturgia *Chryſoſt. & Baſil.* occurrit, & quænam ſit ipſorum ſententia de deſcenſu Chriſti ad inferos clarè oſtendit. Cui opponimus verbum Salvatoris latroni dictum: *hodie mecum eris in Paradiſo:* & ultimum in cruce prolatum: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

§. 5. Fructum deſcenſus loc. citato de-

ſcribit ita: *Simul ereptas orco Sanctorum Patrum animas, Paradiſo intulit: quibuscum etiam latronem, qui in cruce pendens in ipſum crediderat, introduxit.* Quæ cum nullo Scripturæ Sacræ dicto firmentur, tuto ut cerebri vani figmenta rejici poſſunt. Communem hunc cum Papiſtis habent errorem. pag. 92. Interim placet nobis, quod latronis ſalutem hic adſcribat fidei, nulla operum injecta mentione; ibid. *An Christi corpus tempore quo in ſepulcro commorabatur cadaver dicendum, occaſione verborum Baſilidis* latè diſputat. *D. Sir.* c. 5. pag. 55. Et concludit non dicendum; multo minus eſſe verum, cui & nos accedimus.

§ 6. *Crucem Christi* quæſt. 50. pag. 92. *eſſe venerabilem*, ex Gal. VI. 14. & 1. Cor. I. 18. probat; *idque ut peculiare ſignum Christi, cui virtus mirifica fugandi dæmones impreſſa eſt*, pag. 92. Sed cum Apoſtolus de doctrina de cruce Chriſti loquatur: male ad lignum crucis, vel ſignum applicatur. De vi fugandi dæmones quod tradit, ſuperſtitionem ſapiunt abomninandam. Hæc opinio perverſa autem ſequenti aſſertioni anſam dedit: *Eſt neceſſe, ut crucis ſignum in nobis ſæpe frequentemus;* Hanc addens rationem: *quia Dæmonis perſentiſcimus tentationes, quas haud alio modo profligare poſſumus, quam ſigno vivifica crucis & invocatione* pag. 93.

§. 7. Ad fidem faciendam hunc ex *Cyrill. Hieroſ.* locum adducit: *Quando venerabilis*

bilis crucis signo nosmet ipsos signamus, tum Diabolus recogitans secum Christum Dominum, propter salutem nostram, potentiaque diabolicæ exstirpationem, cruci clavis suffixum fuisse: diutius præsens esse, crucisque sufferre vim nequit, sed fugit â nobis nec ulterius nos pertentat, maxime quoniam Servatoris Christi nomen simul invocare solemus. Quemadmodum fideli invocationi nominis Christi, rectè vis fugandi dæmones adscribitur; ita crucis signo eandem vim tribuere, superstitiosum & vanum est.

§. 8. Nec modo à nobis, sed reliquis omnibus rebus nostris hoc modo fugari Dæmones, authoritate *Cyrilli* evincere conatur: *Fac venerabilis crucis signum dum edis bibisque, dum sedes aut stas: dum loqueris aut ambulas. Nullam cœptabis rem, nullum opus, nisi facto prius venerabilis crucis signo. Domi tuæ, in via, die noctuque, in omnibus locis.* Mirum itaque non est, quod insignando se cruce seduli & potissimum in eo cultum constituant. p. 94.

§. 9. Crucem quæst. 51. p. 94. formare ita docet: *primum tribus majusculis digitis frontem tangens, dicesque in nomine Patris: tum manum eodem gestu conformatam, in pectus deducens, addesque & Filii: hinc in bracchium (sive humerum) dextrum traducens manum, dices: & Spiritus Sancti, simul ductum manus in humerum sinistrum usque continuabis; atque ubi sacro hocce crucis signaculo temet signasti, claudes verbo: Amen.* Addit: *Potes etiam in cruce for-*

manda hæc adhibere verba : Domine JESU Christe, Fili DEI, miserere mei peccatoris. Amen.

§. 10. Ut eo melius pateat, *quibus digitis Russi, & quibus Roskolkiani, utuntur*, curavimus utriusque manus gestum delineari. Prior manus *Russorum*: Posterior *Roskolkianorum* adumbrat morem: Et in hac discrepantia potissimam dissidii causam consistere, jam sup. Sect. 1. capite 7. §. 5. pagina 33. monuimus. Delineationem vide in appendice. Falsum proinde erit quod *Warmund* tradidit cap. 7. pagina 48. Hierbey kan ich nicht umbhin zu erzehlen/ was massen es der Patriarch vor wenig Jahren dahin gebracht/ daß die Rußen/ so Laici, und keine geweiheten Priester seynd/ sich nur mit zween/ und nicht mehr wie zuvor dreyen Fingern/ nemlich mit dem Daumen/ Zeiger-und Mittelfinger zusammen gefasset/ segnen dörffen. Welches die Reußen zuvor gantz nicht eingehen wollen/ sondern zur Antwort gaben : Gleich wie die Heilige Hochgelobte Dreyfaltigkeit in dreyen Personen bestünde / also müsten sie sich auch/ wie vor Alters jederzeit bey ihnen gebräuchlich gewesen/ mit dreyen Fingern segnen. Sed non de numero, verum de qualitate digitorum fuit controversia : Cui componendæ Concilium celebratum ; de quo idem pagina 49. Was war hier zuthun ? dieser Patriarche brachte so viel bey dem Czar zuwegen / daß der Ertz-Patriarch von Constantinopel/ neben zween andern Orientalischen Patriarchis,

chis, nach der Residentz Stadt Moscow mit grossen Unkosten verschrieben worden. Nachdeme nun diese Patriarchen sich einstelleten, ward ein Concilium gehalten, worinnen beschlossen wurde, die Segnung mit dreyen Fingern von denen gemeinen Leuten mit Gewalt abzuschaffen: Worauf diejenigen, so sich diesem Concilio widersatzten, die Köpffe hergeben musten, und giengen diese einfältige Leutgen, so willig zum tode, als zum Tantze. *Hoc aliter se habere, ex iis quæ de Conciliis sup.* Sect. 1. cap. 19. §. 1. pag. 174. diximus, patet; quæ subdit: Ohngeachtet nun dieses alles, so gehet dennoch diese Segnung mit dreyen Fingern wiewohl nicht öffentlich, bey denen Russen im Schwange; Vera sunt, si de Roskolkiano more accipias; hic enim clanculum obtinet; sed mos tribus digitis se signandi omnibus in usu.

CAP. XVII.

De Quinto Articulo.

§. 1.

HIc quæst. 52. p. 95. his absolvitur: *Qui resurrexit die tertio, secundum Scripturas.*

§. 2. Hunc quæst. 53. *duo docere* asserit. 1. *Dominum resurrexisse*, Luc. XXIV, 7. 2. *Resurrexisse in eodem corpore, qui cum mortuus.*

§. 3. Porrò quæst. 54. p. 96. probat *hæc facta esse secundum Scripturas tam Veteris Testamenti, quam Novi. In Veteri prædicta, in Novo impleta esse,*

esse, luculenter confirmatum. Marc XIV. v. 21. Luc. XXIV. 26. 1. Cor. XV. 3. *illustrat typo Jonæ Prophetæ.* Matth. XII. 39.

§. 2. *Veteris Testamenti auctoritatem sartam esse debere*, ex 2. Petr. I. 19. deducit p. 97. 78.

CAP. XVIII.

De Sexto fidei Articulo.

§. 1.

SEquentia hic Articulus quæst. 55. p. 99. continet: *qui ascendit in cælos, sedet ad dextram Patris.* Et quæstione 56. dogmata quatuor illo exponi contendit. 1. *Christum eo ipso corpore, quo resurrexerat, ascendisse in cælos* pag. 99. 2. *quâ homo est, tantum in cælos ascendisse* pag. 99. Sanior Clavinianis, qui utramque naturam exaltatam, frivolè contendunt. 3. *Humanam naturam nunquam dimisisse*, ex Act. I. v. 11. 4. *Christum tantum in cælo esse, in terrâ modo Sacramentali, per transsubstantiationem.* pag. 101. Hic quoad quartum idem cum Pontificiis & Clavinianis cornu inflat, negando carnis Christi omnipræsentiam, ubicunque ὁ λόγος præsens fuerit, contra sequentia S. S. testimonia, Eph. IV. 10. Matth. XXVIII. 20. *Ego sum vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* & Mat. XVIII. 20. Humanæ namq; naturæ Christi communicatam esse per unionem hypostaticam, Majestatem omnipræsentiæ τῦ λόγυ, ita ut juxta cum divi-

divina natura vere omnipræsens sit, reali ac substantiali præsentia, contra Calvinianos & Pontificios solidè evicit *Dn. D. Calovius* Synop. Cont. Artic. 3. Sect. I. th. 13. p. 286. De transsubstantiatione infra agendum.

CAP. XIX.

De Septimo fidei Articulo.

§. 1.

QUæst. 57. p. 101. sic proponitur artic. 7. *Qui iterum venturus est in gloria, judicatum vivos & mortuos. Cujus regni nullus finis erit.*

§. 2. Tria hic doceri annotat quæst. 58. pag. 101. 1. *Rediturum Christum ad judicium.* Matth. XXV. 31. cap. XXIV. 27. 2. Tim. IV. 1. *Signa judicium antecessura hæc enumerat.* 1. *Ut Evangelium annuncietur omnibus gentibus.* Mat. XXIV. 14. 2. *Ut veniat Anti-Christus.* 3. *Bella, Fames, Pestilentia ex verbis Christi.* l. c. 11. *De cujus certitudine loquentem introducit* Paulum II. Tim. IV. 1. *Testificor igitur ego coram DEO, & Domino JESU Christo, qui vivos mortuosque in adparitione sua & regno suo judicaturus est.*

§. 3. De tempore quæst. 57. pag. 101. allegat verba Christi: Matth. XXIV. 36. & 37. *ne quidem Angelos novisse. Roskolkici* tamen jam pridem tempus adesse credidêre, & se ad excipiendum judicem præparavêre, ita quidem, ut al-

bis

bis amicti vestibus, in sepulcra sua se contulerint, inde tamen fame compulsi exierint.

§. 4. Qu. 59. p. 102. addit, illo articulo doceri: *Homines rationem reddituros cogitationum, dictorum factorumque omnium.* Matth. XII, 36, 1. Cor. IV, 5. Quæst. 60. pag. 103. artic. hunc tradere: *Unumquemque secundum promerita plenam eamque sempiternam accepturum mercedem*, ex Matth. XXV, 34. 41. Marc. IX, v. 44. Regnum Patris cum mercedem dicit, ipsi quidem erroneè proprie sic dicitur, quæ prorsus est gratuita.

§. 5. Hic quæst. 61. pag. 104. disquirit: *An particulare aliquod detur judicium?* & statuit: *ut unusquisque in articulo mortis, satis suorum sibi delictorum conscius est: ita eodem prorsus modo, post mortem operum suorum remunerationem unusquisque probe novit.* pag. 105. *Ex* Gregorii Theol. *laudat. funebri Cæsarii.* p. 56. *Non ante extremum judicium plenam mercedem accipere*, cum pag. 106. tradit, observandum est, *quoad initium plenam, licet non quoad complementum.* Ratio est, quod cum formalis beatitudo consistat in Trinunius DEI fruitione, hæc animæ beatæ statim post discessum â corpore obtingit. Complementum sequitur, cum corpori jungitur. Bene dein ibidem docet, *non in unum compelli totum*: Et rectè infert; *dari particulare judicium.*

§. 6. *Non in uno eodemque beatitatis gradu futuros electos*, quæst. 62. pag. 107. probat, ex

ex Joh. XIV, 2. Luc. VII, 47. Rom. II, 6. Ex loco ad Rom. quidem deduci potest per bonam consequentiam: Sed locus Johannis huc non spectat. Loquitur enim de vasto cœlorum ambitu, omnibus excipiendis pari. Nec Lucæ id evincit. Quæst. 73. p. 107. benè dicit: 1. *Damnandorum tormenta esse disparia*, ex Luc. XII, 47. 2. *Æterna tamen esse omnia*. pag. 108.

§. 7. Quæstionem 64. *annon aliqui sic diem suum obeant, ut beatorum damnatorumque medii sint?* ritè expediit dicendo: *hujusmodi nullos reperiri* p. 108. Sed nullo fundamento sequens nititur assertio: *Sceleratos non paucos de Orci claustris eripi, ibid.* contradicens iis, quæ modo rectè ex *Gregorio* tradiderat *unumquemque post mortem æquam suam remunerationem probe nosse. Eripi autem, astruit, non sua Confessione, cui non esse locum*, ex Ps. VI, 6. deducit, & Ps. CXV, 17. *Verum piis superstitum officiis, & Ecclesiæ pro ipsis deprecationibus, præcipue vero per incruentum Sacrificium, quod Ecclesia pro vivis mortuisque omnibus communiter, quemadmodum & Christus pro iis pariter mortuus est, quotidie offert.* Et cum è *Theophyl.* probasset, *Animas se eripere non posse*, concludit: *Solæ igitur Sacræ Liturgiæ, precesque & eleemosyna, quæ animæ causa à viventibus præstantur, illam plurimum adjuvant, atque ex acheronte redimunt.* pag. 110. Atqui ex inferno nulla est rèdemtio; & inferni tormenta æterna, ipsamet Confessione fatente.

§. 8. Gratis proinde quæst. 65. pag. 111. movet quæstionem; *quid sentiendum de eleemosynis piisque officiis, quæ in refrigerium mortuorum præstantur?* cum ê *Theophyl.* in Luc. XII. non autem ex *Scriptura Sacra* probet *preces pro defunctis concipiendas: Sacrificium incruentum efferendum, spargendas eleemosynas, cum ipsæmet ejusmodi opera sui causa, præstare non possint;* cum hæc omnia commentis Pontificiorum de liberatione ê purgatorio sint similima, & ad calefaciendas monachorum culinas excogitata.

§. 9. *Purgatorium ignem cum rectè neget* qu. 66. pag. 112. *quod nihil usquam in sacris literis de eo reperiatur; quod temporaria nulla pœna animorum expurgatrix, à morte existat:* & tamen addat: *jure meritoque Ecclesia manium istorum causa sacrificium incruentum offert; precesque ad DEUM ablegat, ad impetrandam eorum veniam quæ olim in vita deliquerant: Non vero ut ipsi nonnihil supplicii sustinentes, eo dein perpurgentur,* & sibi contradicit, & petitionem principii, ut in scholis loquimur, committit, ut indubia supponens, quæ probatione egent quam maxime. De cetero rectè omnino damnat sententiam *Origines* p. 113. Fabulas de cruciatibus defunctarum animarum respuit, dicens: *quosdam comminisci quod subulis, aquis, lacubus, discrucientur, quod nostra nunquam adprobavitque Ecclesia,* vide *Sir.* cap. 4. p. 31.

§. 10.

§. 10. De loco piis animabus destinato quæst. 67. pag. 114. docet : *Esse eas in manu DEI*, Sap. III, 1. quod dicatur *Paradisus*, Luc. XXIII, 43. *& Sinus Abrahæ*, Luc. XVI, 22. *regnum cælorum*, Matth. VIII, 11. hactenus benè. Sed dum addit : *illud omnibus tenendum est, animas justorum, quamquam in cælum receptas, neutiquam tamen ante extremum judicium plenam perfectamque gloriæ coronam consequi* pag. 116. discedit â doctrina Sacris Scripturis magis consentanèa, plenam, consummatamque beatitudinem animabus piorum obtingere. Quæ beatitudo quidem post unionem augebitur; Sed non intensive & in se, sed extensive & extrinsecè, sc. per gloriam corporis &c. uti *Quenst.* part. 4. Sect. 2. cap. 17. quæst. 5. pag. 67.

§. 11. De loco *animarum quæ in offensa sunt apud DEUM* qu. 68. p. 115. observat quod nominetur : *Infernus*, ex Es. XIV, 14. 15. *Ignis sempiternus*, Matth. XXV, 41. *Tenebræ exteriores*, v. 30. *in hunc cælo exturbatum diabolum detrusum* pag. 115. *Omnia, quibus denominatur, vocabula, locum condemnationis iræque divinæ valere. Animas damnatorum plenam ante judicium pœnam ultionemque perpeti*, male negat, pag. 116. Verum bene docet : *post decretorium judicium, animas una cum corporibus suis usquequaque, aut coronam gloriæ, aut suppliciorum ferre cruciatus*. pag. 117.

P CA-

CAP. XX.

De octavo fidei Articulo.

§. 1.

HIc quæſt. 69. pag. 117. ſequentia continet: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificatorem: qui ex Patre & Filio procedit, qui una cum Patre & Filio adoratur & glorificatur, qui item per Prophetas locutus eſt.*

§. 2. Hunc nos edocere perhibet. 1. *Spiritum Sanctum eſſe DEO Patri & Filio conſubſtantialem,* ex 1. Cor. XII, 4. 5. & 2. Cor. XIII, 13. & Actor. V, 3. 2. *Quod Spiritus Sanctus â ſolo Patre procedat* quæſt. 71. pag. 119. ex Joh. XV, 26. At idem locus Spiritum Sanctum etiam â Filio mitti docet. *Athanaſius* non negat etiam â Filio procedere: neque enim dixit à *ſolo* Patre: & ſi dixiſſet, ejus authoritas nihil probaret: Nec *Gregorii Theologi:* nec *Secunda Synodi Oecumenica*, nec *Orientalis Eccleſia:* Imo nec *Occidentalis*, quam gratis quoque allegat hoc modo: *Sed & Occidentalis: quod ſatis confirmant Tabulæ binæ argenteæ, in quarum altera Græce, altera Latine, ſacrum fidei ſymbolum perſcriptum erat, non adjecta iſta particula, & ex Filio, quæ juſſu Leonis tertii, Papæ Rom. in æde S. Petri fixæ ſunt anno Ch. 809. quemadmodum prodit Baron. ad an. 809. 69.* Nam 1. nondum controverſia mota erat; ut neceſſe fuerit eam expreſſe addi. 2. Non proinde cenſen-

dum

dum, quod negarint doctrinam hanc, licet, ejus expressam mentionem, ob rationem allatam, faciendam, necessarium non esse duxerint. Non *Niceno* sed *Constantinopolitano* adjectam, Pappus. H. E. p. 202. contendit. *Græcos Latinis accessisse Sch.* cap. 3. observat; *Sed spe obtinendi auxilii inductos: quâ se frustratos videntes, ad errorem rediere.*

§. 3. Verbis his: *qui itaque constans & firmus in hac fide persistit, is indubiam suæ salutis habet fiduciam:* videtur dogmatis hujus necessitatem ad salutem adstruere pag. 121. Sed nostri Theologi distinguunt, & si quis cætera orthodoxus, illi neque propter ignorantiam hujus veritatis, neque propter negationem, ex nuda ignorantia profectam, aut salutem adimunt, aut inter hæreticos eum computandum censent, uti loquitur *D. Hülsem. Prælect. in Formul. Concord.* pag. 282. & ex eo *D. Quenst.* part. 1. Sect. 2. cap. 9. pag. 406.

§. 4. Doceri in hoc articulo quæst. 32. pag. 121. tradit: *Spiritum Sanctum tam Veteris quam Novi Testamenti genuinum esse authorem, illumque per manus multorum administrorum ipsum edidisse, eâque de re ut Veteris Testamenti Scripturam, ita etiam Novi, Spiritus Sancti doctrinam esse* pag. 122.

§. 5. De Conciliis sic mentem exponit: *Quidquid Sancti Patres in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis Conciliis, quo-*

quocunque tandem loco habitis statuerint, id à Spiritu Sancto profectum esse credas oportet, ex Act. XV, 28. Sed multum interest discriminis inter primum illud ab hominibus θεοπνεύστοις & ab aliis celebratum. Miror quoque quod particularibus eandem quam universalibus tribuat authoritatem, cum hactenus creditum sit *septem tantum recipi Concilia œcumenica*; de quibus superius Sect. 1. c. 19. §. 3.

§. 6. Pergit ad exponenda quæst. 74. pag. 124. *Spiritus Sancti charismata, quæ septenario includit numero*; ex Apoc. IV, 5. Sed non valet inde deducta consequentia: *septem sunt lampades: septem Spiritus DEI*. E. Plura namque sunt. Sed videamus, quæ enumerat. Præmittit autem *hæc dona, vel rectius loquendo, ipsum Spiritum Sanctum in Christo, quam in ullo alio homine, modis omnibus copiosiora esse*, ex Es. XI, 2. Joh. I, 14. Luc. II, 40.

§. 7. 1. Donum est ipsi qu. 74. p. 124. *Sapientia superna*, de qua Jac. III, 17. Contraria huic *sapientia carnalis* 2. Cor. I, 12. quam *rejicit Apostolus* 1. Cor. I, 19. ex Es. XXIX, 14. & XXXIII, 18. 2. quæst. 75. pag. 125. *Intelligentia, sive cognitio arcanorum & occultæ voluntatis divinæ*, ex Exod. XXXVI, 1. Dan. I, 17. Luc. XXIV, 45. 2. Tim. II, 7. pag. 125. quæ loca de arcanis DEI non agunt: & huc non quadrant; nisi quatenus de peritia in rebus agendis & intelligendis Scripturis accipiantur. Opposita: *Stultitia*, ex Luc. XXIV, 25.

3. qu.

3. quæst. 76. p. 126. *Consilium, quod gloriæ divinæ, animæque humanæ saluti provehendæ servit*, Act. XX, 27. oppositum: *Consilium impiorum*, ex Pf. I, 1. & Pf. XXXIII, 10. 4. quæst. 77. pag. 127. *Robur ad resistendum tentationibus*, ex 1. Cor. XVI, 13. & Ephes. VI, 14. Oppositum: *Timor*, Pf. XIV, 5. 6. Luc. XII, 4. 5. qu. 78. p. 128. *Cognitio*, ex Pf. XCIV, 10. Jer. III, 15. *ut legem DEI cognoscat* pag. 129. Contrarium: *Inscientia legis*, Pf. LXXIX, 6. 6. quæst. 79. pag. 129. *Pietas, quæ una cum vera fide in assidua ardentique precatione, bonisque operibus fundatur*. 1. Tim. IV, 8. Solida, non Pharisaica, quæ illi contraria, ne DEUS de hâc sententiam, ex Matth. XV, 8. & XXIII, 26. ferat. 7. quæst. 80. p. 130. *Timor DEI*, cujusmodi *liberorum non servorum*, ex Psalm. XXXIV, 10. De posteriore 1. Joh. IV, 18. *Ex amore descendat*, Pf. XXII, 24. Joh. XIV, 23.

§. 8. Quæst. 81. pag. 131. *Fructus Spiritus Sancti præcipuos novem dicit esse*, ex Gal. V, 22. *Fructus vero* Spiritus est *Charitas, Gaudium, Pax, Lenitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Mansuetudo, Continentia*, Sed & *omnes virtutes in eum censum venire asserit* pag. 132.

CAP. XXI.

De nono fidei Articulo.

§. 1.

QUæst. 82. pag. 132. *In unam Sanctam Catho-*

licam & Apostolicam Ecclesiam. Hic 4. digna notatu quæst. 83. innuit: 1. *Ecclesiam esse unam, Catholicam & Apostolicam*, ex 2. Cor. XI. 2. *Despondi vos uni viro, ut virginem castam exhiberem Christo.* pag. 133.

§. 2. Quæst. 84. p. 133. 2. *Ecclesiam non uni loco nominis sui decus acceptum referre. Illam esse matrem, quæ prima omnium præsentia Christi ornata fuit.* pag. 134. *Esse per totum orbem diffusam*, Luc. XXIV, 47. Act. I, 8. ibid. *Primariam Hierosolymitanam* pag. 136. Ex Act. XI, 2. 17. 21. & cap. XV, 2. 22. 28. cap. XVI, 4. *Licet postea Imperatores primos dignitatis gradus Antiquæ Novæque Romæ tribuerint, ob magnitudinem imperii, quod iis locis domicilium habebat: Secundum 3. Can. 2. Syn. Oecumenicæ Constant.*

§. 3. 3. Quæst. 85. pag. 137. *Nullum aliud Ecclesiæ fundamentum quam Christum solum*, ex 1. Cor. III, 11. deducit optime. *Apostoli & Prophetæ fundamentum secundarium.* Apoc. XXI, 14. Eph. II, v 20. *quod eam doctrinam propagarint. Non enim super mortales homines, sed super semetipsum & divinam doctrinam suam Ecclesiam fundavit Christus. Christum solum Ecclesiæ suæ caput esse*, Eph. V, 23. Col. I, 18. ritè docet. *Antistites particularia quædam capita*, ex Act. XX, 28. non felici successu, cum capitis appellatio soli Christo vindicanda. Quod sequitur, Christum esse pastorum principem, ex 1. Pet. V, 4. patet. Pontificis Romani satellites, ipsum caput Ecclesiæ clamantes, feliciter hic confun-

funduntur; Quemadmodum & refutati à *Nectario* Pat. Hierof. in *Refutatione Imperii Papæ;* quæ nuper in Anglia à *D. Allixio* translata.

§. 4. 4. Quæſt. 86. pag. 140. Docet hac occaſione; *unumquemque Chriſtianum oportere morem gerere Eccleſiæ*, ex Matth. XVIII, 17. *Eâ poteſtate inſtructam Eccleſiam, ut per Synodos Oecumenicas examinare atque adprobare poſſit Scripturas.* pag. 140. ſc. teſtimonio ſuo genuina ab Apocryphis diſcernere; Sed nulla inde ad authenticos Scripturæ Sacræ libros authoritas. 2. *Cognoſcere & judicare de actis Patriarcharum.* 3. *Pro gravitate delicti mulctis & pœnis canonicis mulctare*, ex 1. Tim. III, 15. cum ſit firmamentum veritatis. Hic itaque jure ſummo *adulatoribus Pontificis* contradicit, contendentibus: *Papam eſſe ſupra Eccleſiam.*

CAP. XXII.

De Præceptis Eccleſiæ.

§. 1.

PRæcepta Eccleſiæ ſumma ac præcipua novem ſunt, inquit Confeſſ. quæſt. 87. pag. 141. 1. Quidem, *ut DEUM quisque cum contritione & compunctione cordis adoret, ut ſingulis diebus Dominicis ac feſtis ſolemnibus Eccleſiæ Sacris rite operetur*, h. e. *ut horas matutinas* ὄρθρον, *Liturgias*, λειτουργίαν, *veſperas* ἑσπερινὸν, *concionem* διδαχὴν *diligenter audiat*; pro concione malim

 in

instructionem dicere, nisi forte homilias legi solitas, concionis titulo insignias. Alioquin conciones apud ipsos non esse in usu, jam Sect. 1. c. 9. §. 7. p. 91. monuimus. Præceptum hoc ex Luc. XVIII, 1. Eph. VI, 18. 1. Thes. V, 11. stabilit. Sed sic non est amplius Ecclesiæ, sed ipsius DEI; nisi ad festos dies nonnullos ab Ecclesia institutos respicias.

§. 2. 2. Præceptum, quæst. 88. p. 142. dicitur esse: *ut quatuor quotannis statuta jejunia servet.* Ea autem celebranda docet: 1. *ante nativitatem Christi tempore, cujus initium â quinto decimo mensis Novembris deducitur.* 2. *quod magna quadragesima dicitur Christo ipsi inedia acta*, Matth. IV, v. 2. 3. *Sanctorum Apostolorum est, quod mox exacta sacra Pentecostes hebdomade orditur Ecclesia, quam claudit die Petri & Pauli jun.* 29. uti in versione parenthesi inclusa habet observatio, quæ in textu græco non comparet. Rationem appellationis addit, *quod ad prædicandum se accingentes Apostoli tum jejunaverint*, ex Actis cap. XIII, 3. 4. *proxime ante diem emortualem Sanctissimæ Virginis Mariæ agitur, initium illi Calendis Sextilibus, finis die mensis ejusdem*; in græco legitur: 1. Augusti; quem *Normannus* more Romanis antiquioribus recepto nominavit. pag. 143.

§. 3. *Quarto etiam sextoque die jejunandum Sabbato & Dominico die non item, vetante id can. 66. S. S. Apostolorum. Hic tamen excipiendum Sabbatum magnum Sanctum ante Pascha.* Addit

præ-

præterea 14. *Septembris exaltationis s. crucis.* 29. *Augusti, ut Johannis præcursoris obtruncationem celebremus.*

§. 4. *Adhæc etiam* pag. 143. *ut ne statis quibusdam diebus cibo nos abstineamus, eadem tradidit Ecclesia, puta, à die natalis Christi, usque ad diem sacrorum Epiphaniorum, totaque paschali atque pentecostali hebdomade, ut & illa quæ præcedit Septuagesimæ Dominicæ*; Item *quæ inter Sexagesimam & Quinquagesimam interest.* Claudit doctrinam hoc monito: *quæ omnia orthodoxus quisque Christianus bona fide custodire debet.* pag. 144. Jejunia, cum à DEO commendata sint, si ritè celebrentur, improbare non possumus: meritoria autem hæc & statis temporibns alligata, cum mandato DEI destituantur, merito repudiamus, & ad ἐθελοθρησκείας â Christo, Matth. XV, 9. damnatas referimus. vid. plura sup. Sect. 1. c. 15. §. 6. seq.

§. 5. 3. Præceptum quæst. 89. pag. 144. est, *ut homines spirituales debita colamus observantia*, rationem addit: *velut ministros DEI ac sequestres.* 2. *qui pro nobis apud DEUM se deprecatores præbent.* Discrimen inter illos hoc constituit: *imprimis illos, qui ut Patres spirituales, confessiones nostras excipiunt, & quos â nobis in salutis negotio consuli fas est*, 1. Cor. IV, 1. 1. Theff. V, 12. 1. Cor. IX, 13. 1. Tim. V, 17. *Nefas vero esse profanis & Laicis hominibus in munia spiritualia inferre se atque immiscere.* Gal. VI, 1. Uti admonitio in se innoxia: ita dictum minus apposité adfertur: & ad so-

los spirituales adplicatur, cum de omnibus agat fidelibus: quamquam potissimum spirituales concernere negare nolim.

§. 6. 4. Præceptum quæst. 90. p. 146. *ut quater quotannis delicta nostra confiteamur sacerdoti ritè creato* pag. 146. *qui longius progressi singulis mensibus noxas suas expiant. Simpliciores minimum semel in anno, videlicet tempore sacræ quadragesimæ, lustralem confessionem edere debent.* Porrò addit: *morbo oppressi, id ante omnia operam dabunt, ut quamprimum conscientiæ suæ maculas, earum confessione, cœnæque sacra participatione eluant.* A Calvinianis abit itaque, sacram cœnam ægrotis non dantibus. Observari vult: *prius tamen cum summa reverentia sacrum chrisma usurpandum.* Confessione peccata expiari, Pontificium est & heterodoxum: nec certo tempori alliganda. Confessionem in Ecclesiis Aug. Confessionis receptam non esse abrogandam, sed multiplici usu sese commendare, evicêre celeberrimi Theologi. Imò ipsi Augusti Confessores illam in Ecclesia retinendam his verbis statuunt: *Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox DEI, & mandato DEI pronunciatur. Ornatur potestas clavium & commemoratur quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis &c. in Lib. Concord.* pag. 27.

§. 7. 5. Præceptum quæst. 91. pag. 147. *Ne legantur hæreticorum libri, neque fando blas-*

phe-

phema illorum audiatur doctrina, ab iis, qui in divinis ac humanis literis atque disciplinis inexercitati sunt. Theologo itaque humanas ac divinas literas necessarias recte statuit: Secus ac visum est novatoribus nostris, philosophicá studia, si non noxia, inutilia tamen clamantibus. *Bene quoque se habet, quod non omnibus interdicat cognitionem haretica doctrina seu controversiarum; quod itidem multis est solenne.* Nec improbo consilium simplicioribus datum: *Ne sermones cum ejusmodi hominibus conserant: Nec ad familiaritatem eorum se adplicent.* Pf. I, 1. Tit. III, 10. idem docent: Cui monito si & nostri obtemperassent, eorum numerus qui naufragium fidei fecêre, tantus non esset.

§. 8. *6.* Præceptum quæst. 92. pag. 147. est, *ut DEUM pro omni hominum ordine ac statu pie veneremur,* Et quidem 1. *pro spiritualibus Patriarcha, Metropolita & clero universo.* 2. *Tum pro Rege, Præside Provinciæ, Republica, exercitu.* 3. *Pro iis inprimis qui bene de Ecclesia merentur.* 4. *Sedulam navant operam, quo pacto orthodoxæ ac Catholicæ Religionis pomœria terminosque proferant* 1. Tim. II, 1. 5. *Pro iis qui in orthodoxa fide obdormierunt.* Sed quoad hos hic labor est frustraneus: nisi ad mercedem respicias, quam eo nomine accipiunt Clerici. *6. pro hæreticis & schismaticis, ut resipiscant.* pag. 149.

§. 9. 7. Præceptum quæst. 93. pag. 149. *ut*

ut inviolate jejunia supplicationesque, quæ seorsim à Metropolita aut Episcopo in diœcesi sua, indicuntur, ab omnibus provinciæ incolis serventur, cum indicentur ad explandas violati Numinis iras, ad eripiendum populum à pestilentia, fame, bello &c. ad sanandos ægrotos, ad consolandos oppressos, ex Act. XII, 6.

§. 10. 8. Præceptum quæst. 95. *Ut ne profani homines bona numosque Ecclesiæ vi auferre, aut ad privatas necessitates suas intervertere ausint.* pag. 150. Bene subdit: *Ceterum ad sacrorum antistites hæc cura pertinet, ut de bonis Ecclesiæ, mundum aliaque illi necessaria comparent. 2. ut victum & vestitum iis qui Ecclesiæ ministrant, procurent. 3. Egenis & peregrinis suppeditent.* Act. XI, 29. Cui usui non addicenda sic exprimit: *Præterea minime æquum est, sive seculares, sive Pontifices ipsos, qui in Ecclesia aliqua sacrorum antistites sunt, numos illius, aut res mobiles alias, sive testamento legatas, sive dono datas, quovis modo intercipere in propriosque usus convertere: ne vim aut subversionem pie donantis intentio perpetiatur.*

§. 11. 9. Ecclesiæ præceptum quæst. 95. tria complectitur. 1. *Ne solemnia nuptiarum vetitis in Ecclesia diebus celebrentur.* 2. *Ne orthodoxi Christiani ludis prohibitis theatralibusque spectaculis, intersint: Ut ab iis quantum possunt, sibi temperent.* De comœdiis hic dicendum: Non plane esse illicitas; Si ea observentur quæ honestati consona. 3. *Ne peregrinos*

& barbaros confectentur mores. pag. 152. Ergo & illi civilitas morum curæ est.

§. 12. Pergit Confessio quæst. 96. pag. 152. ad explicandum, *quomodo dicatur credi in Ecclesiam*; quod supervacuæ agnovisset diligentiæ, si expendisset, non dicendum: *Credo in Ecclesiam*; Sed tantum: *Credo Ecclesiam.* Verum cum ita Russicè loquantur: Credo in Ecclesiam, audiamus explicationem. *Quamquam*, inquit, *res creata ab hominibus conflata Ecclesia est, habet illa tamen caput Christum ipsum, verum DEUM: habet Spiritum Sanctum, qui illam perpetuo docet & instruit, eamque efficit, teste Apostolo, sponsam immaculatam & inculpatam Christi* Eph. V, 27. *Et columnam atque stabilimentum veritatis.* 1. Tim. III, 15. *Sed & dogmata illius divina, nequaquam humana sunt.* Hoc & sequentia quæ addit, *intelligimus nos credere in divinas Scripturas &c.* non evincunt rectè dici: *Credo in Ecclesiam.* Ceterum in iis, quæ de assistentia Spiritus Sancti perpetua, de capite Ecclesiæ, de testimonio ejusdem, hic asseruit, veritati litasse censenda est.

CAPUT XXIII.

Decimus Articulus.

§. 1.

Quæst. 97. p. 153. *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Hic dicit quæst. 98.

98. *occasionem sibi datam differendi de septem Mysteriis Ecclesiæ*, quæ sunt: *Baptisma, Unguentum Chrismatis, Eucharistia, Pœnitentia, Sacerdotium, honorabile Conjugium & Oleum consecratum.* De quibus 1. asserit: *Respondere septenis Spiritus Sancti donis.* 2. *Efficaciam describit, quod per ea dona sua ac gratiam animis recte & legitime utentium Spiritus Sanctus infundat: remittitque lectorem.* 3. *ad librum quem Hieremias Patriarcha de convertendis Lutheranis* scripsit, *Censuram Augustanæ Confessionis* ab eo adornatam subinnuens. Sed numerum hunc ad binarium reducendum, si sermo de Sacramentis proprie dictis & talibus, per quæ Spiritus Sanctus in cordibus utentium gratiam suam accendit, demonstrarunt *Tubingenses Theologi* in responsione ad Patr. Jeremiæ Censuram, & quotquot locos communes congessere. Frustra itaque videtur laborare *Dn. Siricius* in refutando Fabro & aliis consensum hic cum Pontificiis adstruentibus, quem *Dn. Schwab.* cap. 15. sequendum sibi sumsit. Sed repugnante hac Confessione, cui quoad numerum Sacramentorum, merito fides habenda.

§. 2. Quæst. 99. p. 155. Definit Sacramentum ita: *Mysterium est Sacra quædam ceremonia, quæ sub specie aliqua visibili causa est, & in animam hominis fidelis invisibilem DEI gratiam infert, instituta à Domino nostro, per quam unusquisque fidelium divinam gratiam accipit.* Quia fidei mentio, non ex opere operato cum

Pon-

Pontificiis. Quæst. 100. pag. 155. Ad mysterium requirit Tres res: 1. *materiam.* 2. *Sacerdotem.* 3. *invocationem Spiritus Sancti & solennem verborum formulam* pag. 156. quin & intentionem ministri necessariam asserit: *accedente fixa & deliberata ejusdem intentione sanctificandi mysterii* pag. 156. Sed hic aberrat, æque ac Pontificii, quod evictum dedere *Calov. Synops. Cont.* artic. 8. thes. 5. pag. 731. *Quenstedt* parte 4. cap. 3. Sect. 2. pag. 78.

§. 3. *Fines Sacramentorum* quæst. 101. p. 156. tradit. 1. *ut sint signa & tessera filiorum Dei.* 2. *ut pignus fiduciæ in DEUM.* 3. *ut remedia quibus peccatorum infirmitates depellamus* pag. 156. alii addi possunt ex *Quenstedt.*

CAP. XXIV.

De Baptismate.

§. 1.

HOc definit quæst. 102. p. 157. *Baptisma est ablutio quadam & exstirpatio peccati Originalis, terna in aquam immersione facta, pronunciante hæc verba Sacerdote: In nomine Patris, Amen, & Filii, Amen, & Spiritus Sancti, Amen.*

§. 2. Forma Baptismi, in nomine Patris &c. rectè se habet: licet apud ipsos non in prima sed tertia persona administretur: *Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, Amen,*

&

& Filii, A. & Spiritus Sancti, A. Ideoque in *Concilio Florentino* approbata *D. Bothwidi* th. 29. *Sir.* cap. 5. pag. 75. Errant tamen hic 1. *Immersionem absolute necessariam facientes.* 2. *Trinam pràcise desiderantes*; Cum tamen Baptismus aspersione etiam unicâ sit efficax: in quâ Calviniani quibusdam in locis acquiescunt. Libertatis est Christianæ, cum nullum extet præceptum definitivum.

§. 3. Efficaciam Baptismi describit, dicendo: 1. *ablutionem & exstirpationem quandam peccati Originalis esse* p. 157. 2. *aperire aditum ad regnum cœleste*, ex Joh. III, 5. 3. *Esse indubium æternæ salutis signaculum ac pignus.* pag. 159. quæ hic de exstirpatione peccati tradit, erronea sunt; cum tollatur reatus, manente fomite ac radice peccati, qui in cinefactione demum exstirpatur.

§. 4. *Non debere iterari Baptismum* itidem bene observavit pag. 159. *dummodo is qui baptizat orthodoxè in unum DEUM, personis trinum credat, & adcurate verba: in nomine Patris &c. proferat.* *Necessitatem ejus optimè* ex Joh. III, 5. *adstruit.* pag. 158. vide *Pet.* lib. 6. pag. 12. Iteratur autem certis in casibus, sed malè Baptismus teste *Sir.* cap. 5. p. 76. Si Russus scilicet alienam fidem susceperit, vel si alii Christiani ad eos accesserint. *Susceptorem requirit Orthodoxum, idque jure* pag. 158. de cujus officio *Sir.* l. c. pag. 79.

§. 5. *Infanti renunciandum Diabolo per suscepto-*

scepto-

sceptores. quæst. 103. p. 158. asserit. *Quorum duos tantum adsciscunt*, Unum sexus masculini, alterum sexus fœminini: Et hos, si modo superstites, omnibus, quotquot nascuntur, liberis adhibent. Hinc constat infantes baptizari, quo se ab Anabaptistis sejungunt. Exorcismum etiam adhibent, & quidem ter repetitum; cujus formulæ prolixiores, quam ut apponi queant, per modum precationis conceptæ; & ab Orichovio in Lat. Linguam versæ. *Adultus suo ore repudium Diabolo det, respondendo ad interrogationes Sacerdotis, Satanamque & omnia opera ejus consputando* pag. 158. *Symbolum aperte profitendum: vel si infans, per sponsorem*. pag. 159. Tempus certum non habent limitatum: *in 40. tamen diem plerumque differtur, propter immersionem, ut infans illi toleranda par sit*. Sed *Czar Alexius 6.* die filium baptizari curavit.

§. 6. Materia. *Aqua pura, nullaque re permista, neque artificialis: nec alius liquor ullus adhibeatur* pag. 159. Ergo errat *Sacranus*. vide *Sir.* cap. 5. pag. 73. *Singulis de novo aquam consecrant, putantes eam corporali immunditia infici*. p. 75. Sed hujusmodi ablutionem Sacra Scriptura ignorat. vide l. c. *Sal ori immitti*, me vidisse, non memini; Sed nec sibi constat *Siricius* qui modo dixerat: *Sal ori immittit*: & mox subjungit: *Sal & Salivam Romano more cum pulvere mixtam non adhibent*. p. 79.

§. 7. Minister. *A nemine nisi ordinario*

Q Sa-

Sacerdote administrandus, pag. 159. *Urgente aliqua necessitate etiam alius quisque homo, sive mas sive fœmina, hoc peragere Sacramentum potest; adhibita aqua & verbis*, pag. 159. *Faber* itaque rectè docuit. *Siric.* autem erroris arguendus contrarium docens. cap. 5. pag. 80. *Sanctum unicuique assignandum in Baptismate*, non docet Confessio. Sed ex *Olear.* refert *Sir.* c. 5. p. 78. qui & errorem oppugnat & expugnat.

§. 8. 1. Fructus, *peccata omnia abolet, in infantibus originale: in adultis tum illud, tum voluntarium.* pag. 160. Gratis 1. repetit, quæ de abolitione peccati originalis supra dixerat, & nos atro carbone notavimus. 2. Videtur inficiari peccata infantum actualia f. voluntaria; veritate obloquente. pag. 160. 2. *Hominem plane renovat, in eumque justitiæ sanctitatisque locum, quo innocens adhuc intactusque peccato olim steterat*, ex 1. Cor. VI. 11. unde *Sir.* cap. 5. pag. 75. recte ipsis exprobrat, nimis extendi vim baptismatis. 3. *Per eum Membra Christi evadimus.* Gal. III. 27. pag. 160.

§. 9. Ex baptismo Laicorum adparet, non *requiri absolutè Exorcismum ad integritatem baptismi*, pag. 159. quemadmodum nec apud nos: licet ê contrario, cum in gratiam cujusvis hæretici abrogare minime queamus. Accusantur, quod putent, dæmonem habitare in infantibus, adeoque exorcismum ante fores templi adhibeant, ne si in templo immundus Spiritus exiret, templum profanetur, ap. *Sir.*

Sir. cap. 5. pag. 78. & *Opp*. quoque observat: olim in templo, nunc extra illud conferri cap. 2. p. 22. Exorcismum proinde Calvini proles ut rem abominandam reprobat, solida ratione nulla suffulta.

CAPUT XXV.

De Chrismate.

§. 1.

UNguentum Chrismatis ipsi est secundum Mysterium, cujus nullam quæst. 104. p. 161. dat definitionem: *Initium autem refert ad tempus, quo Spiritus Sanctus super Apostolos consedit*, Act. II. p. 161. Necessarium evincere conatur, *quod eodem Numine reliquis opus est, qui Christianismo initiantur. Nam ut tunc ignis visibilis specie delapsus Spiritus Sanctus dona communicavit; ita nunc quando Sacerdos inungit, donis Spiritus Sancti perfunditur*. pag. 161.

§. 2. Forma absolvitur his verbis: *Signaculum muneris Spiritus Sancti, amen.* Quam explicat & ex 2. Cor. I. 21. confirmat. *Hujus efficientiam, Apostolorum ævo per manus impositionem factam*, ex Act. VIII. 17. *postmodum inunctione unguenti fieri cœpisse, ex Dionys. Areopag. Pauli discipulo* (*Eccles. Hier*. cap. 11. & 12.) probare conatur, invitâ veritate.

§. 3. Ad hoc Mysterium requirit præterea quæst. 105. pag. 163. 1. *Ut ab Episcopo summo*

mo loci consecretur unguentum. pag. 163. *quod in hebdomade magna fieri consuevit, Siris.* cap. 5. 2. *Materia apta ad unguentum, oleum, balsamum &c.* 3. Tempus, *ut è vestigio post baptismum baptizatum inungant.* 4. *Non totum corpus, sed definita membra manus, pedes &c.* pag. 163.

§. 4. Fructus. 1. *Spiritus Sancti participes reddimur,* ex Tit. III, 5. 2. *Spiritus Sancti adjutorio ita confirmamur ut nihil hostis animæ nocere possit. Non repetitur nisi in illis, qui ab nominis Christi ejuratione redeunt.* pag. 164. Minister: *vulgaris Sacerdos Sir.* cap. 4. pag. 25. *Hinc constare puto esse ipsis proprie dictum Sacramentum.* quod tamen *D. Sir.* cap. 4. pag. 24. & *Sch.* cap. 15. & 16. negarunt. Sed decepti ab authoribus quorum fide sequuntur. Ceterum omnia, quæ hic traduntur, nullo nituntur fundamento. Nullo mandato, nulla promissione, gaudent ejus authores. Dicta Scripturæ torquentur ad præconceptam opinionem firmandam.

§. 5. Inter confirmationem Pontificiam & hoc Chrisma nihil aliud intercedere videtur, quam temporis & Ministri differentia. Temporis quidem, cum Russi statim â baptismo, Pontificii vero 10. vel circiter, anno inungant. Ministri, qui apud Russos est vulgaris Sacerdos: Pontificios verò Episcopus; ut non tam rejecisse confirmationem Latinorum, quam alio tempore administrasse censendi sint. Licet *D. Meyersb.* pag. 42. contra-

trariam foverit sententiam: *Cum baptizatum mox Chrismate inungant, confirmationem Latinorum respuunt ut superfluam.*

CAP. XXVI.

De Tertio Mysterio Eucharistia.

§. 1.

DEfinitionis loco qu. 106. p. 164. hanc dat descriptionem: *Est corpus & Sanguis Domini nostri JEsu Christi sub visibili specie panis & vini; in qua vere & proprie* h. e. *secundum rem ipsam, presto adest JESUS Christus.* pag. 164: an ex his ultimis verbis concomitantia Pontificia exsculpi queat, aliis examiminandum relinquo. Sufficit mihi notasse hic eandem, quam LUTHERUS dedit, datam descriptionem: Es ist der wahre Leib und Blut unsers HErrn JEsu CHristi unter Brodt und Wein ꝛc.

§. 2. Excellentium indicat, *quod inter reliqua omnia unum præcipuè emineat.* pag. 165. Efficaciam, *quod plus ceteris ad salutem consequendam nobis conferat, cum in eo omnes opes gratiæ exhibeantur.* pag. 165. quod verum est si quinque fictitia Sacramenta respicias: respectu Baptismi autem id asserere non est facilè.

§. 3. Minister: *Nullus nisi Sacerdos, quantacunque urgente necessitate,* quæst. 107. pag. 165.

Ejus cura: 1. *Ut adſit altare, aut tapes ſaltem menſalis conſecratus, abſque quo nullo modo integrum offerre incruentum ſacrificium.* pag. 165. 2. *Curabit ut in promtu materia debita.* 3. *Secum ſtatuere debet panem transmutari.* pag. 166.

§. 4. Materia: *panis è frugibus confectus, fermentatus, & quantum poteſt purus. ibid. vinum, haud alio humore confuſum, in ſe purum & ſincerum.* Quod ſi itaque alium ſubſtituunt humorem, ſuccum ex pomis vel medonem, ut *Sir.* cap. 5. pag. 81. docuit: invita Confeſſione id fieri credendum. Sed in actu ipſo adfundendam aquam (translatio addit: Calida, idque recte ut ex Sect. 1. cap. 12. §. 12. pag. 132. *De Liturgiis* evidens eſt) *implenda Scriptura* Joh. XIX. v. 34. *ubi dicitur aquam è Chriſti latere fluxiſſe,* urget Confeſſio; idque perperam. Non tamen eam faciunt abſolute neceſſariam, cum ægrotis dant S. Cœnam. Etiam infantibus, & *quidem puerulis triennibus* dant, ſecundum *Laſizium*: Theol. Moſc. p. 114. ſecundum *Guagnium pueris* ſeptem annorum, cap. 2. deſc. Moſc. *Petr.* l. 6. *quintum & ſeptimum.* Conciliationem inſtituit. *Siric.* c. 5. p. 83. pueris trium annorum partem Sacramenti, ſeptennibus integrum Sacramentum dari, quo & reſpexit *Olear.* l. 3. *Itin. Perſ.* p. 312.

§. 5. Tranſubſtantio deſcribitur: *quod ſubſtantia ipſa panis & vini, in ſubſtantiam veri corporis & Sanguinis Chriſti opera Spiritus Sancti immutatur.* p. 166. *Preces* quibus *Spiritus Sanctus*

ctus imploratur, ut transmutet, exhibet Confessio. pag. 166. Tempus: *quod precibus prolatu confestim Transsubstantiatio peragatur* p. 167. Eam credendam ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, probare fategit. pag. 167. quam tanquam figmentum rejicimus. *Sub speciebus exhiberi, quoniam ab esu carnis crudæ humana abhorreat natura. ibid.* sub speciebus, *ut fide corpus adesse persuasi sumus.* Hoc autem credendum, vi verborum Christi: *hoc est corpus meum.* pag. 167.

§. 6. *Sub utraque omnino fieri debere tam ab Ecclesiasticis quam Secularibus: 1. Quia Christus sine ulla cujusquam exclusione præcepit.* Joh. VI. 54. qui locus huc non quadrat, cum ibi de manducatione spirituali agatur. 2. *Sancti Apostoli tradidere*, ex 1. Cor. XI. 23. seq: rectè concludit, idque contra *Pontificios*, & inprimis *Concilium Constantiense*, sub una Laicis porrigendam contendentes sacrilegè.

§. 7. *Honorem parem illi qui Christo ipsi habendum dum asserit, Dn. de Mayersb.* contradicit, qui pag. 52. dixit: *pani Sacramentali nullus honos.* Incruenti Sacrificii loco Russis esse dubium non est, ex iis quæ Sect. 1. cap. 12. §. 12. pag. 130. de Liturgia allata, & à Confess. sic adprobantur: *Offertur pro omnibus orthodoxis Christianis viventibus pariter, & in spe resurrectionis vitæ æternæ consopitis.* pag. 170. *Est etiam propitiatio pro peccatis sive viventium sive mortuorum.* pag. 171. *Neque ad supremum orbis diem in-*

ntermittetur. ibid. quæ cum pugnent cum ipſa inſtitutione Chriſti dicentis: manducate,non vero offerte, eâdem facilitate quâ dicuntur, rejiciuntur.

§. 8. Fructus: p. 170. 1. *Recordatio ſupplicii Chriſti*, 1. Cor. XI, 26. 2. *Reconciliatio cum DEO, pro peccatis ſive viventium ſive mortuorum:* hic ſuppoſititius eſt quoad mortuos. 3. *Remedium contra tentationes.* pag. 171. potiſſimos omiſit, *Fidei confirmationem & augmentum, certitudinem de remiſſione peccatorum &c.*

§. 9. Præparationem pag. 171. requirit & fieri docet. 1. *Per ſinceram peccatorum confeſſionem.* 2. *Perfectam cum omnibus reconciliationem,* aliaque his ſimilia, e. g. *ſi maritus abſtineat conſuetudine uxoris annotante Sch.* c. 12.

§. 10. *Formula quâ exhibetur,* apud authores variat, quam vide *Opp.* cap. 2. pag. 23. Sed tutius fides adhibetur illi, quæ in Liturgia Sect. 1. cap. 12. §. 12. pag. 133. adducitur. Dant autem ſacram cœnam plerumque die Sabbathi *Petr.* l. 6. pag. 24. Et die ſequente Dominica alium panem diſtribuunt, Kutja dictum.

§. 11. Quoties in anno communicandum, non determinatur. *Dn. Pereniſten* tribuit ipſis, *quod tantum ſemel in anno ad communionem accedant.* Alii diverſum produnt. *Sed nec omnes ſemel in anno Sch.* cap. 17. In Ingria quidam, licet ſeptuagenarii, per omnem vitam ſemel Sacra cœna uſi ſunt.

§. 12.

§. 12. Recte pröinde faciunt, quod 1. *sub utraque.* 2. *quod linguâ vernacula administrant.* 3. *Ægrotis in ædibus.* 4. *Ut reconciliatio præcedat.* 5. *Non nisi à Sacerdote.* 6. *Missas quæstuarias rejiciendo Sch.* cap. 17. Interim notandum quod cum Psalterium totum pro defunctis recitant; id non gratis faciant, sed uti mihi in Ingria relatum, tres vel quatuor imperiales pro labore recipiant.

CAP. XXVII.

De Quarto Mysterio Sacerdotio.

§. 1.

HOc *duum esse generum* quæst. 108. p. 172. observat: *Spirituale & Sacramentale.* p. 172. *Spiritualis communione omnes orthodoxos Christianos frui*, ex 1. Pet. II, 9. Ap. V, 9. 10. bene infert. Et *quale hoc est Sacerdotium, tales esse oblationes; ad quas hortatur*, Petrus I. cap. II, 5. Paulus Rom. XII, 1.

§. 2. *Sacramentale* quæst. 109. pag. 173. *à Christo Apostolis mandatum existimat: deinceps per manuum illorum impositionem, in hodiernum usque diem ordinationem peragi*, ex 1. Cor. IV, 1. tradit. *Succedentibus in locum Apostolorum Episcopis.*

§. 3. Finis: *ad distribuenda divina Mysteria, salutisque humanæ obeundum ministerium.*

§. 4. *Hanc œconomiam* pag. 174. *duas res præ-*

præcipue completi pag. 174. *Unam esse, potestatem solvendi dilicta hominum.* Matth. XVIII. 18. *Alteram facultatem docendi*, Mat. XXVIII. 19. *Christum misisse Apostolos, hos alios impositis manibus*, Act. VIII. 17. pag. 174. *Missionis necessitatem*, ex Act. VIII. 17. & Act. XIII. 2. adstruit: Sed posteriorem locum quamquam bene allegat, male tamen explicat; cum ibi non de hostia incruenta, sed de ministerio tantum sit sermo. *Cautionem adhibendam in eligendis ministris verbi*, ex 1. Tim. V. 12. concludit; Idq; rectè. *Non missos vero, nec ad hoc opus delectos, nullo modo manus eidem admovere debere*, ex Rom. X. 15. dum infert, cum hac limitatione accipiendum; Si casus necessitatis aliud non postulet. Exemplum in *Olear.* l. 3. cap. 32. pag. 320. ubi quidam nomine *Georgius* Ochse/ quod bene in lectione Postillarum versatus, ad ministerium Eccles. Luth. adhibitus, licet â nullo Episcopo ordinibus sacris initiatus.

§. 5. Qualitatem mittendorum describit: quæst. 110. pag. 176. Examinandos esse urget, & ut Examinandi tribus sint instructi requirit: 1. *Bona conscientia.* 2. *Scientia, tam in dispensandis Mysteriis, quam instruendo per conciones rudi plebecula.* Διδαχαῖς an per conciones commode translatum, judicent alii. Apud Græcos quoque minimè obtinere crediderim; excepto tempore quadragesimali, quo nonnullas haberi docet Orient. Kirchenst.

3. Ut

3. *Ut membris sanis gaudeant, quibus opus ad exercendum ministerium.*

§. 6. Quæstioni 111. pag. 176. *an alii ordines ante Sacerdotium conferantur*, ita satisfacit: *Sacerdotium omnes in se continet gradus* p. 176. 2. *Gradus legitimo ordine conferri debent. ibid.* 3. *Enumerat gradus:* sunt *Lector, Cantor, Lampadarius, Subdiaconus, Diaconus, de quibus latius, in Euchologiis Pontificalibus, quæ Tactica nuncupantur, agi* innuit & eò Lectorem remittit. Sex tantum nominat, at Pontificii septem numerant: majores ordines tres: *Sacerdotum*, quorum sit sacrificare, deinde autem Diaconorum & Subdiaconorum; minores vero quatuor, Acoluthi, Lectoris, Exorcistæ & Ostiarii, eosque juri divino adscribunt. vide Catech. Rom. cap. de Sac. Ordin. Bell. l. de Clericis cap. 13. Ordines approbando Confessio rejicit Anabaptistas, Weigelianos, Socinianos, Remonstrantes, Independentes Anglos, distinctiones officiorum Ecclesiasticorum tollentes & labefactantes. Conf. *Calovii* Synop. Cont. Art. 14. th. 12. p. 930. De Hierarchia egimus sup. Sect. 1. cap. 18. pag. 164. Officium Clericorum sic breviter describit: *Ad officium Episcopi pertinere, ut in quocunque gradu quempiam constituit, clare & dilucide muneris illius rationes homini exponat, quod ipsi committit: sive divinum Liturgiæ officium sit: sive lectio Evangelii: sive Apostolicarum Epistolarum: sive ut sacra vasa gestet:*

ſtet: ſive ut mundum Eccleſiæ ſervet. Eſt enim cuique ordini peculiare inſigne ſuum, quo ſigillatim alius ab alio diſtinguitur, quod explanare debet Epiſcopus. Sed hi ordines omnes in verbo Dei fundamentum non habent, ideoque nec neceſſario adprobari merentur.

CAP. XXVIII.

De Quinto Myſterio Pœnitentiæ.

§. 1.

POenitentiam ita deſcribit: quæſt. 112. p. 177. 1. *Veram quandam penitusque infixam triſtitiam eſſe; ob ea quæ in ſe quisquam admiſit peccata.* 2. *Cum firmo animi propoſito emendandæ in poſterum vitæ ſuæ.* 3. *Plenaque voluntate obſervandi efficiendique quidquid mulctæ ſupplicüque irrogat Sacerdos.* 4. *Ut illi accuſatoriè detegat peccata.* p. 178.

§. 2. *Vim exſerere ſuam, cum abſolutio conceditur; quippe ut delictorum ſuorum veniam quisque conſequitur; extemplo omnia illius peccata à DEO per Sacerdotem illi remiſſa ſunt,* ex Joh. XX, 23.

§. 3. Hic obſervandum vult quæſt. 113. pag. 179. 1. *Pœnitentem eſſe debere Chriſtianum orthodoxum,* addita ratione: *nam pœnitentia quæ verâ deſtituitur fide, non eſt pœnitentia, nec DEO accepta* pag. 179. Ubi optandum fidem, prout fiduciam in meritum Chriſti complecti-

ctitur, & non tantum ut doctrinam denotat, requiri. 2. *Ut Confessarius Orthodoxus. Nam hæreticus & apostata, nullam solvendi piacula potestatem habet.* pag. 179. 3. *Pœnitens sit contritus*, ex Ps. LI, 19. 4. *Contritionem sequi debet viva voce sigillatim facta omnium peccatorum Confessio*, ex Act. XIX, 18. Jac. V, 16. ib. Marc. I, 5. subjungens hoc argumentum: *Nihil enim solvere potest: ubi nihil solvendum deprehendit.* Sed in his locis nulla enumerationis peccatorum mentio: nec argumentum ullius est ponderis ad eam firmandam. Nonne deprehendit peccata innumera remittenda? Et remissio nonne efficax absque ejusmodi enumeratione? quæ cum careat mandato Dei, promissione, & præterea sit impossibilis, merito exploditur ut conscientiarum carnificina. 5. *Proprietates Confessionis, ut sit humilis, religiosa, vera, sincera sui accusatrix, cum dolore & gemitu quando exercetur*, bene requiruntur.

§. 3. Postremam pœnitentiæ partem esse: *Canonem pœnitentialem & piaculare supplicium; quod definit & imponit Confessarius*; gratis asserit, nec ea quæ addit. p. 181. *quod genus sunt 1. Preces. 2. Elemosyna. 3. Jejunia. 4. Peregrinationes ad loca sacra, religiosa poplitum inflexiones* & his similia in verbo Dei injunguntur ut supplicia. Hinc constat, jure dictum â *Dn. Sch.* cap. 12. *Nimis hic esse papicolarum erroribus affines; cum & illi requirunt. 1. Contritionem cordis. 2. Confessionem oris. 3. Satisfactionem operis.*

§. 4.

§. 4. Rectè subjungit *dehortationem à peccato*, ex Ps. XXXIV. 15. Joh. V. 14. Joh. VIII. 11. *Et adhortationem ad bonum: quamvis impossibile homini, ut omninò & in totum, peccata vitet,* (Hic quæ ipsius de perfectione Christiana sententia sit, optimè explicat) *debet tamen pius quisque secundum conscientiam, quam habet, ab una confessione ad aliam, quantam poterit maximam emendationi vitæ suæ dare operam.*

§. 5. Modum confitendi ex *Olear.* Itin. l. 3. cap. 30. pag. 309. exhibet *Sir.* cap. 4. p. 29. *Petr.* l. 6. pag. 25. apud quos legi poterit. *De Mayersberg* adducit quendam fatentem, *se nihil gravioris criminis sacerdoti revelare* pag. 54.

§. 6. Fructus pœnitentiæ quæst. 114. p. 182. 1. *Ad innocentiam in Baptismo acquisitam, propius per pœnitentiam accedimus.* 2. *Per peccatum excidimus divina gratia. Resipiscendo eam recuperamus.* 3. *Per peccatum in civitatem Diaboli incidimus, per pœnitentiam liberamur inde.* 4. *Terror conscientia per peccatum: per pœnitentiam pax & fiducia, qualem erga parentes liberi habent.* p. 182. quæ vero consona.

§. 7. Rectè itaque tradit *Opp.* c. 2. p. 13. *Claves solventem ligantemque exercent. Excommunicant quoque & excommunicatio ipsis* obscha *dicitur.* Die viridium omnes â religione sua alienos præsente *Imperatore* banno percutere. ex amico ê Prussia sibi innotuisse annotat *Opp.* cap. 2. pag. 13. Excommunicati imaginem ê templo ejici scripsit *Dn. de Mayersb.* cujus verba Sect. 1, c. 20. §. 6. p. 177. adduximus. *CAP.*

CAPUT XXIX.

De Sexto Mysterio, Honorabili Conjugio.

§. 1.

DE hoc quæst. 115. pag. 183. asserit: 1. *Institui viri fæminaque in se invicem consensu.* 2. *Nullum legitimum impedimentum inte venire debere.* 3. *Sponsalia coram Sacerdote celebranda.* p. 183. 4. *Junctis dextris fides danda, quod alter alteri fidem, honorem, amoremq́; conjugalem ad finem usque vitæ, quocunque rerum discrimine, constanter servaturus, nec alterum deserturus.* 5. *Sancienda consecrandaque consensio per Sacerdotem, quod tum fiat quod scriptum est,* Ebr. XIII. 4. *Honorabile in omnibus conjugium, & Torus impollutus.*

§. 2. Fructus conjugii quæst. 116. p. 184. 1. *A periculo scortationis præservatio,* 1. Cor. VII. 2. 2. *Sobolis procreatio.* 3. *Mutuum adjutorium in morbo aut alio periculo. Summum amorem conjugalem,* ex Genes. II. 24. *haud male deducit.* p. 184. Hæc omnia Confess. bene; nec plura addit.

§. 3. Observatione autem dignum, quod *de Mayersb.* pag. 44. tradit: *Conjugia Latinorum non matrimonia, sed concubinatus Moscovitas appellare.* Et inde hic arguit: *sequi nos ex illegitimo coitu natos* p. 45. Sed & idem refert: *quod matrimonium illius, qui ad Ecclesiam ipso-*

ipsorum accedit, solvant. Ratione hâc nixi: *Esse hominis haud legitime per januam baptismi, ad reliquorum Sacramentorum perceptionem introducti.* Et si retinere uxorem maritus voluerint, denuo conjugio benedicunt.

§. 4. *Divortia ibi esse frequentia,* passim scriptores annotant. *Causarum præcipuam autumat de Mayersb. quod sponsas non videant.* p. 45. ante contractum matrimonium. *Cognationem spiritualem, quæ secundum ipsos contrahitur inter susceptores & infantes baptizatos,* impedire matrimonium æque ac apud Pontificios certum est. At nulla ratione nititur impedimentum.

§. 5. Reliqui errores ipsis â *Sir.* cap. 4. assignati sunt facti potissimum; nec ex doctrina fluunt, quales 1. *Quod ante consensum parentum concumbunt. Quem tamen necessarium facit ipsorum doctrina.* 2. *Parentis scorta ducunt.* 3. *Divortia frequentant.* 4. *Sæviunt in uxores.* 5. *Inopes usum uxorum faciunt liberum.* 6. Autem error doctrinæ imputandus: *dum interdicunt Monachis conjugio, &* 7. *absolute cœlibatum statui conjugali præferunt.* 8. *Commixtionem mariti cum soluta non esse adulterium statuunt.* 9. *Insensum in secundas nuptias animum ostentant. Secundas tamen concedunt &* 3. *Sed* 4. *omnino improbant,* absque sufficienti ratione.

CAP.

CAP. XXX.

De

Septimo Mysterio, Oleo consecrato.

§. 1.

OLeum consecratum à Christo institutum esse contendit quæst. 117. pag. 185. Probationem affert hanc: *quando misit discipulos suos, illi oleo multos ægrotos ungebant ac sanabant.* Marc. VI, 13. *Ecclesiam postea in solennem consuetudinem recepisse*, ex Jac. V, 14. pag. 185. Sed in his locis de unctione miraculosa, non vero Sacramentali agi, jam dudum evictum est.

§. 2. Adhibuêre enim Apostoli tantum ad sanandum ægros: Sed hi alio quoque fine, uti patet ex hac *Opp*. c. 2. p. 24. annotatione: *Agonizantibus post extremam unctionem, quando cœleste hoc viaticum acceperunt, divinæ potentiæ commendatis, medicamento aut cibo amplius frui haud permittunt, nisi aperta reconvalescentiæ adfuerint signa.*

§. 3. Observandum inquit quæst. 118. pag. 186. ut 1. *Mysterium hoc, cum omni consequentia sua per Sacerdotes, non vero per alium ullum administretur.* 2. *Ut oleum sit purum inconditumque.* 3. *Ut ægrotus orthodoxus & confessus paulo ante.* 4. *Ut dum unctio peragitur, recitetur illa oratio, qua Mysterii hujus vis & efficacia exponitur.*

§. 4. Fructus enarrat qu. 119. pag. 186. *Jacob.* cap. V, 14. *Criminum admissorum gratiam, sive salutem animæ.* 2. *Sanitatem corporis; quæ ut non semper obtineatur, remissio peccatorum in-*

R   *pæ-*

ænitente, semper obtinebitur. p. 187. Hæc omnia im faciunt veritati; & scripturam ad præconceptas opiniones detorqueri, manifestè probant.

§. 5. Porrò notandi sunt *Dn. Siric.* cap. 4. & *Scbw.* cap. 15. sese opponentes *Fabro*, asserenti esse *Russis Sacramentum.* Nec rectè *Jacobum* explicant Russi, ut *Scb.* l. c. existimavit. Quin & aberrat *Sacranus* & cum eo *Sir.* cum Russis tribuunt, *quod statuant hoc oleum nullam medelam adversus peccata adferre posse. Sir.* c. 4. p. 29. Neque inducor facile, ut credam, *Mortuo corpori adhiberi hoc oleum*, ut tradidit *Sacranus* & credidit *Sir.* pag. 30.

CAP. XXXI.

De undecimo Fidei Articulo, resurrectione.

§. 1.

EXspecto resurrectionem mortuorum. qu. 120.

§. 2. 1. *Certitudinem resurrectionis.* 2. *Corporum humanorum.* 3. *Proborum pariter ac improborum,* ex Joh. V. 28. invictè demonstrat q. 121. pag. 187. 4. *Eadem omnino corpora futura, quibus cum in hoc mundo vixerunt,* ex Job. XIX. 25. optimâ deducit consequentia. 5. *Incorruptibilia fore,* ex 1. Cor. XV. 51. 6. *Animas in sua corpora reversuras.* 7. *Una cum iis perfectam æternamque mercedem actionum operumque suorum accepturas.* p. 189. 8. *Impiorum quoque corpora immortalia esse debere. ibid.*

§. 3.

§. 3. 9. Qu. 122. *Docet meminisse.* 1. *Mortem.* 2. *Extremum judicium.* 3. *Cruciatus inferorum* 4. *Regnum denique cœlorum. ibid.* 10. Qu. 123. *Fructus* hujus recordationis. 1. *Pietas.* 2. *Fuga peccati.* 3. *Timor DEI &c.* p. 190. Hæc omnia ad tenorem verbi divini. De statu animarum post mortem *Confessio* hoc loco quidem expressè nihil tradit: Sed alibi *Siricio* c. 5. p. 92. dedit occasionem scribendi: Errant 1. *docendo justos ante Christum in infernum descendisse.* 2. *Animas piorum ad visionem DEI admitti negando.* 3. *In inferno constitutis viventium suffragiis subveniri.* 4. *Orationibus & Missis se defunctis prodesse.* 5. *Cum epistola viris magnæ authoritatis ad Petrum al. Nicolaum*, datur. Sed hic sciendum, *omnibus ejusmodi Epistolam dari; quæ salvi conductus nomine venit.* ap. *Petr.* l. 6. pag. 18. & ap. *Olear.* l. 3. cap. 31. pag. 315. ita sonat: *Nos N. Episcopus & Sacerdos hujus loci N. confitemur & testamur his, præsentem N. apud nos prout verum Christianum græcum decet vixisse, & licet interdum peccaverit, tamen peccata confessum, absolutionem & Sacram Cœnam in remissionem peccatorum suorum accepisse: DEUM & Sanctos ipsius honoravisse, jejunasse, orasse, ex præscripto. Mecum N. patre ipsius spirituali ita vixisse, ut ipsi omnia ipsius peccata remiserim. Quapropter nos ipsi has salvi conductus literas dedimus, sancto Petro & aliis Sanctis monstrandas, ut absque impedimento per januam gaudii intromittatur. Cum defunctis quomodo procedant* vide *Opp.* c. 2. p. 25.

CAP. XXXII.
De Purgatorio.

§. 1.

DUbitatum eſt, an Purgatorium credant? *Sed certum eſt eos non largiri, animas in purgatorio igne purgari Opp.* cap. 2. p. 25. *Duoque tantum poſt mortem loca agnoſcunt.*

§. 2. Hinc *Jovius* fol. 174. *Ceterum quod valde alienum â Chriſtiana religione videmus, nullis ſacerdotum ſuffragiis, nullaque propinquorum aut amicorum pietate, juvari mortuorum manes arbitrantur, fabuloſumque omnem purgatorii locum putant.* vid. ſup. Sect. 2. c. 19. §. 9. p. 224.

§. 3. Sed ut poſterius verum: ita prius â vero recedit, & nimis illis ſuffragiis niti Ruſſos indubium, uti ſup. Sect. 2. c. 24. §. 7. p. 247. indicavimus. *Quid quod campanarum pulſu, manibus creari ſolatium exiſtiment?* De *Mayersb.* p. 25. & 55. De hac quæſtione conſule *doctam & prolixam Dn. D. Johannis Dieckman. Exercit. Hiſtor. Theol. de Eccleſiarum Orientalium & Latinæ in dogmate de Purgatorio diſſenſione.* Witt. 1671.

CAP. XXXIII.
De Duodecimo Fidei Articulo, Vita venturi ſeculi.

§. 1.

HUnc quæſt. 124. pag. 190. ita format: *Et vitam Venturi ſeculi.* Occaſione hac tra-

tradit quæſt. 125. 1. *In futuro ſeculo venturam eſſe DEI gratiam ſuper electos* pag. 191. 2. *Æternam vitam gaudiis ac lætitiis ſpiritualibus fore cumulatiſſimam*, ex 1. Cor. II, 9. & Rom. XIV, 17. *hæc oritura ex viſu DEI & præſentia ipſa, quâ fruemur*, pag. 217. & p. 237. ex Pſalm. XXVII, 13.

§. 2. 3. Quærit. quæſt. 126. pag. 195. *an ſola anima, vel etiam corpus fruetur vita æterna?* Reſpondens bene: *utrumque eodem fruetur gaudio*, pag. 192. *non enim alia lætitia animæ, alia corporis erit.* 4. *Angelis ſimilem & æqualem factum iri.* Matth. XXII, 30. 5. *Corpus fore glorioſum, immortale, incorruptibile, non cibi non potus indigum, ſimile Spiritui*, ex 1. Cor, XV, 53.

§. 3. 6. *Lætitia non alia erit, quam contemplatio beatiſſimæ Trinitatis, & Chorus Spiritualis junctim cum Angelis agitandus* 1. Cor. XIII, 12. 7. Reſpondet objectioni: Exod. XXXIII, 20. *Nequaquam videre faciem meam & vivere homo poteſt*, hoc modo: *illud intelligendum, ante ſummam perfectisſimamque iſtam reductionem & de corpore hoc corruptibili, nec dum gloria ſua compote, vitaque præſenti. Sed poſt omnimodam iſtam redemtionem, in corpore cœleſti gloriâ decorato, in futura & æterna vita, poſt diem extremi judicii, indet DEUS lucem nobis, quâ lucem DEI ipſius contemplari queamus*, ex Pſalm. XXXVI, 10. *Quæ Lux quoniam aſpectu ipſo percipiatur, deſiderium omne omnis ſapientiæ atque pulchritudinis ſedabit ac compeſcet. Namque in hac contem-*

platione Summi Boni, cetera bona universa continentur; bonique illius fruitio, omnis lætitiæ complementum est. Psalm. XVII. 15. *Satiabor cum adparuerit gloria tua:* Ad quam nos suo tempore perducat Sanctissima Trias, Pater, Filius ac Spiritus Sanctus, cui sit laus & gloria in secula nunquam terminanda! Amen!

Appendix eorum quæ ADDENDA.

AD pag. 5. *Olearii Itinerarium Persicum*, in secunda Editione, in sex libros distinctum, â nobis excepto uno vel altero loco allegatur. *Ceterum de Muscovia nemo melius scripsit quam Adamus Olearius Germanus, libro cui titulus est Gallicè:* Relation du Voyage d'Adam Olearius en Moscovie, Tartarie & Perse. *Hofman. Lex. Univ.* Tom. I. pag. 1054.

Ad pag. 9. *Comes de Carlile*, cui nomen *Carolus Howard:* huic felices Viales Anno 1669. die 29. Sept. apprecatus est Carmine Anglicano felicissimus Suecorum Poëta, *Lars Johanson*, aliàs *Lucidor* den Olyckelige dictus. Carmen vide in collectione poëmatum sub titulo: Helicons Blomster/ edita Holm. 1688.

Ad

Ad p. 13. Extant plures rerum Moſcoviticarum Scriptores, 1. *Alexander Selitski Moſcovita* & ſcriba Cancellariæ, cujus Mſcr. Sueticum in Archivo Reg. aſſervatur. Hic ſua conſcripſit Holmiæ 1669. & alio nomine audit: *Grigori Carpoſson Cotosſicbin.* Mſcr. Ruth. in Biblioth. *Sparſwenfeldiana.*

2. *Abraham van de Corput.* Belga 1662.

3. *Alponſus Lyſck*, Legationis Secretarius 1675. ſub Ablegatis Imperatoriis *Hannibale Bottoni* & *Joh. Guſmanno.* Lat.

4. Muſcovia einer wahrhafften Feder deutſch. 1687.

5. Legatio Polono-Lithuanica in Moſcoviam An. 1678. deſcripta à teſte oculato *Bernbardo Leopoldo Franciſco Tannero Boemo Prag.*

6. *Hieronymus Horſey.*

7. *Antonius Sankinſon* Anglicè uterque.

8. Claudat agmen *Gotbofredi Arcbontologia Coſmica* in fol. qui lib. 1. pag. 357. de Muſcovia eruditè egit.

Ad p. 41. De moribus Moſcovitarum: *Dn. Carlile*, hanc inter Suecos & Moſcos comparationem inſtituit, & quidem c. 32. p. 424. de receptione ſua verba faciens: Worbey zwar groß geprale/ auch ſo viel Ceremonien nicht fürgingen/ als bey unſerm einzug in Moſcau geſchehen/ hergegen aber/ welches nicht minder liebenswürdig war/ Auffrichtigkeit/ wohlanſtändiges Weſen und freymüthige Sitten ſich überall erſehen lieſſen: und an ſtatt daß alles der Moſcowi-

ter tichten und trachten nur darauf gerichtet war/ wie sie sich groß machen und ihre Hoheit männiglich zu erkennen geben möchten/ so ließ der Schwedische Hoff seine Ehre und Ruhm im Gegenspiel fürnehmlich darin bestehen/ daß sie Seiner Excellentz mit lauter Ehrerbietung und Freundschafft begegneten. Et cap. 33. De Suecia: Ihre allergröste Zierde ist die schöne Ritterschafft/ welche es allda hat/ gestalt solche meinem bedüncken nach dermassen wohl gebildet und so höflig auferzogen/ als an einigem Hoff in gantz Europa, wir verwunderten uns auch dahero um so vielmehr darüber/ daß in einem so rauhen und ungeschlachten Lande/ welches man schier für einen Auswurff der Natur ansehen solte/ man einen so angenehmen/ schönen und zierlichen Hoff antreffen solte: Da hergegen in Moscau/ so ein schönes Land ist/ wir lauter grobe und barbarische Leute gesehen haben/ so wohl unter denen Grossen bey Hofe/ als unter dem gemeinen Volcke. pag. 428.

Ad pag. eand. culturam admittant; De hoc Plur. Rev. Dn. Præpositus Glück captivus in Literis ad Generosum Dn. Locumtenentem Regium districtus Lettici in Livonia (Stadthalter) *Michaël von Strokirch*, Fautorem nostrum honoratissimum, Moscuâ die 30. Novembr. Anno 1703. sic scripsit: Hiesige hohe Obrigkeit gedencket eine Academie allhie zu fundiren. Die Studia nehmen ziemlich zu. Schola Patriarchalis hat einige Professores, und

über

über 300. so allda studiren. 2. Catholische Patres informiren auch eine Parthey von der Herren Kindern. 3. Engelländer informiren eine grosse Menge in Mathesi, und in der Schiff- und Segelkunst. Denen Lehrlingen werden reiche Stipendia wochentlich ausgezahlt: Nur daß Strepitus armorum eine Hinderung machet.

Ad pag. 46. Monuit me *Generosiss. Dn. Sparswenfeldt* Turcicam non ex Arabica descendere, nec ullum verbum illis esse commune, præter Ecclesiasticos terminos, tantumque differre ab Arabica quantum hæc à Persica; memini tamen me legisse, quartam minimum vocabulorum partem Arabicæ esse originis *in Dn. D. Pfeifferi* Crit. Sac. c. 10. §. 8. pag. 304. *Natura linguæ Turcicæ (quanquam quartam fere vocum suarum partem Turcæ ab Arabibus, & quartam à Persis habeant, unde Arabismi & Persismi rudis non potest plene pernoscere neque interpretari Scripta Turcica) ad Tartaricam proxime accedit, imo ejus filia & dialectus quadam, à Persicâ vero & Arabica est diversa, non quidem in orthographia, attamen in Analogia &c.* Quod si forte ad Ecclesiasticas voces hic respexit, *Dn. Sparswenfeldio* assentiri credendus est. Sin minus, nostræ assertioni ex parte sua constabit fides. Sed in hæc nunc non vacat inquirere eâ, quâ par est, diligentia.

Ad pag. 49. *Thuanus* lib. 21. Hist. vult circa annum Christi 890. Christianam Religionem Russos suscepisse & ita loquitur: *Dein-*

 ceps

ceps fide Christiana imbuti sunt, ex occasione non minus honorifica quam fausta adfinitatis, cum Vlodimirus eorum Princeps, qui Kioviæ jam tum sedem fixerat, Annam Basilii Porphyrogeniti Filiam & Constantini Imperatoris sororem uxorem duxisset, circa annum Chr. 890. *Unde & Græcæ Ecclesiæ ritus etiam hodie servant. Hoc ita tradunt Russorum, & post eos Poloniæ Annales, de quo tamen Byzantiana Historia omnino tacet, ut mirum sit, homines vanos ac leves, rem adeo memorabilem silentio præteriisse, qui alioqui consentanea cum iis, quæ de Russis diximus, memoriæ prodidêre.* Summum seculi elapsi Historicum, multiplici ratione in hisce esse lapsum patet. Nam vix apparet quorum Annalium fide niti potuerit, cum à nobis allegati ab eo dissentiant. Dein â veritate historica aberrat, dicendo Annam fuisse *Basilii Propbyrogeniti Filiam* & Constantini sororem. Nam hi fratres fuêre, vide *Lex. Univ. Hofman.* Tom. 1. pag. 259. qui successêre *Johanni Zimisci* An. 975. Cofundit etiam Basilium I. cum Basilio II. jun. & conversionem gentis solennem tempore Vlodimiri factam, cum illa quæ Basilii I. ævo contigit, & ad initia conversionis referenda; quô Vlodimirus 100, & amplius annis junior. Fuit præterea Anna Vlodomiro elocata, filia *Romani* jun. Imp. ex Theophanâ. vide *Lex Un. Hofman.* l. c. Tam facilis cum sit in his lapsus, nobis quoque precamur veniam, sicubi & nos in nonnullis lapsi fuêrimus.

Ad

Ad pag. 58. §. 9. Dissensum ostendit hoc juramentum, præstandum ab iis Russis, qui Romana Sacra amplectentur, & linguâ Polonicâ additum *Orichovii* libello de Baptismo Ruthenorum, quod integrum subjiciemus ex interpretatione amicissimi *Dn. Sparswenfeldii:*

Ego N. contemplans separationem (ab Ecclesia vera) retentus laqueo Diaboli, & mendosâ corruptione, in quâ hærebam: Tandemque ipse animo mecum perpendens, & rectè examinans, alacri atque sana mente, absque omni coactione, tantum ex speciali gratiâ DEI, reversus sum & accessi ad unitatem Christianæ religionis, pariterque ad Ecclesiam Christianam Romanam, renuntians omni errori & schismati. Ut igitur omni suspicione caream erroris, quasi revera non accesserim ad illam Ecclesiam Romanam ejusque obedientiam & servitium, promitto & polliceor sub juramento, & æterna damnatione tibi Pater Venerande Episcope & similiter Sancto Petro Apostolorum Principi, primo Papæ, & Moderno Sancto Papæ Julio 2. *omnibusque ejus posteris & Vicariis Domini nostri JEsu Christi, quod nullo modo, nulloque instinctu ad pristinam mendosam corruptelam revertar, ex quâ per DEI gratiam sum ereptus; Verum firmiter perseverabo in unitate sancta Ecclesiæ Christianæ & in obedientia & imperio Papæ & Episcopi Romani. Qua de causa sub juramento DEI omnipotentis promitto & per sancta ejus Evangelia, in prædicta obedientia & unitate, me constanter usq; ad finem vitæ perseveraturum. Et si quod DEus æter-*

avertat, ego aliquo pacto, ab hâc Ecclesia Romana & ejus obedientia me sejungerem; voveo ut secundum perjurium & fallaciam meam, sors mea sit cum reliquis Schismaticis aut fidei fractoribus in æterna damnatione. Ita me Deus adjuvet, sancta crux, & sancta Evangelia; Amen.

Ad pag. 69. Magnanimitatis documenta edidit hodiernus Czar, feliciter rem gerens adversus Turcas & Tartaros, teste *Dn. D. Groningio in Historia Expedit. Russicæ* nuper susceptæ à CAROLO XII, Suecorum Rege potentissimo, Defensore Fidei, Pacatore orbis Christiani, Domatore Hostium felicissimo, P.P. Princ. Pio. Justo. Fort. Magnanim. Hamburgi edit. 1701. qui pag. 4. *Exercitum Russicum, famâ ob res bene contra Turcas & Tartaros gestas, terribilem dixit.* Sed & majoris animi fuit Suecos aggredi, qui teste *Oderbornio* lib. 2. c. 11. vit. Basilidis, *invicti.* Basilides unterstund sich auch/die sonst unüberwindliche Schweden/ die vor Zeiten Rom / das Haupt der Welt eingeäschert/ und gantz Italien in ihre Gewalt gebracht/ mit Gewalt anzugreiffen. Latinè sic scripsit in Collectione Scriptorum Rerum Moscov. pag. 282. *Basilides ad Gothos invictos antea, qui Romam caput mundi cum ingentibus copiis armatorum deleverant, qui omnem Italiam in potestatem redegerant, qui longa seculorum serie sui juris fuerant, armorum suorum vim & impetum transtulit.*

Ad pag. 91. §. 1. In dem nun Messe gehalten wird/ stehet das Volck und neiget sich gegen

gen ihre Bilder/ und wiederholen das Gospopi pomilui zum öftern. Sonst thun Sie/ wie allbereit gedacht/ keine Predigten und Auslegungen über die Biblischen Texte/ sondern lassen sich an dem blossen Text lesen / und aufs höchste an des itzt erwehnten Kirchen-Lehrers (Chrysostomi) Homilien begnügen/ vorwendend/ der Heilige Geist hätte zu Anfangs der Kirchen durch das Wort GOttes ohne fernere Auslegung gewircket/ er könte es noch itzo thun. Zu dem kämen durch viel Auslegungen / mancherley Meinungen / welche nur Verwirrungen und Ketzereyen verursachten. Vor zwey Jahren hat sich unterstanden der Morumski Protopop / nahmens Login, zu predigen/ und angefangen neben etlichen unter sich habenden Popen zu Morum/ und anderen Städten öffentlich mit predigen das Volck aus GOttes Wort zu lehren / zu vermahnen und zu straffen (daher man sie Kasanscha, predigende Priester genennet) haben auch grossen Zulauff gehabt. Als solches dem Patriarchen kund geworden/ hat er eyfferig darwider gethan/ die Prediger von ihrem Ambt abgesetzet/ mit sonderlichen Ceremonien verfluchet/ und in Ungnaden nach Siberien verschicket. *Olear*. lib. 3. cap. 25. pag. 291.

Ad pag. 117. Calendaria &c. Sie haben ein Calendarium perpetuum nach dem alten Styl/ worinnen sie gar fertig/ und die bewegliche so wohl als unbewegliche Festage/ geschwinde nach einander aufzusuchen wissen. *Olear*. l. 3. c. 25.

Ad

Ad pag. 218. Delineationem quam Sect. 2. cap. 16. §. 10. promittimus, hic damus.

1. Rufforum.



2. Roskolkianorum.



Ad

Ad. pag. 47. Tempore CHRISTINÆ R. S. jam de concinnando Lexico trilingui Suecio-Finnico-Moſcovitico actum eſſe, ſequens ex Archivo Reg. *á Nobilisſimo Domino Secretario Palmskiöld, amico bonorando*, communicata admonitio edocet.

Kortt Påminnelſe/ hwad Hennes Kongl. May:tt hafwer ſig deels förklarat öfwer at förrättas ſkola; Så ock hwaröfwer Hennes Kongl. May:tt nådigſte reſolution ännu underdånigſt begäres.


EFterſom Högſtbemelte Hennes Kongl. May:tt för någon tid ſedan/ vppå Biſkoppen i Wiborg Meſtr. Per Bjugges anhållande/ nådigſt reſolverat hafwer/ at den Ryſke Catechiſmus emenderas ſkulle/ ſå ock den ſamma för det Ingermanländiſke Prästerſkapet ſkull uthi trenne Språk förſatta/ neml. Swenſka/ Finſka och Ryſka/ och det ſåledes/ at Finſkan ock derjemte vthi Ryſke bokſtäfwer/ och Ryſkan med Latiniſke bokſtäfwer förſättas.

2. J lijka måtto är ock af Hennes Kongl. May:tt nådigſt reſolverat, at en ryſk book/ ſtrefwen af en Kexholmſk Ryß Semän Wäſme benämd/emot den ryſke Religionen, hwilken deß bofwerij och willfarande blindhet vptäcker och förlägger/ at bemeldte book på ſwenſka öfwerſättias ſkall/ och ſedan den af Prästerſkapet öfwerſedd blifwer/ af trycket publiceras.

3. Och

3. Och emedan som jag någorledes förstådt hafwer / at Hennes Kongl. May:tt är sinnad låta förfärdiga ett ryskt Dictionarium med swenska och flere språk / at dermed underslödia och facilitera Prästerskapet uthi Ingermanland / så ock ungdomen / som anten för traffic eller annor orsak skull til det ryska språket at lära lust hafwa / eller ock at Ryßerne så mycket beqwemligare til det swenska språket cognition och umgånge komma kunne ; Altså förfrågas härom underdånigst / / på hwad sätt Hennes Kongl. May:tt ett sådant Dictionarium wil förfärdigat hafwa ?

JOHAN ROSELIN,
Ryß-tolck.





Sectionis Tertiæ Theologiam Moralem exhibentis

CAP. I.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis & Moscoviticæ

PARS. II.

De Spe & Oratione Dominicâ.

§. 1.

QUæst. 1. p. 194. Spes definitur: *quod sit vera in DEUM fiducia, per inspirationem atque illuminationem divinam, cordi homines indita, ut ne unquam de gratiâ DEI desperet: tam circa impetrationem veniæ peccatorum, quam circa quodvis optatum: quando aliquid optatur bonum, sive de temporalibus, sive de æternis*, ex Ebr. X. 35. & Rom. VIII. 24. Ubi addendum omninò ad illuminationem, per *Verbum* DEI; quo mediante omnis post obsignatum Scripturæ Canonem, fit & inspiratio & illuminatio.

§. 2. Ad quæſt. 2. p. 195. *quibus rebus certa in homine Spes efficitur?* Reſp. (1.) *quod omnis noſtra Spes, ſit Dominus noſter JEſus Chriſtus.* ex 1. Tim. I. 1. Joh. XIV. 13. *quia per ipſum nobis tum gratia, tum veritas data.* Joh. I. 17. (2.) dicit: *quod in obſervatione mandatorum, repoſitam habeamus fiduciam*, ex Joh. XIV. 21. Qualem autem præſentia Bonorum Operam gignat fiduciam, exponit *Dn. D. Schertz. Brev. Hulſem. enucleat.* cap. 12. th. 39. p. 787. Digna ſunt quæ aſcribantur verba: *Duplicem fiduciam concedimus niti poſſe operum præſentiâ; nempè 1. fiduciam Status Fidei veræ, cognitionis ac renovationis. 2. Fiduciam complacentiæ divinæ. Solam vero fiduciam tum conſequendi, tum promovendi juſtificationis & glorificationis beneficium, in opera collocari poſſe negamus, impiamque ac ſcandaloſam Bellarmini contrariam ſententiam pronunciamus.* Unde patet, quo ſenſu accipienda Confeſſionis verba, ut fidei ſint analoga. (3.) *Ex communione tremendorum Myſteriorum*, h. e. *Corporis & ſanguinis Chriſti: per quam ille ipſe Dominus in nobis habitat;* haud malè. Sed dum huic ſententiæ ex Joh. VI. 56. robur accedere autumat, fallitur: cum Evangeliſta illic de Sacramentali perceptione nullo agat modo, quod evictum dedit, & contra Calvin. & Pontificios & Calixtinos, quibus Confeſſio frigidam ſuffundit, *Dn. D. Calov. Harm. Calixtino-Hæretica c. 6.* §. 21. p. 82. ſeq. (4.) *per aſſiduam orationem* ex Jac. V. 13. & Jud. v. 20. optimè. *Confer. Dn. D. Laurelii Syntagma Theol. lib. 3. part. 3. Art. 9. c. 3. p. 544.*

§. 3.

§. 3. Quæst. 3. p. 197. indicat, *quid considerandum, ad rectè comprehendendam hanc secundam Confessionis partem,* nimirum *adpositissimum videri, ut Oratio Dominica & Novem Beatitudines considerentur;* ratione hâc additâ: *quod quicquid à DEO impetrare volumus, primum cum verâ Fide, deinceps cum Spe, quod certò nobis illud daturus est DEUS, ab ipso petantur.* ex 1. Thess. V, 24. *Fidelis est qui vos vocavit, qui etiam faciet.* Subdens: *Pari etiam modo Beatitudines illas, spe nostras facimus, quando virtutes ipsas servamus, eâ spe, ut promissa Beatitudinum præmia consequamur.* Hic Dn. Interpres vertit, *servamus:* cum tamen in originali legatur: *θέλομεν φυλάτἰειν, volumus servare.* Ubi magna intercedit differentia inter τὸ servare, & velle servare. Hoc unicuique Christiano possibile; cum illud nulli mortalium concessum sit, si Salvatorem excipias, & de perfectâ observatione mandatorum sit sermo. Sed quod ad mentem Confessionis attinet, supponit illa meritum Bonorum Operum, & præmia Beatitudinum ut operibus debita intuetur: pessimè.

§. 4. Quæst. 4. p. 198. Orationis duplicem dat definitionem. (1.) *Quod sit petitio quadam ad DEUM ex ardenti Fide fusa, cum Spe consequendi id quod petimus secundum voluntatem ipsius.* (2.) *Quod Oratio sit adsensus mentis voluntatisque ad DEUM; quâ DEUM collaudamus, aut obtestamur, aut ob sua in nos beneficia grates illi agimus.*

§. 5. Ex hâc posteriori fluit responsio ad quæst. 5. p. 199. quâ quæritur: *quid faciendum homini, antequam orare incipiat?* Sciendum, *esse tria summa Orationum genera.* (1.) *quo gratias DEO persolvimus pro præstitu beneficiis* ex 1. Thess. V. 17. 1. Cor. I. 4. Coloss. I. 12. (2. *quo DEUM rogamus, ut nobis veniam peccatorum nostrorum concedat: scilicet ut merita simul pœna nos eximat: atque sanctam gratiam suam nobis quà animam, quà corpus infundat* (det); *cujusmodi preces tum nostri causa, tum proximi fundimus.* Col. I. 9. (3.) *quo collaudamus ac extollimus Dominum & DEUM nostrum ob Majestatem inaccessam atque immortalem gloriam. Exemplo Davidis* Psal. CXLV. 2. *additque, Ejusmodi orationem præcipuè ac singulariter magnâ Doxologiâ* (glorificatione) *contineri, quam quotidiè in Ecclesia cani asserit.* Qualis hæc Doxologia sit, Interpres indicat: *Hymnum Angelicum, Gloria in excelsis,* nominans. Quâ occasione notandum, quod in Ecclesiâ Græca duplex fuerit Doxologia; Magna, sc. Hymnus jam dictus: & parva, quæ in fine Psalmorum sæpius repetitur: *Gloria sit Patri, Filio, & Spiritui Sancto &c.* quam non tantum studiosè in Ecclesiâ retentam, pro custodiâ doctrinæ Nicenæ contra Arianos, sed & ab his subdolè mutatam docet *Hofm. Lex. Univ. Cont* part. 1. p. 648.

§. 6. Qu. 6. p. 201. *quid præterea ad precandum necessarium?* Sic satisfacit: (1.) *Orandum esse cum sobriâ temperantiâ & reverentiâ,*

ex

ex Tit. II. 12. (2.) *Cum compunctione cordis.* Coloss. III. 16. 17. (3.) *Ira & invidia oraturis exuenda.* Matth. VI. 15. (4.) *In gratiam redeundum cum illis, qui erga nos infenso sunt animo.* Mat. V. 23. 24. (5.) *Cogitationes peregrinæ & curæ inter orandum abigendæ, nec de nobis, quod de hypocritis, pronunciet DEus.* Marc. VII. 6. *aut de nobis accipiatur illud* Psalm. CIX. 7. Oratio illius peccatum fiat. Omisit hic Confessio (6.) requisitum, ut *Oratio fiat lingua nota;* quâ & totus cultus divinus peragendus, id requirente Apostolo 1. Cor. XIV. 13. & seqq. imprimis v. 16. qui, cùm variis sit subjectus expositionibus, meretur adduci & ponderari. Sic autem verba Pauli habent: *Ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; ἐπειδὴ τί λέγεις οὐκ οἶδε.* Theod. Beza vertit: *Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quod dicas nescit.* Vulg. consentit. *Luth.* vocabulum idiotæ, in quo maxima difficultas, vertit per Leyen: Svec. & Dan. Olärde. Anglus: Unlearned. Batav. Onghelerden. Slavonica: newiæschda. Gallica Genevensis: *populaire, in textu;* at in margine: *personne privée,* secundum origin. Ut autem de genuino Spiritus Sancti sensu constet, notandum (1.) quod *τὸ benedicere Spiritu, est officium sacrum in Ecclesia expedire lingua peregrina.* (2) per eum

 qui

qui *implet locum idiotæ, omnes auditores esse intelligendos*, cum eò confluxerint animo discendi ea, quæ antea ignorabant. Quò respexit *Genevensis* explicando *per populaire*; promiscuam multitudinem significans. (3.) *Amen dicere*, esse *quæ dicta fuerunt approbare, sibique applicare*. De primo & tertio *Estium, inter Pontificios Interpretem doctissimum*, habemus suffragantem:. Sed ad 2. Excipit: *Paulum non id velle ut totus populus intelligat, sed tantum ut is intelligat, qui suâ responsione & approbatione vicem populi suppleat, quem cæteris doctiorem esse conveniat; & in quo tanquam vicario, populus* quodammodo *intelligat*. Verum cum *Dn. D. Christiano Chemnitio* Comment. in h. l. quæst. 1. pag. 293. dicimus: Cum (1.) *Omnes debeant approbare & sibi applicare*. (2.) *Nemo per alium intelligat, agnoscas*, Esti, *frigus tua particula quodammodo. Gallicâ enim nive est frigidior*. Universa concio itaque erit intelligenda; & orandum Linguâ notâ: quod nec apud Græcos, nec apud Moscovitas fieri persuasi sumus, si Eruditos excipias. Nam Græcorum precationes antiquâ Græcâ, Moscovitarum Slavonicâ purâ conceptæ, quas Dialectos vulgus sibi familiares non reddidit. Quod formulæ precũ vulgari Dialecto Russicâ editæ non sint, certò scimus: an verò apud Græcos translatæ, in communem linguam, non adeò certum. Hinc patet non esse supervacuum laborem quem *Plur. Rever. & Doctiss. Dn. Ernestus* Glück

Præ-

Præpositus Marienbergensis in Livoniâ, nunc captivitatis incommoda Moscuæ sentiens, impendit vertendis Bibliis Slavonicis, in Dialectum Russicam omnibus vernaculam; ut expeditior plebi pateat via, ad intelligenda & Oracula divina & Sacra, quæ Slavonicâ minus notâ peraguntur, uti *Exercit. Nost. Part. I. Sect. I. Cap. IX* §. 5. *pag.* 90. jam indicavimus. *Estio* autem adhuc dicimus in aurem: Apud Pontificios rarò doctiores reliquis esse illos, qui Amen dicunt: imò puerulis id negotii committi & in pagis & in civitatibus; quod *αὐτόπτης* & Romani moris callentissimus, cum in illâ communione pluribus annis Sacerdotem egerit, post veritatem agnitam, & publicè in Ecclesiâ Gallicâ Holmensi, eo quo oportuit zelo ac animo in suggestu assertam, olim Collega, nunc Fautor & amicus exoptatissimus *Dn Josephus La Roque*, Estii alioquin admirator, mecum asserere non dubitavit; ut hoc effugium nullius sit pretii, & ad agnoscendum errorem, Estius, vel potius sequaces teneantur.

§. 7. Quæst. 7. quærit: *Quænam sit Oratio Dominica?* Resp. *Pater noster &c.* Quæst. 8. pag. 204. *in quot membra dividatur interrogat?* Resp. *in tria:* 1. *Prœmium.* 2. *In precationes ipsas.* 3. *In Epilogum.* Quæst. 9. Prœmium ipsi uti & nobis est: *Pater noster qui es in cœlis;* quod quæst. 10. sic explicat. (1.) *Oraturum se sistere non ut creaturam duntaxat, sed ut filium;* subjectâ hâc ratione: *Si filius non est, patrem*

illum nullo jure vocare potest. Optimè autem monet: *hanc adoptionis gratiam, in se credentibus Christum impertivisse,* ex Johan. I. 12. & Gal. IV. 6. (2.) *Orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ filius sit oraturus;* quod hâc ratione nixus asserit: *qui Ecclesiam matris loco non habet; is nec DEUM patrem habere potest.* ex Matth. XVIII. 17. (3.) *Nihil prorsus addubitabit, quin quod petiit,* (hic addendum ex primâ supra datâ orationis definitione: *Secundum voluntatem ejus.*) *accepturus sit.* Ratio: *quia Patrem indulgentissimum, summe misericordem, eundemque communem omnium patrem orat.* Luc. VI. 36. *qui & animi motus suggerit, ut illum rogitemus, perspectissimumque habet, quid unusquisque nostrûm rogatum veniat.* Matth. VI. v. 8. & VII. v. 11. (4.) *quod quemadmodum DEUS omnium nostrûm pater est, ita & nos qui fideles sumus, inter nos invicem fratres esse debeamus, alterque pro altero intercedere.* Jac. V. 16. & Matth. XXIII. 9. *sic citius alacriusque nos exauditum iri.* (5.) Verbis: *qui es in cœlis,* indicari: *animos cogitationesque omnes à terrenis & caducis, ad cœlum & incorruptibilia adtollenda.* Prudenter tamen monet: *DEUM non in cœlo solùm, sed ubique locorum esse præsentem, omnia replere; quando autem in cœlis potissimum effulget gratia illius, & beneficiorum perennis opulentia, inde thronus ejus dicitur* Psf. XI. 5.

§. 8. Quæst. 11. pag. 208. Rectè docet: *Membro secundo septem contineri petitiones, à Calvino*

vino & ejus discipulis secedens, qui odio *D. LUTHERI*, & innovandi studio duas ultimas contrahunt. Qu. 12. primam petitionem his constare tradit: *Sanctificetur nomen tuum:* & quæst. 13. contendit illâ (1.) *peti, ut DEUS nobis piam vitam, virtutibus ornatam largiatur, unde excitentur homines ad laudandum DEUM,* ex Matth. V. 16. Pia vita supponit sanam doctrinam, quam præterire voluisse Confessores, minimè credendum; quod constare putamus ex (2.) doctrinâ, quam ibi comparere dicit: *Ut sc. omnis vita nostra gloriæ divinæ serviat, & illi omnes qui non credunt resipiscant & DEUM agnoscant, quò & per eos nomen DEI concelebretur.* (3.) *Pro iis hic orationem fundi, qui Christianismi nomen præ se ferentes, flagitiosam vivunt vitam, quorum culpa fit, ut & DEus & Religio malè audiant, de quibus* 2. Tim. III. 5. & Rom. II. 24. *ut ad frugem bonam se recipiant.* (4.) Instruit lectorem: *tenendum esse, sanctum quidem per se nomen DEI esse: sed in nobis & à nobis tum illud sanctificari dici, quum nosmetipsos pietate ac sanctitate vitæ, in divini nominis honorem sanctificamus;* rectius: cum piæ vitæ studemus.

§. 9. Quæst. 14. pag. 110. asserit: II. petitionem his absolvi: *Adveniat regnum tuum;* & quæst. 15. *illâ* (1.) *nos DEUM venerari, ut ipse, non peccatum, in nos totos, præcipuè in corda nostra regnet.* Rom. VI. 12. (2.) *eam docere: quod homo qui in gratia apud DEUM est, cœle-*

stem

stem lætitiam animo percipiat, mundum nihili putet, & unicè optet, ut cœlestis regiæ incola fiat. (3.) *DEUM hâc obtestamur, ut secundus ejus adventus quam primum appareat*, ex Matth. XXV. 31. *utque resurrectionem mortuorum & extremum judicium acceleret, ut sic veniat regnum cœlorum, in quo DEUS erit omnia in omnibus.* 1. Corinth. XV. 28.

§. 10. Quæst. 16. Exhibet petitionem III. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra*; quæ quæst. 17. p. 212. sic explicatur: (1.) *Ut DEUS nos non nobis relinquat, sed ad nutum suum gubernet.* (2.) *Ut nemo voluntati DEI repugnet, sed quemadmodum Angeli in omnibus morem gerunt: sic & homines universi, sine murmure, DEo obsequantur.* (3.) *Nihil electis accidere posse, tum quod ad piam vitam agendam, tum quod ad tentationes hostis atque persecutiones, absque permissu divino, eò quod non nostri tantum, sed & capillorum capitis nostri curam gerat Dominus.* Luc. XII. 7. & XXI. 18. Videtur longius petitum.

§. 11. Quæst. 18. pag. 214. IV. petitionem: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè* proponit; & quæst. 19. illâ expeti statuit: (1.) *animæ nostræ alimentum, Verbum DEI*, ex Matth. IV. 4. *sine quo interior homo, velut inedia oppressus, emoritur.* (2.) *reliquum animæ pabulum, nimirum communionem Corporis & Sanguinis Christi* ex Johan. VI. 55. *& ut dignè hoc fruamur, cujus utriusque alimenti ubi participes fuerimus, tum in nobis cœleste regnum DEI habituri simus.*

ſimus. ex Luc. XVII. 21. *Reliqua omnia quibus indigemus, mantiſſa loco datum iri.* ex Matth. V. 33. Aſt hæc minimè fuit mens Salvatoris, & ea quæ ad animæ pabulum maxime ſpectant, jam tribus primis petitionibus requiſita ſunt. Fuit tamen in eâdem cum Confeſſione ſententiâ *Hieronymus* Tom. 6. Opp. l. 1. Com: in Mat. 6. *intelligens de pane ſpirituali*; cujus veſtigia legunt, qui in Galliâ *Doctrinæ Chriſtianæ explicationem Græco vulgari idiomate & latino tradidêre*; Cardinali *Richelio* dicatam & Pariſiis editam Anno 1633. in 8. vid. p. 183. primariò panem ſpiritualem, ſecundariò corporalem expeti ſtatuentes. Quibus adſtipulantur ii, qui Eandem Doctrinam, in Linguam Armenam, â Petro Paulo Sacerdote Armeno, verſam concinnarunt, & publici juris fecerunt, quæ â *Societate Typographicâ, Librorum officii Eccleſiaſtici*, juſſu Regis â Cardinale modo nominato, (cujus parem Gallia non habuit, an habitura ſit incertum,) inſtitutâ, Pariſiis edita Anno 1634. in 4. reg. nam & illa contendit *primariò* panem ſpiritualem, *ſecundariò* corporalem innui. Sed miramur quod â *Catechefi ex Decreto Concilii Tridentini ad Parochos Pii V. Pontif. Max. juſſu edito Venetiis Anno* 1579. *in* 12. qui apud Pontificios eſt Liber Symbolicus, cujus ſancta eſſe debebat authoritas, recedere auſi ſint, quæ pag. 533. ſic ſentit: *Petimus autem hoc loco, hujus, quam in terris agimus, vitæ ſubſidia,*

ſan-

fanctorum Patrum ita sentientium authoritate. Quos inter eminet *Chrysostomus* accipiens *de pane corporali*, (â cujus sententia, cum quanta sit ejus autoritas in Ecclesiâ Græcâ omnibus pateat, cur recesserit Confessio, dictu haud erit facilè. Fortè quod in præcedentium explicatione, nullam fecerat mentionem verbi DEI, ubi tamen fieri oportuit, hic voluit rei prorsus necessariæ injicere mentionem; sed præposterè) & hunc secuti *Lutherus* & Orthodoxi Interpp. omnes, panis nomine tantùm omnia quæ ad victum & amictum pertinent, comprehendentes. Quod & *Confessio* in sequentibus facit, indicans (3.) *id omne panis nomine hic venire, quod ad præsenten hanc in his terris vitam commodè sustentandam necessarium est, tam illud, quo alimur, quam quicquid præterea ad vitam tuendam nobis opus est:* additâ hâc cautione: *suffectura non superflua ac deliciarum instrumenta petenda, cum flagitiis semina & alimenta ministrent:* de quo Paulus Rom. XIII. 13. & 1. Tim. VI. 8. *habentes autem alimenta & tegumenta, his contenti erimus.* (4.) quod autem dicitur: *hodiè, id præsens hoc seculum designare: nam seculo venturo fruemur præsentiâ ipsâ, visuque DEI, & orta inde lætitiâ* Quâ ratione voce hodiè, solicitudinem de futuris incertis excludi contendant nostri Interpp. notum est. Errarunt itaque *Crypto-Claviniani Wittebergenses* qui in suâ *Catecheseos explicatione*, (quâ errores Calvinianorum subdolè in Ecclesias Saxonicas intro-

troducere conabantur An. 1571. quæ deindè An. 1572. recusa cum indicio locorum, ubi ipsorum hæresis in corpore Doctrinæ Philippi extaret, nominis Lutheri nullâ ratione habitâ, in toto libello, si præfationem excipias, ubi ejus nomen extat, ut sic felicius imponerent Lectori, Philippi Melanchtonis autem scripta, ubique ad firmandam sententiam attulerunt. Hic Philippus cum 14. annis post fata *Megalandri* superstes fuerit, & ingenii mobilis vir, nec par eludendis Calvinianorum artibus, qui blanditiis suis in castra sua, in articulo de Sacrâ Cœna, eum perduxerunt, cepit omnium ambire favorem, etiam Pontificiorum, uti est in confesso per illa, quæ de interimistico libro & bello adiaphoristico extant monumenta: ut magnum prorsus sit discrimen inter Philippum orthodoxum & heterodoxum; de quo vid. Hutteri Concordiam Concordem & Christiani Kittelmanni Ausführlicher Beweiß daß die Calvinische Lehre vom Abendmahl / GOttes Wort gantz zuwider. p. 44. qui legi dignus.) Ἐπιούσιον dictum volunt ab ἐπιοῦσα crastino; quæ interpretatio planè non hic locum habet. vide Catech. p. 102. & Lex. Pasoris p. m. 241. ubi interr alia observat, ἐπιούσιον nec benè verti per quotidianum, nec per supersubstantialem; sed ex mente *Magni Brentii*, per necessarium ad sustentationem zur Nothdurfft: quia tamen τὸ quotidianum jam receptum, merito retinetur; quod hic ὡς ἐν παρόδῳ monuisse, junioribus ingratum haud fuerit. §. 12.

§. 12. Quæst. 20. V. petitionem recitat: *Et remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* & quæ. 21. p. 217. sic exponit. (1.) *DEUM rogamus, ut criminum gratiam faciat: eorum maximè quæ post sacrum Baptismum perpetravimus, sive mortalia, sive non mortalia, sive cogitatione, sive facto commissa.* (2.) *Fidem nostram adstringimus ad facilè ignoscendum hostibus, addens: Eum qui non concedit proximo, nequicquam hanc usurpare petitionem. Imò eam in peccatum verti.* Ps. CIX. 7.

§. 13. Quæst. 22. pag. 219. VI. petitionem: *Et ne nos inducas in tentationem*, sistit: & quæst. 23. Hunc ejus sensum esse asseverat: (1.) *Oramus*, inquit, *ut ab omnibus tentationibus simus immunes.* (2.) *Sin aliter fieri nequit, ut liberemur ab iis, quæ vires excedunt.* Progreditur porrò ad tradendam tentationum differentiam secundum causas, docens: *Tentationes alias* (α) *esse â mundo* (β) *alias â Diabolo.* (γ) *alias à propria carne.* pag. 220. (δ) *alias à Tyrannis, qui Ecclesiam divexant* a. *per erroneas doctrinas.* b. *per fraudulentas blanditias ac fallaciloquentias.* c. *per ementita miracula.* d. *per ostentata opum & honorum auctoramenta,* e. *denique per vim Tyrannicam*; & quidem א *per adflictiones.* ב *coactines.* ג *publicationes bonorum & sectiones.* ד *raptus*, de quibus conqueritur, quod *hæc omnia nostris temporibus plus satis experiamur.* Quod illis, qui in Ecclesiâ pressâ, ut Græci vivunt, evenire non est

du-

dubium. Cæterum hæc 4. Tentationis species, ad primam, quæ immundo mundo tribuitur, commodè refertur. (3.) *DEUM rogamus, si contingat, ut vitam & sanguinem pro sanctissimo ipsius nomine, pro S. ecclesiâ illius sponsa, pro veritate Evangelii profundamus: ut tum gratiâ suâ nos corroboret & sustentet, quo cruciatuum sævitiam nobis intentatam, masculè & constanter ad extremum usque halitum sustinere queamus: atque in cælo coronam martyrii recipiamus.* (adde: ex gratiâ.)

§. 14. Quæst. 24. VII. tradit petitionem: *Sed libera nos à malo.* & quæst. 25. p. 221. sic lucem illi fœneratur, peti (1.) *ut DEUS nos ab omni malo, â peccato & probro tueatur.* (2.) *Ut gratiâ sua nobis adsit, quo iram ejus effugiamus.* Psalm. VI. 1. (3.) *Ut ex aliis malis quibuslibet eripiamur, qualia sunt, annonæ caritas, pestilentia, bella, incendia &c.* (4.) *Ut ab animam acturis propulset Stygii hostis insultus, & gratiam largiatur sub gratiæ suæ clypeo, Angelique custodis præsidio ac ductu piè decertandi.* Quæ hic de uno Angelo custode afferuntur, ejusmodi sunt, ut certo in Scripturâ Sacrâ fundamento destituantur. Non uni enim, sed multis Angelis curam fidelium esse commissam, ex Pf. XCI. 11. constat; majoremq; dum hæc sententia nostra affert consolationem, illi merito præferenda. Interim Confessio habet sibi adstipulantes Pontificios & Calvinianos nonnullos: quorum sententia tamen, ut hæretica non est

tra-

traducenda: quippe quæ cum nostra non pugnet adversâ fronte: licet omnes circa hoc argumentum Papistarum opiniones, nec probandas nec tolerandas censeamus. vid. *Dn. Doct. Sibertz.* Brev. Hulf. Enucl. cap. 3. th. 13. pag. 184. (5.) *Ut ab æternis inferorum cruciatibus liberemur.*

§. 15. Quæst. 26. pag. 223. Epilogum: *Quoniam tuum est regnum & potentia & gloria in secula. Amen.* tradit: quæst. 27. illum esse bimembrem ostendit. *Prius: prooemio probè convenire ait; quippe ut prooemium spem facit nos impetraturos, quæ petimus, cum res nobis sit cum Patre indulgentissimo: ita Epilogus eandem spem confirmat, docendo mundum esse hujus Patris peculium: cujus potentia & gloria nihil in terra aut cælo resistere valeat; qui omnia largiturus ob nominis sanctiss. gloriam,* cum dicatur: *& gloria in secula.* Membrum posterius, *voce Amen absolvi dicit; quo petimus ut omnia nobis eveniant, quemadmodum precati sumus.* Melius dixisset: quo certi reddimur, uti habet *Megalander Lutherus.* De voce *Amen*, quam *Hieronymus* signaculum orationis Dominicæ appellat, erudito planè & satis prolixo opere egit Præceptor noster b. m. Vir supra laudem nostram, *Dn. D. Martinus Brunnerus*, qui consulatur dignissimus, ed. Upf. 1679. in 8vo.

§. 16. Quæst. 28. expendit: *An Epilogi cum Oratione Dominica sit nexus;* & asserit Esse, & (1.) *ipsum Christum orationis hujus autorem*

torem eo usum Matth. VI, 13. (2.) *Non repugnare orationi.* (3.) *Eodem orationem adstrui.* Subjungit (1.) *homines seculares verbis Epilogi abstinere quidem :* Sed (2.) *nihil impedire, quo minus in publicis Ecclesiæ precibus, imo & privatis, si Clericus adsit; ab ipso adhibeatur, ad astruendam orationi autoritatem :* Imò (3.) *nec si privatim quis ea protulerit, peccare.* (4.) concludens : *melius esse, si nunquam ab oratione Dominica hæc verba sejungantur.* (5.) Rationem dat, *cur Sacerdos in publicis precibus ea proferat*, sc. *majoris dignationis causa :* Cui & nos subscribimus, cum ad essentiam Orationis pertineant : quod contra Pontificios eam ex libellis catecheticis excludentes, haud dubiè quia in Vulgatâ, à Synodo Tridentino canonizatâ, non leguntur, & in specie Maldonatum, affirmant Doctores nostri. Nec nobis officit *Lutheri*, clausulam omittentis, authoritas, Lucam sequuti : cum *D. Fridlibio teste Medull. Theol. pag.* 278. *summam ejus in explicatione vocis Amen tradiderit.* Nec Patrum hanc clausulam excludentium, *Cypriani, Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi & Augustini augustissimi* factum nos movet ; cum iis Patres eam adhibentes, *Chrysostomum, Theophylactum*, alios opponamus. In Agendis nostris Ecclesiasticis utrinsque Evangelistæ vestigia legimus. In formula Sacræ Cœnæ, *Lucæ.* In formula Baptismi & Conjugii, *Matthæi*, apud quem Vulgata, ausu plusquam temerario, imò

T sacri-

sacrilego, clausulam hanc omisit; quam nec editio, *Sixti V.* Pontificis jussu recognita ac castigata, quin & sub *Clemente VIII.* denuò sub incudem revocata, restituit, *vid. Edit. Colon. Anno* 1638. *in* 8*vo.* quanquam præfatio affirmet, & Hebræos & Græcos fontes adhibitos, â Revisoribus Cardinalibus, aliisque Viris doctissimis. Ex hâc orationis Dominicæ explicatione patere putamus, in quam paucis ab expositione *D. Lutheri* discessum; nec nos pœnitere debere assertionis in *Exercit. nost. de Rel. Moscov. Part. I. cap.* 1. §. 19. *pag.* 33. positæ.

CAP. II.

De Novem Beatitudinibus.

§. 1.

Quæst. 29. pag. 227. Cum dixisset: *Beatitudines ad spem firmandam conferre,* & sic methodi rationem tradidisset, quærit: *quot sint?* ex Mat. V. 2. seq. respondens: *Esse novem:* adducens præterea *Chrysostomum* (Homil. in 1. Cor. XV. 28. Tom. 3. 992. Lat.) præeuntem dum dixerat: *Moses decem præcepta dedit. At JEsus Mosis Dominus, novem beatitudines, triplici ternario coronam parans.*

§. 2. Quæst. 30. 1. Beatitudinem dicit esse hanc: *Beati pauperes Spiritu, quoniam illorum*

lorum est regnum cælorum. quæst. 31. pag. 228. Eam hanc doctrinam complecti statuit; *agi de opibus rebusque mundanis;* perperam: hinc quæ subjungit, firmo talo non stant: *avaritiam hic damnari* ex Psal. LXII. 11. *Et ad antiquam Christianorum perfectionem, nihil proprium habentium conformandam vitam* ex Act. IV. 32. Nam primitivæ Ecclesiæ nascentis peculiaris erat ratio: nec perfectionem per communionem bonorum quærebat, aut lucrata est: & si omnia deberent esse communia, quorsum septimum ex decem præceptis? Fallit itaque dicendo: *hanc virtutem paupertatem appellari spiritualem.* Ipsamet confessio videns asserti absurditatem, quod omnia jubet esse communia, paulò post *unicuique assignat quantum ad æqualem victum cultumque vitæ, justa æstimatione, satis est. Virtutis hujus primas* dum docet *ferre Religiosos & Monachos,* longè à veritatis linea aberrat; prout Disp. de Vot. Mon. cap. 10. §. 7. 9. evicimus. *Nec ullam inde spem mercedis in cælo fovere queunt.* Quod *Monachos ne quidem de vestitu & alimentis vult esse solicitos, & parvo contentos* ex 1. Cor. IV. 11. tutò facere potest: & Monachi illi obedire queunt consilio: cum ab aliis ipsis prospectum sit plus satis. Nec Apostoli dictum in illos quadrat: cum Catones simulent, & Bacchanalia plerique vivant. Quod subjicit: *ob hujusmodi tolerantiam regnum cælorum præmium proponit Christus:* nullo Spiri-

tus Sancti testimonio corroborabitur. *DEI donum cum sit :* Eph. II, 8. in eo Spiritui Sancto contradicit, quisquis impiæ illi accesserit sententiæ. Quæ deinde subjungit, *de opibus sanctè acquirendis & habendis, & in necessitates Ecclesiæ, pauperum, peregrinorum, ægrotorum &c. erogandis ad exemplum Zachæi* Luc. XIX, 8. utut verbo DEI conformia, hujus tamen non sunt loci : quemadmodum nec sequentia : *Helluones ad mendicitatem redactos, nihil lucrari : si autem ad frugem bonam se receperint, mercede suâ non defraudandos.* Agit enim Salvator de paupertate tali, quæ tantum consistit in agnitione peccatorum & dolore de bonis operibus omissis, uti observavit *Flacius Illyricus*, Comment. in Mat. V. meritis in Ecclesiam dum vigeret Controversia Interimistica & Adiaphoristica clarissimus ; quin & Crypto-Calvinianorum malleus, immortalem gloriam, Clave Sprip turæ S, Catalogo Testium Veritatis, Comment. in N. T. adducto, Centuriis Magdeburgensibus & aliis scriptis utilissimis consecutus ; in eo unico infelix quod in Disputatione contra *Sophistam Strigelium*, fervore abreptus statueret, *Peccatum Originale esse substantiam* : quem errorem dein alii insecuti, uti docet Jenensium Theologorum Præfatio, novissimæ editioni Clavis Scripturæ præmissa : unde adversariis veritatis hostibus, ansa calumniandi & Scripta & famam Viri, hunc si excipias lapsum, incompara-

parabilis, & in persecutionibus hostium perferendis ac superandis constantissimi: vide apud *Hofm. Lex Univ.* Tom. I. p. 1009. adversariorum elogia; quanquam Thuanus, præter morem, in ipsum fuerit iniquior.

§. 3. Quæst. 32. pag. 331. Secunda Beatitudo hæc dicitur: *Beati qui lugent, quoniam consolationem accipient:* & quæst. 33. pag. 232. dicit: (1.) *beatos esse, qui ob peccata lugent & lacrymas fundunt*, ex Jer. L. 4. *illos autem qui ob miserias & damna tristitiæ se dedunt, hujus batitudinis non esse participes.* (2.) *qui ob peccata proximi mœrent, & hæreticos & profligata vita homines in viam reducere tentant.* (3.) *qui oppressionibus Magnatum exagitantur, nec non Martyres &c.*

§. 4. Quæst. 34. p. 234. III. Beatitudo proponitur: *Beati mites, quoniam ipsi hereditatem terræ accipient*; quam quæst. 35. p. 234. sic explicat. (1.) *Injungi mansuetudinem & moderationem, seu obedientiam DEO, Ecclesiæ Christi, superioribus exhibendam.* (2.) *Beatos qui nulli molesti aut graves.* (3.) *Qui bona sua opera rejicula esse dictitant.* Excipit eos, *qui ex officio alios increpare tenentur, hos non excidere beatitudine.* Gal. VI. 1. *Hos hæreditatem terræ promissæ adituros, & in hâc vita beneficiis DEI gavisuros: & in futurâ vita bonis DEI fruituros.* Psalm. XXVII. 13. ubi iterum bonis operibus nimium defert Confessio. Hic præ-

 cipuè

cipuè terram, quæ nobis domicilium in hâc vitâ præbet, esse intelligendam affirmare quid prohibeat, non video; cum vero sit similimum, Salvatorem ad Psalm. XXXVII. 11. 22. & 29. respexisse; ubi sic Psalmista locutus: v. 11. *Mansueti vero hæreditario jure possidebunt terram, & oblectabunt se in multitudine pacis.* v. 21. *justus vero gratiam facit & donat.* vers. 22. *quia benedicti ab illo, hæreditario jure possidebunt terram: maledicti vero ab illo exscindentur.* Suec. Men then råttferdige år barmhertig och milð. Ty hans wålsignade årfwa landet/ men hans förbannade warda uthrotade. Oppositio inter benedictos & maledictos, nostram firmat sententiam.

§. 5. Quæst. 36. pag. 237. IV. describit: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* quæst. 37. ita eam declarans: *Beatos esse qui injuriâ læsi, nullo in foro prætorioque jus suum obtinere possunt;* post pauca *judicibus præscribens, qua ratione juri dicundo operam dare teneantur* ex Es. I. 17. & Psal. X. 17. quæ nimis coacta est explicatio. Est namque hic sermo de justitia, quâ in conspectu DEI justi comparere queamus, intuitu justitiæ Christi, per fidem applicandæ. Si deinde secundariò de studio justitiæ, quæ jus suum unicuique tribuit, quoque agi quis contendat, videtur tolerari posse.

§. 6. Quæst. 38. p. 239. V. comparet: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam con-*

consequuntur; atque quæst. 39. hâc doceri as-ferit: *Beatos esse homines, qui officia misericordiæ & humanitatis præstant.* Hinc quæst. 40. ostendit: *Officia misericordiæ esse duplicia: alia ad corpus, alia ad animam spectare*, ex Theophyl. in cap. 25. Matth. p. 112.

§. 7. Qu. 41. pag. 240. *Tradit esse septem officia, quæ ad corpus pertinent.* (1.) *Esurienti cibus dandus, ex bonis justè acquisitis*, ex Mat. XXV. 35. & Prov. III. 9. *Eleemosynam autem dandam, non tantum mendicis & qui in valetudinariis jacent: sed & iis qui præ verecundia stipem corrogare nequeunt. Cavendum denique, ne inde laus quæratur*, Mat. VI. 2.

§. 8. Qu. 42. p. 241. (II.) *Opus misericordiæ, ut potum sitienti præbeat; & vel unico gelidæ aquæ haustu, hanc aliquem consecuturum Beatitiudinem* ex Marc. IX. 41. *& huic officio includi omnia officia pauperibus præstanda affirmat*; quod gratis dicitur, cum in antecedentibus & sequentibus, ex his peculiare genus officiorum constituat. Nam quæst. 43. (III.) *Opus Misericordiæ, ut nudos vestiat:* annon hoc opus pauperibus exhibendum? *Vult autem non tantum planè nudis, sed & tenuiter vestitis succurrendum*, ex Matth. XXV. 36. Quæst. 44. (IV.) opus: *Ut carceri mancipatos, cujuscunque delicti reos visitet, ne in desperationem ruant. ex loc. cit.*

§. 9. Quæst. 45. pag. 244. (V.) *Infirmos, etiam ignotos, visum eat:* ubi *quâ ra-*

ratione ægroti excipiendi explicat satis prolixè & piè. (1.) *Erunt Consolandi.* (2.) *Hortandi ut sine murmuratione, cum gratiarum actione ferant.* (3.) *Autor sit edendæ confessionis & recipiendi mysteria Eucharistiæ & Olei consecrati.* Hujus usus cum præter Scripturam introductus, tutò negligitur, uti *Exerc. part. 1. Sect. 2. c. 25. p. 243.* docuimus, superstitionem quoque redolet, quod huic vis sanitatem restituendi tribuitur. (4.) *Preces ipse fundat, & publicis Ecclesiæ precibus se commendet; & patrem Spiritualem advocet.* (5.) *Monebit ne in superstitiones, vetitasque ab Ecclesia artes incidat, & valetudinem procuratum eat, magicis carminibus, pactis cum Diabolo &c. plus noxæ quam sanitatis allaturis: Sed in DEO omnem fiduciam reponat.* (6.) *Medicamentorum, à peritis Medicis paratorum usum suadeat.* (7.) *Contagiosa lue infectos, per homines ejusmodi morbos sine noxâ tractare adsuetos erigat.* Hæc si â nobis servarentur, multorum ægrotorum felicior esset conditio, & nos Charitati Christianæ in hoc passu litasse censeri possemus. Quod addit: *Visitationem hanc homines in mundo & cœlo beatos reddere*, ex venenato fonte de O. B. meritis fluxit, & rejiciendum.

§. 10. Quæst. 46. pag. 247. *Sextum officium misericordiæ consistere in eo, ut ædibus peregrinum hilari vultu animoque excipiamus.* Primas quidem defert illis, *qui ex voto loca sancta adeunt:* Sed hi omnium indignissimi sunt

hôc

hôc beneficio, cum sic superstitionem illorum alamus, & peccatorum ipsorum complices reddamur. Quod subdit: *speciatim illos, qui in plateis ægroti jacent, aut in viis mendicant esse in ædes conducendos*, calculum meretur candidum: cui tamen monito, inter nos quam pauci sunt, qui optemperant?

§. 11. Quæst. 47. *Septimum opus misericordiæ, ut mortuos quis sepeliat: pauperes inprimis; conferat quæ sepulturæ necessaria, secundum piam Christianorum consuetudinem*, ex Tob. c. II. *ubi propinquus excessit cum comitatu orthodoxorum piorumque hominum, id officii impleri rite affirmat.* Consilium *orandi pro animâ demortui*, commune habet cum Pontificiis, quorum ut & conjugis Reginæ, Romanis Sacris addictæ, suggestionibus abreptus JOHANNES III. Rex Sueciæ, & pietate & eruditione clarissimus, hanc consuetudinem orandi pro mortuis, in Ecclesias nostras reductnm ivit. vid. *Bazius in Hist. E. L. 3. c. 13. pag. 365.* ubi Dn. *Laurentio Petri, Gotho* in Arhiepiscopum electo 17. articuli, ante confirmationem sui officii adprobandi, â Secretario propositi, quorum 11. de oratione pro mortuis in sepulturâ eorum publicè recitanda agens, non minus ac reliqui omnes, ad postliminio introducendas abominationes papales, comparatus; verum Ecclesiæ Doctoribus, licet ipsimet Archi-Episcopi *Laurentius Petri Gothus* & *Andreas*, & plurimi Regi assen-

.rentur, sese objicientibus, conatus in fumos abiit. Vid. *Baz. l. 1. c. 65.* & Reverendiss. *D. Paulini Hist. Arct. L. 3. p. 308.* Cujus Monarchæ lapsu, discant Principes sapere, nec alienæ religionis thori sociam facilè adsciscant, nec Jesuitarum blanditiis aures præbeant.

§. 12. Nunc progrediuntur Confessores ad enumeranda officia misericordiæ, quæ animam respiciunt, quæ quæst. 48. pag. 249. *Septem esse statuunt.* Primum quidem *ut peccatorem à peccato dehortemur.* ex Jac. V. v. 19. Observandum, *hoc ita debere fieri*, ne (1.) *in desperationem adducatur*, vel (2.) *ad nimiam divinæ misericordiæ fiduciam.* Hæc fiducia si verbo DEI nixa, nimia esse non potest. Sin minus, nec tum nimia, sed Pharisaica, adeoque nulla. Erit itaque intelligendus hic locus, de vanâ & nullo fulcimine nixa præsumtione. Addit, quod *si quis impar huic officio obeundo, alius quærendus.* Quæst. 49. pag. 252. Secundum *officium in eo consistere dicit* [1.] *ut indoctum ad pietatem instruat, vel peritiorem substituat.* [2.] *Addoceat modum bene orandi*; [3.] *modum facilimè servandi mandata divina.* [4.] *Instituat pueros parentibus orbos, qui postea Ecclesiæ & Reipublicæ emolumento sint*, [5.] *quod qui negligit, talenti rationem reddet*, Matth. XXV. v. 30.

§. 13. Quæst. 50. pag. 252. Tertium (1.) *Consilium rectum det illi, cui opus est; & qua ratione hoc fit exponit.* (2.) *Insidias in caput ipsius* *com-*

temparatas detegat. Sic tamen, ne inter ejusmodi homines, capitaliora odia gravioraque pericula inde existant. Quæst. 51. pag. 254. Quartum: *Ut DEUM pro proximo oret: quod præcipuè Presbyterorum est:* deinde etiam *secularium;* de quo in sexto præcepto Ecclesiastico dictum.

§. 14. Quæst. 52. Quintum: *ut mæstum consolemur: Nec illi causam mœroris demus.* Rom. XII. 18. *quò majori calamitate oppressi, eò majori studio erigendi.* Quæst. 53. Sextum: *ut injurias æquo perferamus animo: maximè si pro Christo perferendæ:* ex 1. Petr. II. 21. (2.) *Nec malè illis cupiamus qui nos vexant,* ex 1. Pet. III. 9. (3.) *DEO gratias agamus, & ut inimicis ignoscat oremus.* Quæst. 54. pag. 256. Septimum: *Ut delicta in nos, aliis libenter condonemus, idque non semel, sed vel septies vel septugies,* ex Matth. XVIII. 22.

§. 15. Nunc redit ad *Sextam beatitudinem explicandam,* quæ quæst. 55. pag. 257. sic exprimitur: *Beati mundi corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Huic autem quæst. 56. sequentia lucem affundunt: *Castitatem commendari. Castum ac continentem esse debere, tum corpore, tum animo, tum omnibus cogitationibus, qui DEUM videre desiderat. Impuras autem cogitationes, divinæ gratiæ præsentiam ex animâ expellere.* Sed hæc munditia sanguine Christi comparata, fide excipienda.

§. 16. Quæst. 57. pag. 258. *Septima beati-*

titudo sic habet: *Beati pacifici, quoniam ipsi filii DEI nominabuntur*; quæ quæst. 58. dicitur docere: (1.) *Præmium bujus beatitudinis auferre, qui quotidie incruenta sacrificia offerunt.* Qualia Sacrificia cum vera Ecclesia ignoret, quid de hac assertione statuendum, per se evidens est, & nos *Exerc. part. I. Sect. 2. cap. 26.* §. 7. *pag.* 247. breviter indicavimus. (2.) *qui dissidia hominum tollunt & eos reconciliant sibi invicem*; (3.) *qui Consiliis causas bellorum sistunt, ne effusiones sanguinis existant:* quorum operâ hoc tempore indigemus, quam quo maximè.

§. 7. Quæst. 59. *Octava beatituduo* consistit in hoc: *Beati qui persecutionem justitiæ causa sustinent, illorum enim est regnum cælorum.* Ad quæst. 60. *quidnam docet hæc beatitudo?* Resp. *Beatitudinem hanc illorum propriam esse, qui veritatem intrepidè eloquuntur, hominumque improborum scelera atque pravitatem graviter coarguunt; quâ ex re usque adeò multum invidiæ offensionisque colligere solent, ut persæpè morte ipsâ multentur, quod Johannes Baptista ab Herode perpessus est,* Matth. XIV. 10. *itemque alii: quo in numero omnes Ecclesiæ Doctores, pracones Evangelii Confessoresque continentur, qui ob veram doctrinam ac salutarem institutionem suam, sæpenumero à discipulis auditoribusque suis, mera odia, ingratique animi mercedem reportant.*

§. 18. Quæst. 61. p. 261. *Nomen Beatitudinem* hæc absolvunt: *Beati estis cum probra in vos homines conjecerint, & persequuti fuerint,*

&

& dixerint omne malum verbum adversus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam multa est merces vestra in cœlis. Et quæst. 62. docet: *Hâc Beatitudine frui Apostolos, Martyres, eosque omnes, qui persecutione ob Orthodoxam & Catholicam fidem premuntur, quique insectationes vexationesque sufferunt, facultatibus, honoribus, reditibus exuuntur, ejiciuntur in exilium, domique etiam crudeliter ê medio tolluntur, fuso ipsorum cruore.*

§. 19. Quæst. 63. p. 262. quærit, *quam sententiam convenit habere de operibus hisce, quibus beatitudinis præmium propositum est?* Respondens: (1) *Esse connexa: ut qui unâ penitus destituitur, destituatur item cæteris omnibus.* (2) Illos *qui ea præstant, non solum in cœlo fruendam habere beatitudinem; verum etiam in hâc vita ex gratia divina,* (quod si ad utrumque membrum retuleris, veritati consona est sententia) *uberem bonorum temporalium fructum percepturos,* ex Matth. XIX, 29. & Marc. X, 29. 30. *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros meâ & Evangelii causa, quin recipiat centuplicia, nunc in hoc tempore domos, & fratres & sorores & matrem, & liberos, & agros, cum persecutionibus, & in seculo venturo vitam æternam.*

CAP.



CAP. III.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis

PARS. III.

De Charitate in DEUM & proximum: in specie *de Virtutibus.*

§. 1.

QUæst. 1. pag. 264. traditur: *Tertiam Confessionis partem agere de Charitate in DEUM & proximum, quam Decalogus complectitur;* quod autem subdit: *quod JEsus Decalogi authoritatem denuo sanxerit, ejusque doctrinam plenius perfectiusque adstruxerit,* ex Matth. V. 19. si dextrè accipiatur, verum est. Non quod nova præcepta legi adjecerit, uti *Pontificii, Sociniani* & alii contendunt: Sed quod â Christianis perfectiorem obedientiam requirat: cum & majori luce illi sint collustrati, & uberiori Spiritus Sancti donorum effusione sint beati. De quâ obligatione etiam in primâ Parte monuit *Confessio. Vid. Exercitat. nost. Part. II. c. 10. §. 5. p. 21.*

§. 2. Quæst. 2. p. 265. præmittit (1.) *Præcepta DEI alia mandare bona, alia probibere mala* (2.) *ad rectè intelligendum præcepta, primum*

mum cognoscendum quid bonum, quid malum sit; sic reddit rationem tractationis. (3.) Se primo de *Virtutibus ac Vitiis*; postea de *Decem Praeceptis* dicturum promittit. Verum inverso ordine procedit tractatio. Neque enim nobis constare potest, quæ inter bonum & malum sit differentia, nisi actiones nostras ad regulam legis divinæ examinaverimus: de præceptis itaque priori loco fuisset agendum. Consentientes nobis habemus Pontificios, in Catechesi vulgari Græcâ & Armenâ, Decalogi expositionem præmittentes doctrinæ de virtutibus. Sed nos legamus vestigia Confessionis.

§. 3. Quæst. 3. quærit: *quid de Virtutibus seu B. O. sentiendum?* Subjiciens hanc responsionem: *Esse fructus ex Fide velut bonâ arbore nascentes*, Matth. VII. 16. & Joh. XIII. 35. & in 1. Epist. II. 3. addens hanc descriptionem: *Bona opera esse impletionem* (potius *observationem* dicendum) *praeceptorum DEI, quae quis libenter exsequitur, divinis auxiliis adjutus, concurrente item humano intellectu, cum propria ejusdem voluntate*, (adde regenitâ) *eaque ab amore DEI proximique oriri ac proficisci, quando ab omni earum rerum impeditione homo liber, quae veri impedimenti nomine venire possunt.*

§. 4. Quæst. 4. p. 267. *Christianorum virtutum maximè necessaria dicuntur:* Fides, Spes, Charitas. 1. Cor. XIII. 13. *de prioribus jam actum: de hac in praesens agendum.* Quæst. 5

pag

pag. 267. Docet ex his *oriri tres alias virtutes: Orationem, Jejunium, Elemosynam:* quibus abusive tribuitur nomen virtutis. Quæst. 6. indicat, *de Oratione, actum esse in part. 2. Confess.* & quæst. 7. explicat *quid sit jejunium* sc. *quantum in numero virtutum Christianarum habietur: Esse abstinentiam ab esculentis omnibus aut saltem quibusdam, puta, si moribus urgeat.* Similiter & *à potulentis, rebusque mundi omnibus & ab omnibus pravis cupiditatibus, ut tanto expeditius tranquilliusque precibus suis incumbere, DEUMque placare homo Christianus possit. Tum ut cupiditates corporeas perimat & exscindat, Deique gratiam recuperet,* ex 2. Cor. VI, 4. seq. Joël: II, 15. & 16. *valere ad DEUM propitiandum, sicut in Urbe Ninivitarum.* Sic quo fine suscipiendum indicat. Sunt hic mala mixta bonis: & quemadmodum jejunia ad promovendam devotionem, & corpus castigandum non inutilia censemus; ita eadem DEUM placare, & nos ejus gratiæ participes reddere posse pernegamus. *Vid. Part. I. Exerc. nost. Sect. I. c.* 15. §. 6. *pag.* 144. *& Sect. II. cap.* 22. §. 4. *p.* 233. Nec jejunium morbi causa susceptum, huc referendum.

§. 5. Quæst. 8. p. 270. *Duplex statuit jejunium, aliud quod statis temporibus fit, ut 4. jejunia anniversaria & hebdomadaria diei quarti sextique: aliud fortuitum, quod casu semel contingit, ob causas in certis Ecclesiis ac provinciis existentes, & à summo Antistite Ecclesia indicatur,*

ut

ut obsequium Ecclesiæ præstetur diligenter servandum; aliud esse commune quod universa observat Ecclesia; aliud proprium, quod peculiaris provincia vel privatus tenet, vel quod à Confessore injunctum: quæ omnia superstitiosæ opinioni de satisfactione pro peccatis debent originem; meritò ex Ecclesia eliminanda.

§. 6. Quæst. 9. p. 271. Statuit: *Eleemosynam esse opus misericordiæ, quando quis beneficium in animam* (hujus generis beneficia abusivè Elemosyna dicuntur) *aut corpusculum cujusdam, cui eo beneficio opus sit, confert, non habitâ ratione hominis illius qui Eleemosynæ illius indigus est.* Vult dicere: dignus ne an indignus sit. *Esse* (1.) *homini Christiano maximè necessariam virtutem*, quod probat ex Tob. XII. 9. quem S. Scripturæ libris perperam annumerat, cum sit extra canonem. Quod sententiam Tobiæ concernit, non video, quomodo conciliari queat cum aliis Sacræ Scripturæ locis; nam dum dicit: quod *Eleemosyna à morte liberat*; à veritate omnino abit. Cum asserit *expiare peccatum*, illi tribuit, quod merito Christi unicè tribuit Spiritus Sanctus. Confessio felicius longè adduxisset Psal. XLI. v. 1. 2. 3. 4. Ex Novo Testamento adducit Mat. XIX. 21. & XXV. 40. & 34. Not. (a) quod thesaurus pro gratuito dono accipiendus: (b) nec indicatur, quare hæreditatem adituri, sed qui eâ gavisuri. (2.) *Eleemosynam jejunio conjunctam orationem DEO acceptam reddere*, ex Actor. X. 4. utcunque co-

natur probare. Sed nihil eam verè gratam reddit, præter fidem Sanguini Christi innixam. Tandem (3.) *hanc virtutem omnia misericordiæ officia complecti*, gratis asseritur, cum potior pars eo referri nequeat.

§. 7. Quæst. 10. pag. 273. *Ex istis tribus, quatuor Virtutes generales oriri affirmat*, ut sunt: *Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.* Quæst. 11. *Prudentiam Christianam esse solicitudinem circumspectam, ne DEUM proximumve ullâ sive actione, sive cogitatione offendamus*, Mat. X. 16. Hæc uberius exponentem, adducit Paulum Eph. V. 15. *Eam fundari ait in munditiâ & germanâ cordis simplicitate, in omni honestate & æquitate ac judicio, ne hostes nobis imponant.*

§. 8. Quæst. 12. pag. 274. *Quid Justitia sit ita exponit: Esse virtutem suum ac debitum cuique tribuens; idque sine respectu personarum, seu pecuniam seu existimationem concernat. Christiana autem justitia non modo malum bono compensat, sed nec permittit, ut malè de nobis merito malè velimus.* Rom. XII. 17. & Rom. XIII. 7. Quæst. 13. p. 275. Disquirit: *an judices peccent in sontes animadvertendo?* Resp. *non peccare*, ex Rom. XIII. 3.

§. 9. Quæst. 14. p. 276. *Temperantia dicitur mediocritas servata in cibo ac potu, ac vestitu* Cum addit: *item in dictis factisque omnibus*, impropriè valdè loquitur. Hujus enim objectum non sunt dicta vel facta. Rom. XIII. 13. in ejus commendationem adducit. Locus. 1. Cor. XIV. 40. huc non esset trahendus.

§. 10

§. 10. Quæst. 15. p. 277. *Fortitudinem, ut Christiana virtus consideratam, esse constans animi robur ad sustinendas procellas ab invisibili æquè ac visibili hoste excitatas*, ex Rom. VIII. 35. 38. *ubi eam constantiam describi indicat:* de quâ se in superioribus quoque egisse monet. Eandem de virtutum harum origine & indole sententiam fovent, Catecheses Pontificiorum vulgaris Græca & Armena, quibus præfero Confessionem, sua ex Sacra Scriptura vel probantem, vel probare conantem, quod Pontificiæ Catecheses adductæ non faciunt.

CAPUT IV.

De peccato in genere & in specie.

§. 1.

QUæst. 16. p. 278. In peccati indolem inquirens dicit: *nullam per se existentiam habere, cum non sit creatum; inde esse quod explicari nequeat quid sit; non absurde dici: Esse infrenatam indomitamque hominis ac Diaboli voluntatem.* Hæc duo, causa potius peccati dicenda, quam ipsum peccatum. Dein docet: *Esse iniquitatem*, ex 1. Johan. III, 4. seu *transgressionem Legis Divinæ*, quæ est *contrarietas voluntati DEI repugnans, profecta ex animi sensu & deliberato consilio.* Quo ipsa restringit descriptionem ad certum peccati genus; vel cum Pontificiis unum inflat cornu. His enim

arentur, sese objicientibus, conatus in fumos abiit. Vid. *Baz. l. 1. c. 65.* & Reverendiss. *D. Paulini Hist. Arct. L. 3. p.* 308. Cujus Monarchæ lapsu, discant Principes sapere, nec alienæ religionis thori sociam facilè adsciscant, nec Jesuitarum blanditiis aures præbeant.

§. 12. Nunc progrediuntur Confessores ad enumeranda officia misericordiæ, quæ animam respiciunt, quæ quæst. 48. pag. 249. *Septem esse statuunt.* Primum quidem *ut peccatorem à peccato dehortemur.* ex Jac. V. v. 19. Observandum, *hoc ita debere fieri*, ne (1.) *in desperationem adducatur*, vel (2.) *ad nimiam divinæ misericordiæ fiduciam.* Hæc fiducia si verbo DEI nixa, nimia esse non potest. Sin minus, nec tum nimia, sed Pharisaica, adeoque nulla. Erit itaque intelligendus hic locus, de vanâ & nullo fulcimine nixa præsumtione. Addit, quod *si quis impar huic officio obeundo, alius quærendus.* Quæst. 49. pag. 252. Secundum *officium in eo consistere dicit* [1.] *ut indoctum ad pietatem instruat, vel peritiorem substituat.* [2.] *Addoceat modum bene orandi*; [3.] *modum facilimè servandi mandata divina.* [4.] *Instituat pueros parentibus orbos, qui postea Ecclesiæ & Reipublicæ emolumento sint*, [5.] *quod qui negligit, talenti rationem reddet*, Matth. XXV. v. 30.

§. 13. Quæst. 50. pag. 252. Tertium (1.) *Consilium rectum det illi, cui opus est; & qua ratione hoc fit exponit.* (2.) *Insidias in caput ipsius com-*

comparatas detegat. Sic tamen, ne inter ejusmodi homines, capitaliora odia gravioraque pericula inde exiſtant. Quæſt. 51. pag. 254. Quartum: *Ut DEUM pro proximo oret: quod præcipuè Presbyterorum eſt:* deinde etiam *ſecularium*; de quo in ſexto præcepto Eccleſiaſtico dictum.

§. 14. Quæſt. 52. Quintum: *ut mœſtum conſolemur: Nec illi cauſam mœroris demus.* Rom. XII. 18. *quò majori calamitate oppreſſi, eò majori ſtudio erigendi.* Quæſt. 53. Sextum: *ut injurias æquo perferamus animo: maximè ſi pro Chriſto perferendæ:* ex 1. Petr. II. 21. (2.) *Nec malè illis cupiamus qui nos vexant*, ex 1. Pet. III. 9. (3.) *DEO gratias agamus, & ut inimicis ignoſcat oremus.* Quæſt. 54. pag. 256. Septimum: *Ut delicta in nos, aliis libenter condonemus, idque non ſemel, ſed vel ſepties vel ſeptuagies*, ex Matth. XVIII. 22.

§. 15. Nunc redit ad *Sextam beatitudinem explicandam*, quæ quæſt. 55. pag. 257. ſic exprimitur: *Beati mundi corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.* Huic autem quæſt. 56. ſequentia lucem affundunt: *Caſtitatem commendari. Caſtum ac continentem eſſe debere, tum corpore, tum animo, tum omnibus cogitationibus, qui DEUM videre deſiderat. Impuras autem cogitationes, divinæ gratiæ præſentiam ex animâ expellere.* Sed hæc munditia ſanguine Chriſti comparata, fide excipienda.

§. 16. Quæſt. 57. pag. 258. *Septima beati-*

& dixerint omne malum verbum adversus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam multa est merces vestra in cœlis. Et quæst. 62. docet: *Hâc Beatitudine frui Apostolos, Martyres, eosque omnes, qui persecutione ob Orthodoxam & Catholicam fidem premuntur, quique insectationes vexationesque sufferunt, facultatibus, honoribus, reditibus exuuntur, ejiciuntur in exilium, domique etiam crudeliter è medio tolluntur, fuso ipsorum cruore.*

§. 19. Quæst. 63. p. 262. quærit, *quam sententiam convenit habere de operibus hisce, quibus beatitudinis præmium propositum est?* Respondens: (1) *Esse connexa: ut qui unâ penitus destituitur, destituatur item cæteris omnibus.* (2) Illos *qui ea præstant, non solum in cœlo fruendam habere beatitudinem; verum etiam in hâc vita ex gratia divina,* (quod si ad utrumque membrum retuleris, veritati consona est sententia) *uberem bonorum temporalium fructum percepturos,* ex Matth. XIX, 29. & Marc. X, 29. 30. *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros meâ & Evangelii causa, quin recipiat centuplicia, nunc in hoc tempore domos, & fratres & sorores & matrem, & liberos, & agros, cum persecutionibus, & in seculo venturo vitam æternam.*

CAP.



CAP. III.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis PARS. III.

De Charitate in DEUM & proximum: in specie *de Virtutibus.*

§. 1.

QUæst. 1. pag. 264. traditur: *Tertiam Confessionis partem agere de Charitate in DEUM & proximum, quam Decalogus complectitur;* quod autem subdit: *quod JEsus Decalogi authoritatem denuo sanxerit, ejusque doctrinam plenius perfectiusque adstruxerit,* ex Matth. V. 19. si dextrè accipiatur, verum est. Non quod nova præcepta legi adjecerit, uti *Pontificii, Sociniani* & alii contendunt: Sed quod â Christianis perfectiorem obedientiam requirat: cum & majori luce illi sint collustrati, & uberiori Spiritus Sancti donorum effusione sint beati. De quâ obligatione etiam in primâ Parte monuit *Confessio. Vid. Exercitat. nost. Part. II. c. 10. §. 5. p. 21.*

§. 2. Quæst. 2. p. 265. præmittit (1.) *Præcepta DEI alia mandare bona, alia prohibere mala* (2.) *ad rectè intelligendum præcepta, primum*

mum cognoſcendum quid bonum, quid malum ſit; ſic reddit rationem tractationis. (3.) Se primo de *Virtutibus ac Vitiis*; poſtea de *Decem Præceptis* dicturum promittit. Verum inverſo ordine procedit tractatio. Neque enim nobis conſtare poteſt, quæ inter bonum & malum ſit differentia, niſi actiones noſtras ad regulam legis divinæ examinaverimus: de præceptis itaque priori loco fuiſſet agendum. Conſentientes nobis habemus Pontificios, in Catecheſi vulgari Græcâ & Armenâ, Decalogi expoſitionem præmittentes doctrinæ de virtutibus. Sed nos legamus veſtigia Confeſſionis.

§. 3. Quæſt. 3. quærit: *quid de Virtutibus ſeu B. O. ſentiendum?* Subjiciens hanc reſponſionem: *Eſſe fructus ex Fide velut bonâ arbore naſcentes*, Matth. VII. 16. & Joh. XIII. 35. & in 1. Epiſt. II. 3. addens hanc deſcriptionem: *Bona opera eſſe impletionem* (potius *obſervationem* dicendum) *præceptorum DEI, quæ quis libenter exſequitur, divinis auxiliis adjutus, concurrente item humano intellectu, cum propria ejusdem voluntate*, (adde regenitâ) *eaque ab amore DEI proximique oriri ac proficiſci, quando ab omni earum rerum impeditione homo liber, quæ veri impedimenti nomine venire poſſunt.*

§. 4. Quæſt. 4. p. 267. *Chriſtianorum virtutum maximè neceſſaria dicuntur:* Fides, Spes, Charitas. 1. Cor. XIII. 13. *de prioribus jam actum: de hac in præſens agendum.* Quæſt. 5

pag

pag. 267. Docet ex his *oriri tres alias virtutes: Orationem, Jejunium, Elemosynam:* quibus abusive tribuitur nomen virtutis. Quæst. 6. indicat, *de Oratione, actum esse in part. 2. Confess.* & quæst. 7. explicat *quid sit jejunium* sc. *quantum in numero virtutum Christianarum habetur: Esse abstinentiam ab esculentis omnibus aut saltem quibusdam, puta, si moribus urgeat.* Similiter & *à potulentis, rebusque mundi omnibus & ab omnibus pravis cupiditatibus, ut tanto expeditius tranquilliusque precibus suis incumbere, DEUMque placare homo Christianus possit. Tum ut cupiditates corporeas perimat & exscindat, Deique gratiam recuperet,* ex 2. Cor. VI, 4. seq. Joël: II, 15. & 16. *valere ad DEUM propitiandum, sicut in Urbe Ninivitarum.* Sic quo fine suscipiendum indicat. Sunt hic mala mixta bonis; & quemadmodum jejunia ad promovendam devotionem, & corpus castigandum non inutilia censemus; ita eadem DEUM placare, & nos ejus gratiæ participes reddere posse pernegamus. *Vid. Part. I. Exerc. nost. Sect. I. c. 15. §. 6. pag. 144. & Sect. II. cap. 22. §. 4. p. 233.* Nec jejunium morbi causa susceptum, huc referendum.

§. 5. Quæst. 8. p. 270. *Duplex statuit jejunium, aliud quod statis temporibus fit, ut 4. jejunia anniversaria & hebdomadaria diei quarti sextique: aliud fortuitum, quod casu semel contingit, ob causas in certis Ecclesiis ac provinciis existentes, & à summo Antistite Ecclesia indicatur,*

ut

ut obsequium Ecclesiæ præstetur diligenter servandum; aliud esse commune quod universa observat Ecclesia; aliud proprium, quod peculiaris provincia vel privatus tenet, vel quod à Confessore injunctum: quæ omnia superstitiosæ opinioni de satisfactione pro peccatis debent originem; meritò ex Ecclesia eliminanda.

§. 6. Quæst. 9. p. 271. Statuit: *Eleemosynam esse opus misericordiæ, quando quis beneficium in animam* (hujus generis beneficia abusivè Elemosyna dicuntur) *aut corpusculum cujusdam, cui eo beneficio opus sit, confert, non habitâ ratione hominis illius qui Eleemosynæ illius indigus est.* Vult dicere: dignus ne an indignus sit. *Esse* (1.) *homini Christiano maximè necessariam virtutem*, quod probat ex Tob. XII. 9. quem S. Scripturæ libris perperam annumerat, cum sit extra canonem. Quod sententiam Tobiæ concernit, non video, quomodo conciliari queat cum aliis Sacræ Scripturæ locis; nam dum dicit: quod *Eleemosyna à morte liberat*; â veritate omnino abit. Cum asserit *expiare peccatum*, illi tribuit, quod merito Christi unicè tribuit Spiritus Sanctus. Confessio felicius longè adduxisset Psal. XLI. v. 1. 2. 3. 4. Ex Novo Testamento adducit Mat. XIX. 21. & XXV. 40. & 34. Not. (a) quod thesaurus pro gratuito dono accipiendus: (b) nec indicatur, quare hæreditatem adituri, sed qui eâ gavisuri. (2.) *Eleemosynam jejunio conjunctam orationem DEO acceptam reddere*, ex Actor. X. 4. utcunque co-

V natur

natur probare. Sed nihil eam verè gratam reddit, præter fidem Sanguini Christi innixam. Tandem (3.) *hanc virtutem omnia misericordiæ officia complecti*, gratis asseritur, cum potior pars eo referri nequeat.

§. 7. Quæst. 10. pag. 273. *Ex istis tribus, quatuor Virtutes generales oriri affirmat*, ut sunt: *Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.* Quæst. 11. *Prudentiam Christianam esse solicitudinem circumspectam, ne DEUM proximumve ullâ sive actione, sive cogitatione offendamus*, Mat. X. 16. Hæc uberius exponentem, adducit Paulum Eph. V. 15. *Eam fundari ait in munditiâ & germanâ cordis simplicitate, in omni honestate & æquitate ac judicio, ne hostes nobis imponant.*

§. 8. Quæst. 12. pag. 274. *Quid Justitia sit ita exponit: Esse virtutem suum ac debitum cuique tribuens; idque sine respectu personarum, seu pecuniam seu existimationem concernat. Christiana autem justitia non modo malum bono compensat, sed nec permittit, ut malè de nobis merito malè velimus.* Rom. XII. 17. & Rom. XIII. 7. Quæst. 13. p. 275. Disquirit: *an judices peccent in sontes animadvertendo?* Resp. *non peccare*, ex Rom. XIII. 3.

§. 9. Quæst. 14. p. 276. *Temperantia dicitur mediocritas servata in cibo ac potu, ac vestitu.* Cum addit: *item in dictis factisque omnibus*, impropriè valdè loquitur. Hujus enim objectum non sunt dicta vel facta. Rom. XIII. 13. in ejus commendationem adducit. Locus. 1. Cor. XIV. 40. huc non esset trahendus.

§. 10

§. 10. Quæst. 15. p. 277. *Fortitudinem, ut Christiana virtus consideratam, esse constans animi robur ad sustinendas procellas ab invisibili aquè ac visibili hoste excitatas*, ex Rom. VIII. 35. 38. *ubi eam constantiam describi indicat:* de quâ se in superioribus quoque egisse monet. Eandem de virtutum harum origine & indole sententiam fovent, Catecheses Pontificiorum vulgaris Græca & Armena, quibus præfero Confessionem, sua ex Sacra Scriptura vel probantem, vel probare conantem, quod Pontificiæ Catecheses adductæ non faciunt.

CAPUT IV.

De peccato in genere & in specie.

§. 1.

QUæst. 16. p. 278. In peccati indolem inquirens dicit: *nullam per se existentiam habere, cum non sit creatum; inde esse quod explicari nequeat quid sit; non absurde dici: Esse infrenatam indomitamque hominis ac Diaboli voluntatem.* Hæc duo, causa potius peccati dicenda, quam ipsum peccatum. Dein docet: *Esse iniquitatem*, ex 1. Johan. III, 4. seu *transgressionem Legis Divinæ*, quæ est *contrarietas voluntati DEI repugnans, profecta ex animi sensu & deliberato consilio.* Quo ipsa restringit descriptionem ad certum peccati genus; vel cum Pontificiis unum inflat cornu. His enim

nihil poteſt habere rationem peccati, niſi formaliter ſit voluntarium & deliberatò commiſſum. Vid. *Bell. L. 5. de amiſſ. gratia. c. 18. &c.* cum tamen Confeſſio de eo agat in genere. *Ex eo mortem oriri & iram DEI,* ex Jac. I. 15. benè deducit.

§. 2. Quæſt. 17. *Duplex eſſe peccatum: mortale & non mortale,* contendit. Dum autem dicit qu. 18. *mortale eſſe facinus planè vetitum, vel bonum non factum ſponte & pleno arbitrio, unde DEI proximique charitas refrigeratur,* ejus naturam non eſt aſſecuta Confeſſio. Melius eam detexit *D. Laurentius P. Gothus,* tempore *JOHANNIS III. R. S. Archiepiſcopus Upſal.* (Liturgiæ promotor ſummus, cujus & author videri voluit, cum tamen aliis ſuos debuerit natales;) qui in Catecheſi ſuâ Stockholmiæ apud *Torbernum Tidemanni* An. 1576. in 8. edita, (cujus quod nec *Dn. Bazius in Invent. l. 3. c. 66. pag* 503. ubi de libris ſub Regimine dicti Regis agit, nec *Celeb. Dn. Schefferus Suec. Lit. p. 31.* ubi hujus Archiepiſcopi ſcripta recenſet, meminerint, mearum credidi partium illius hic injicere mentionem; quæ utut nævis non careat, laudem tamen meretur,, quod articupim de Juſtificatione, ſalutis proram & puplum, ritè tradiderit) *Lit. A. fol. 7.* rectè nullum peccatum naturâ ſuâ veniale ſtatuit, quod tamen Confeſſio cum Pontificiis ſupponit; peſſimè, uti id evicit *D. Schertz. Brev. Hulſ. enucl. cap. 5. th. 19. pag. 295.* Cum dein dicit ex Rom.

VI.

VI. 23. *nos didicisse eo, quo ipsa existimat, sensu peccatum appellare mortale*, itidem aberrat â vero, cum jam dixerimus omne peccatum naturâ suâ mortale. *Vide Scherz. l. c. th. 13. p.* 298. Hinc constare putamus sequentem assertionem: *nuda vera consensio, per quam peccatum se commissurum quispiam destinat; grave illa quidem animæ vulnus imponit non tamen penitus enecat*; rejiciendam, cum falsissima nitatur hypothesi.

§. 3. Quæst. 19. pag. 280. *Mortale peccatum* dicit aliud esse: *Originale, aliud voluntarium*, & qu. 20. p. 281. De hoc peccato sequentia tradit: *Peccatum Originale*, inquit, *est transgressio Legis DEI, quæ in Paradiso Adamo generis humani authori, verbis* Gen. II. 17. *extantibus data est.* Hoc dicendum fuisset primum, Originans, vel avitum, uti nominatur in Confess. part. 1. quæst. 26. p. 56. Vid. *Exerc. nost. part. 2. cap.* 10. *p.* 202. ex quo deinde *Originale fluxit.* Vid. *D. Schertz l. c. p.* 258. De propagatione hujus peccati dum ita sentit: *Originale hoc peccatum, ab Adamo per universam naturam humanam pervasit; quoniam omnes in Adamo, illo tempore, continebamur; eaque ratione per unum Adamum in omnes permeavit peccatum: Idcirco hâc labe inquinati concipimur omnes ac nascimur*, ex Rom. V. 12. â Socinianis, Weigelianis, Arminianis & Pontificiis, reatum tantum propagari docentibus, se separat, & orthodoxam tuetur sententiam. Subjicens vero, *hoc-*

te hæreditarium peccatum nulla pœnitentiâ exstirpari posse, sed tantummodo ex gratia DEI, per opus redemtionis Domini nostri JESU Christi, in assumta carne confectum, ejusque pretiosi sanguinis profusione, iterum falsâ hypothesi delusi sunt Confessores; omnia enim in universum peccata, gratiâ DEI & ob meritum Christi condonantur: Nulla autem per propriam pœnitentiam satisfactoriam, qualem hæc docuit Confessio, de quâ *Exercit. nost. Sect. 2. cap. 28. p. 252.* Pergit docendo: *id fieri per baptismum*; addens: *quo quisquis non tinctus est; ille nondum ab hoc peccato expiatus est; Sed iræ divinæ æternique supplicii reus manet*, ex Joh. III. 5. Ubi (1) soli Baptismo tribuit, quod fidei è verbi auditu natæ, Rom. X. 17. licet Baptismo destitutæ, Rom. X. 10. quoque competit, sine quâ Baptismus nihil proderit. (2) Baptismi necessitatem facit absolutam; cum summa licet sit, tamen non absoluta, ut sine illo nemo salutem adire queat. Habet namque hic locum dictum *Augustini: Contemtus, non privatio damnat.* (3.) Exstirpari nequit, manente fomite: Sed de Baptismo jam egimus *Exercit. nost. Sect. 2. cap. 24. pag. 239.*

§. 4. Quæst. 21. p. 283. *Peccatum mortale voluntarium* illud esse dicit, *quod nosmet ipsi post susceptum baptismum, maturâ ætate, propriâ voluntate ac sententiâ nostrâ adducti, contra manifestum mandatum divinum, sepositâ Charitate DEI & proximi perpetramus.* Jam supra monui-

nuimus, Confessionem gratis requirere ad reatum peccati actualis, ut sit formaliter & actu secundo voluntarium, si non in causa proxima, ad minimum originaliter & in causâ primâ; vid. *D. Sibertz. l. c. thes. 22. pag.* 300. Non calculum meretur album, *dum maturam requirit ætatem:* nam & infantes & alii, qui infra hanc subsistunt, illud committunt. Effectum hujus peccati, *quod illo gratia divina, quam in Baptismo accepimus, regnique cœlestis jacturam facimus*, Rom. VI. v. 16. ritè designat. *Hoc peccatum pœnitentiâ, DEI misericordiâ, per JEsum Christum Dominum nostrum tolli; quando Sacerdos in Confessione pœnitentem sceleribus suis solvit*, dum asserit; Si non pœnitentiam satisfactoriam, sed verâ contritione & Fide constantem intelligat, rectò incedit tramite. Sed hujusmodi pœnitentia ipsi ferè est incognita; nam quamquam fidei occurrat mentio, in doctrina de pœnitentia, non tamen ipsi notat fiduciam Christi merito acquiescentem; sed notitiam doctrinæ & assensum, prout ex tota Confessione patet: & in illâ pœnitentia omnia spectant meritum & satisfactionem propriam, uti dictum *Exercit. nostr. Sect. 2. c. 28. p. 252.*

§. 5. Quæst. 22. p. 284. *Peccatum voluntarium mortale Trifariam dividit.* In (1.) classe ponens *generaliora, de quibus alia subnascuntur.* In (2.) classe, *quæ in Spiritum Sanctum committuntur.* In (3.) *quæ frequentius vindictam divinam in hoc mundo efflagitant.*

V 4 §. 6.

§. 6. Quæst. 23. p. 284. *Generaliora* enumerat, ut sunt: *Superbia, Avaritia Scortatio, Invidia, Helluatio, Vindicta cupiditas, Socordia.*

§. 7. Qu. 24. p. 285. *Superbia*, inquit, *est inordinata & injusta gloriæ suæ ambitio, ut super alios, sibi æquales, quâ jure, quâ injuria emineat. Hoc peccatum omnium primum fuisse, quod in Lucifero exoriebatur, ex quo cætera omnia promanarint*, ex Prov. VIII. 13. & Sirac. X. 7. *Huic contrariam Humilitatem* commendat *verbis Christi*, Mat. XI. 29. Qu. 25. Recenset *peccata quæ ex hôc peccato oriuntur: suspiciones temerariæ, Ecclesiasticorum aut secularium condemnationes, inobedientia, jactantia, hypocrisis, libido altercandi, pervicacia, dissensiones, intempestiva curiositas, arrogantia, neglectio præceptorum DEI & his similia.* Remedium suggerit (1.) ex Gen. III. 19. *Terra es, & in terram reverteris.* (2.) *ex memoria judicii extremi.* (3.) *Supplicii æterni.* (4.) Verbis Jac. IV. v. 6. & 1. Pet. V. 5. *quod DEUS resistit superbis, humilibus autem gratiam impertit.*

§. 8. Quæst. 26. docet: *Avaritiam esse opum effrenatam cupiditatem, & de eâ agi* Prov. XXVIII. 16. 2. Petr. II. 14. *Virtus opposita est Liberalitas*, de quâ Psal. CXII. 9. ubi *Eleemosyna*, certa liberalitatis species, tantum commendatur. Quæst. 27. p. 288. dicit, quod ex *Avaritia* fluant: *rapina, cædes, fraudes, mendacia, rebellio, vis, crudelitas, immisericordia, inhumani-*

nitas, durities animi, invidia, perfidia, injuria in pauperes aliosque, nimia tenacitas, furtum & quæ his sunt finitima. Remedium erit (1.) *Memoria paupertatis Christi.* Matth. VIII. 20. (2.) *Considератio quod sit œconomus, non Dominus rerum.* (3.) *Rationem reddendam œconomiæ.*

§. 9. Quæst. 28. pag. 289. *Scortatio* dicitur, *fœda & flagitiosa carnis libido; DEI præcepto repugnans, quæ in proprium hominis corpus committitur*, ex 1. Cor. VI. 18. *Eo magis execranda, quod membra Christi conspurcet*, 1. Cor. VI. 15. Scortatio cum hic inter peccata mortalia recenseatur, censemus erraſſe omnes, vel ex sententia vulgi locutos, qui tradunt ipsis non esse mortale: vel alia Russis olim fuerit mens. *Huic opposita est Temperantia.* Qu. 29. p. 290. Ex *Scortatione* fluunt: *Excæcatio animi, odium rerum divinarum, impietas, invidia, desperatio, profusa luxuries, pigritia, inimicitia & similia:* quam *evitabit* quisquis cogitaverit, *DEUM tantum in casto habitare pectore.* Unde Psaltes orat: Psal. LI. 12. *Cor mundum crea in me, ô DEUS.*

§. 10. Quæst. 32. p. 292. *Helluatio* describitur, *quod sit nimia cibi potusque ingurgitatio, quæ præter communem consuetudinem fit, de quâ* Luc. XXI. 34. & Rom. XIII. 13. Ex *quâ* qu. 33. p. 293. *proveniunt stupra, socordia, pigritia in negotio pietatis, cupiditates lasciva, joci risusque indecori, insolens sui amor, aliorum despicatio, probra, rixa, mores barbari, morbi capitales,*

profusa luxuria, & id genus alia. Opposita est Sobrietas & *læta frugalitas*, de quâ 1. Cor. XVI. 40. directè non agitur.

§. 11. Quæst. 34. p. 294. *Vindicta studium est inflammata quædam cupiditas, quâ ad ultionem de eo qui læserat, sive læsisse videtur, sumendam, homo iratus exardescit*, de quâ Jac. I. 19. Eph. IV. 31. *Cui* qu. 35. *Natales debent: studium contentionis, invidentia, cædes, delirationes, ultiones, damna & his gemina.* Opposita est *Patientia*, de quâ Ebr. X. 36.

§. 12. Quæst. 36. p. 295. *Socordia est frigus & negligentia in procuranda æterna animæ salute: unde cum gemitu & stomacho fit, quicquid boni agendum. de quâ* Ebr. VI. 12. & Mat. XXV. 26. 30. Qu. 31. p. 296. *Huic debent originem: Dissolutio, prætextus peccandi, scandalum, vita voluptuaria, insolentia & his affinia. Huic* opponit; *Attentionem, ad quam Christus hortatur.* Matth. XXV. 13. & 1. Pet. V. 8.

§. 13. Qu. 38. p. 297. *Peccata in Spiritum Sanctum dicuntur esse:* (1.) *Nimia & absurda in gratiam DEI fiducia.* (2.) *Desperatio, quando quis misericordiæ penitus diffidit.* (3.) *Contradictio contra manifestam ac constabilitam veritatem, & infitiatio Orthodoxæ Christianorum fidei.* Hæc non habent actus omnes, in constituendo peccato in Spiritum Sanctum concurrentes, nec hoc nomine venire debebant.

§. 14. Qu. 39. *Nimiam in gratiam DEI fiduciam, esse temerariam confidentiam, quâ sperare*

rare audet, DEUM gratiam suam, quamvis perseveranti in flagitiis, non occlusurum, nec pœnam ab ipso repetiturum, sic justitiam DEI floccifaciens; quâ fascinatos ad Rom. II. 4. *ablegat.* (2.) *His accenset eos quos non pudet palam dictitare: DEO ita volente, salvus ero, non volente pereo.* Vox Absoluti Decreti soboles. *Quos curam salutis abjicientes, in viam revocat Salvator* Mat. XVIII. 14. Et *DEUS* Ezech. XXXIII. 11. Tum *Apostolus.* 1. Tim. II. 4. (3.) *Horum numerum augere dicit illos, qui sola Fide, sine bonis operibus, vitæ æternæ hereditatem adituros se sperant.* Nos haud dubiè in censum illorum reponens. Verum si (1.) docente *Confessione* est Hæreditas, absque operum merito erit omnino adeunda. Si (2.) Doctore *Paulo* Ephes. II. 8. 9. *Gratia salvamur per Fidem: non per opera*, satis tutò *Confessionis* sententiam rejicimus, & in solâ Fide meritum Christi apprehendente, acquiescimus. Quod si autem necessitatem existentiæ & præsentiæ Bonorum operum ad renovationem, tanquam fructus Fidei, nos exterminare credidit, injuriam nobis facit.

§ 15. Quæst. 40. p. 299. *Desperatio est diffidentia de Misericordia DEI, inde apud peccatorem oborta, quod perperam existimat, ob facinora à se perpetrata, aut bona opera omissa, nolle DEUM veniam sibi concedere, malitiam misericordiam propemodum superare autumans.* Exemplo *Caini* Genes. IV. 13. quam rectè *immanem* dicit *blasphemiam.* (2.) *Hortatur ut quamvis gravis-*

vissimis sceleribus quasi onustus sit, de clementia DEI non desperet, sed filii luxu perditi exemplo se erigat; quem pater excipiens lato pectore, ostendit nos veniam fratri dare debere Matth. XIIX. 22. quæ doctrina, & dictum cui superstructa, huc non spectat propriè; cum non probent quod est in quæstione; cui tamen Joël II. 12. *luculentam facit fidem.*

§. 16. Quæst. 41. p. 301. *Contradictionis contra veritatem indolem hanc esse dicit, quando quod rectum est, pulchrè accuratéque tenet quisquam; verum ut majore securitate peccet, dictis factisque, quanquam repugnante conscientia, pertinacissimè illud oppugnat: & de iis qui sic peccant agi* Rom. I. 28. Enumerat (2.) *plures hujus peccati reos,* (a) *qui proximi bona opera traducunt, ut Pharisæi Domini JEsu Christi,* (b) *qui gratiam à DEO concessam proximo invident,* (c) *qui pietatis ignaros, ex mera malitia, Religionis Christianæ capita docere negligit,* additque *votum, ut hanc pestem de peccatoribus omnium Orthodoxorum Christus revellat.* (d) *qui Bona opera simulationis accusant.* (e) *qui Fidem Christi exuunt,* ex Matth. X. 32.

§. 17. Verum omnes illi qu. 39. 40. 41. recensiti actus, ad constituendum horribile illud peccatum non concurrunt: nec unicus ad illud constituendum sufficit; adeoq; nec (1.) *nimia fiducia in misericordiam DEI;* nec (2.) *Desperatio* propriè ejus essentiam ingrediuntur, cum hæc ejus effectum sit vel consequens. (3.)

Quan-

Quanquam Pharisæi hujus peccati jure accusentur, facta CHRISTI blasphemè traducentes, non tamen omnes illi, qui proximi Bona Opera calumniis proscindunt, in Spiritum Sanctum peccant. Nec (4.) qui invident proximo dona â DEO concessa. Nec (5.) qui segnes sunt in docendis aliis, hôc peccato se perdunt. Nam committitur ab hominibus in veritate fidei illuminatis, & interno Spiritus Sancti testimonio convictis, simul & (1) negando (2.) blasphemando (3.) hostiliter persequendo veritatem agnitam, ejusque agnoscendæ media, & (4.) usque ad finem vitæ pergendo, quantum in ipsis est, in hâc malitia. Cui speciei peccati DEUS remissionem & superabundantia conversionis media denegavit: Unde etiam irremissibile dicitur. Notat autem *Dn. D. Scherz.* de hoc peccato, uti difficilimè pronunciari, itâ cautè seligenda esse dicta *Sacræ Scripturæ*, ex quibus ejus natura indaganda est; addens: *B. Hulsemannus Vind. Loc. Scr. Art.* 29. *Op. posth. f.* 97. *dicta.* Mat. XII. 31.32. Ebr. VI. 4.5. *censet principalia. D. Shertz.* subdit: jungi tamen etiam potest. Ebr. X. 26. 27.28.29. Ex his cùm nullum Confessio adduxerit, facile constabit, eam circa hanc peccati speciem, multis aberrasse modis, & ipsius sententiæ non subscribendum. Patet quoque, quid sentiendum de mente *Dn. Laurentii Petri Gothi*, qui *Catech. lit. A fol.* 8. dicit: *hoc peccatum esse, vel agnitam veritatem petulanter repudi-*

diare & perseveranter oppugnare, hucusque bene; vel *rejicere gratiam manifesto Scripturæ testimonio oblatam & desperare*, vel *opera quæ certò apparet digito DEI esse facta, tribuere magicis artibus*. Cum in his duobus consentiat Confessioni, ut ovum ovo non sit similius, idem de illo ferendum judicium.

§. 18. Quæst. 42. pag. 303. *Recensentur peccata quæ divinam vindictam frequentius in hoc mundo exposcunt.* (1.) *Homicidium, consulto consilio commissum.* Gen. IV. 10. (2.) *Flagitium Sodomitarum.* Gen. XVIII. 20. (3.) *Pauperum, viduarum ac pupillorum vexatio.* (4.) *Defraudatio pacta operarum mercedis*, ex Mal. III, 5. in quibus enumerandis concordat cum notis his versiculis:

Clamitat in cœlo vox sanguinis, vox Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

(5.) addit: *neglectionem Parentum, animumque in illos ingratum*, Exod. XXI. 15.

§. 19. Quæst. 43. p. 305. *Peccatum non ad mortem, quod & aliis veniale nominatur*, esse dicit illud *quod homo natus evitare nemo potest; præterquam Christus & Virgo Maria:* pergens ita: *Non adimit illud nobis gratiam DEI, nec morti æternæ reos addicit.* 1. Joh. I. 8. Notandum hic (1.) quod de Virgine Maria asseritur, esse erroneum; cum non tantum in peccato originali concepta, frustra id negante Pontificiorum parte maximâ, *Franciscanorum* doctrinâ seducta, licet *Gregorius XV.* d. 4. Jun. A.
1622.

1622. ad *Philippum* Hispan. Regem scripserit: *Æternam Sapientiam nondum patefecisse hujus mysterii penetralia, an B. Virgo sine peccato originis concepta fuerit.* Vid. *Hulsem. Enucl. c. 5. th. 13. pag.* 280. sed & actualis rea fuerit. (2.) Supponit: *esse suâ naturâ veniale;* quod in superioribus jam erroris convicimus. Quod subjungit: *Esse innummera, nec vilipendenda, sed singulis diebus emendanda & deflenda, secundum* Psalm. IV. 5. & VI. 7. optimè se habet. Verum cum *eorum veniam per Deipara & Sanctorum intercessiones quærendam docet,* superstitioni litat, de quâ infra pluribus agendum. *Hæc venialia mortali aditum patefacere, pietatem refrigerare, segnes reddere ad mandata DEI capessenda, ni pœnitentiâ eliminentur,* veritati consonat.

§. 20. Quæst. 44. pag. 307. *Alienorum criminum consors quis fieri potest,* (1.) *Consilio* (2.) *Auxilio* (3.) *non redarguendo mala, ut* [a] *Patres spirituales conniventes.* [b] *Heri servos,* [c] *Mariti conjuges,* [d] *Parentes liberos,* [e] *Magistri discipulos vel ad impietatem ducendo, vel pro arbitratu vivendi potestatem faciendo, rationem reddituros DEO.* 1. Tim. V. 22. Ne participes aliena peccata. Quæst. 45. p. 308. Disquirit, *quo alio modo in societatem criminum incidamus?* Declarans hæc fieri: *quando quis causam peccati aliis prabet, sive scandalo, sive nutu, sive verbis indecoris, sive commendatione vitiorum, virtutumque vituperatione.* *His haud im-*

immerito adnumeratur, qui sua sponte alium ad iram concitat, aut qui vitio, pro sua virili parte non obviamit, aut ex officii sui ratione non commonefacit, aut increpat: nam horum quemlibet alieni flagitii culpam contrahere.

CAP. V.

De Decem Præceptis.

§. 1.

QUæst. 46. pag. 309. De *numero Præceptorum DEI* asserit: *Esse Decem, quibus & alia quædam contineantur*; & quæst. 47. contra *eorum necessitatem* hoc movet *dubium: Præcepta veteris Legis dudum impleta sunt:* addito tali responso. *(1.) Præcepta Veteris Testamenti quæ de Ceremoniis & mysteriis erant, Christique opera adumbrabant, ea jam omnia præterierunt; nec à Christianis præstari debent.* (2.) *Sed quæ ad observationem Charitatis, DEO proximoq; dedita, præcepta pertinent; non duntaxat observanda Christianis, sed accuratius etiam perfectiusque quam Israelitis observata fuerunt*: addita hâc ratione: *quippe ut majoribus excellentioribusque à DEO beneficiis nos à DEO cumulati sumus, & ultra omnem comparationis modum, præ illis gratiam Spiritus Sancti, per Dominum nostrum JESUM Christum accepimus: ita pariter excedant oportet opera nostra actiones judæorum.* Mat. V. 20. 21. *Servanda itaque præcepta omnia quæ*

quæ Charitatem in DEUM & proximum spectant; Siquidem de duobus his pendeat Lex & Prophetæ, dicente Domino Mat. XXII, 37.

§. 2. Quæst. 48. p. 312. Contra *numerum præceptorum*, hanc objectionem format: *Cum duo tantum Christus confirmârit, quomodo erunt Decem?* Eamque diluit dicendo: *Duo esse principaliora & generaliora, in quibus cætera fundentur. Porrò Legem in* duas Tabulas *dispescens, priori, quæ Charitatem DEI, posteriori, quæ proximi injungunt, contineri, atque sic Christum per duo omnia stabilire asserit.* Luc. XVI, 17. De *divisione Decalogi* tam quoad *Tabulas*, quam quoad *præcepta*, non una eademque est omnium sententia. *Hebræi quinas leges singulis Tabulis inscriptas fuisse* contendunt. *Joseph. l. 3. Ant. cap.* 4. quos ex *Christianis* sequuntur *Irenæus l. 2. c 42. Chrysost.* in cap. 25. Matth. At rectius cæteri *Patres ad priorem Tabulam* referunt istas leges, *quæ dilectionem DEI, & posteriorem quæ dilectionem proximi* commendant. Quam distinctionem CHRISTUS ipse approbat. Matth. XXII, 37. 38. & 39. *Origenes* itaq; in c. Ex. 20. *quatuor eo* refert, *secundum* constituens: *Non facies tibi sculptile.* Cui accedit *Ambrosius* in c. 6. ad Ephes. *Nazianzenus, Hieronymus in idem cap.* alibi tamen aliter sentiens. Hos sequitur *Ecclesia Græca & Moscovitica*, tum quoque â *Calvino malè reformata*, & *Ecclesia illa*, quæ olim *Calvinismo infecta*, postea *Augustanam amplexa Confessionem*, in re adiaphorâ retinentes,

id, cui jam juventus assueverat. Sed *Augustinus l. 2. quæst. in Exod.* *Tria* tantum refert ad *priorem*; cujus sententiam amplectuntur *Augustana Confessionis Theologi, & Pontificii* quoque. Neque in enumerandis præceptis conveniunt. *Græci, Moscovitæ, Calviniani* secundum dicunt esse: *Non facies tibi sculptile*, teste Confessione. *Pontificiis* secundum est: *Non assumes nomen Domini in vanum*; ita & nobis. Illi *contrahunt ea, quæ agunt de concupiscentia*; *nos* cum *Pontificiis separamus*: nec de ordine decem ultimorum convenit. *Augustino & Pontificii assentiuntur*, *Nonum* constituendo: *Non concupisces uxorem proximi tui*. Vid. *Catechesi Vulgari Græca* pag. 343. & *Armena* scriptam p. 169. Eundem ordinem servat *Laur. Petri Gothi Catechef. lit. c. f. 2* quem ordinem *Moses* Deut. V, 21. servavit. At *Catechesis Tridentina p.* 451. quemadmodum *Lutherus* & nos ipsius insistentes vestigiis, *Nonum* facimus: *Non concupisces domum proximi tui*. Ex. XX, 17. secuti. Decimum licet *Lutherus* in Majori non separaverit; Nec *Catechef. Trident* cum utrumque de *Concupiscentia* agat, de quâ in explicatione & in genere & in specie erat agendum promiscue: In minori tamen Catechesi *Lutherus* separavit eadem; ut absque distinctione non fuerit asserendum, *Lutherum* non distinxisse, reliquos Theologos ea separasse, uti fecit *Dn. D. Terserus Dissert. de divisione Decalogi* §. 8. Nam & ille disertè nonum in illis verbis: *non concupisces domum proxi-*

xi-

ximi tui constituit. Vid. *Lib Concordiæ* pag. 368. Argumenta, quibus unusquisq; suam nititur tueri sententiam, adduxit & eruditè expendit *Dn. D. Terserus Upsaliensis Theologus, postea Episcopus Lincopensis, in dissert. de divisione Decalogi* lectu dignissimâ, habitâ Anno 1659. cujus §. 20. ex *Gerbardo* docet divisionem esse ἀδιάφορον & contra charitatem peccare qui intempestivâ ejus propugnatione Ecclesias turbant. Impressa est ad calcem notarum in Exodum.

§. 3. Quæst. 49. pag. 313. *Primum primæ Tabulæ præceptum*, ex Exod. XX, 2. Sic allegat: *Ego sum Dominus DEUS tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo servitutis. Non erunt tibi Dii alii præter me.* & quæst. 50. sic intelligendum dicit: (1.) *Injungi DEUM agnoscendum & laudandum.* (2.) *Cur non de creatione sed eductione ex Ægypto, sermo fiat explicat, convenientius fuisse Judæis exordium sumi à re novâ & admirabili.* (3.) *Alibi DEUM creationis in simili casu, meminisse.* Es. XLV, 12. & 5. (4.) *exactiorem Christianorum observantiam, quia ipsis libertas illustrior, inculcat*, ex Colos. I. v. 13. haud felici successu. Nam & id beneficii, de quo Apostolo sermo, Judæis exhibitum. In *parte secunda* hujus præcepti (1.) *interdici cultum alium DEI.* (2.) *indici cultum ex corde profectum*, quem inde arcessit, *quod mens DEUM rectè cognoscat.* Qu. 51. p. 315. *Contra illud lethaliter peccare*, (1.) *qui nullam Numinis habent notitiam.*

Psal. LIII, 1. (2.) *qui plures DEos venerantur.* (3.) *qui se Diabolo mancipant, ut Magi, qui amuleta gestant & characteres.* (4.) *Superstitioni dediti ægroti, qui anicularum carmina adhibent.* (5.) *qui auguria & omnia ex rebus capiunt.* (6.) *qui non rectâ fide DEUM unum in Trinitate personarum credunt.* (7) *qui plus propriâ prudentiâ & amicorum, quam gratia DEI nituntur.* (8.) *Qui semetipsos plus quam DEUM adamant.* Nota (1.) quod de amuletis asserit, de omnibus in universum affirmari nequit. Nam sunt & naturalia, suâ operatione & vi medendi morbis instructa. (2.) Exordium Decalogi: *Ego Dominus DEUS tuus*, quod Hebræi primum suum præceptum statuunt, retinent Confessio & eo loco posuit, quo Moses. At *Lutherus* idem retinuit, licet alio loco, in responsione ad quæst: *Quid dicit DEUS de his præceptis? Ego Dominus DEUS tuus, Zelotes &c.* ut itaque nec mancus nec mutilus sit Decalogus Lutheri; licet illi, qui eum ut talem intuebantur, alio ordine idem, nempe in principio Decalogi collcarint. Sed plura qui de hoc argumento cupit, adeat *Dn. D Paulini* Thesaurum Catecheticum Theoretico-practicum & part. prim. *Dn. D. Terseri* Diss. de Div. Decal. §. 22. seq. Sed potissimum *D. Lutheri Catechesis in Libro Concordiæ. Min.* p. 368. *Major.* p. 411. ubi dicit: *quanquam hæc verba communiter ad omnia præcepta referenda sunt*, (ergo uni non attexuit) *ea tamen huic præcepto, quod aliorum omnium caput*

put est, peculiariter adjecta sunt &c. & pag. 483. *Hæc appendix quanquam* (ut supra audivimus) *sub initium primo præcepto annexa est: omnium tamen præceptorum gratia positum esse, negare non possumus, ut quæ conjunctim omnia huc referenda & dirigenda sint. Quare dixi, hæc quoque iuventuti proponenda, & identidem occinenda esse, ut discat & tenaciter retineat, quo certum nobis fiat, quare ad hujusmodi præceptorum observationem & adigendi & impellendi essemus. Neque aliter hæc verba intuenda sunt, quam si ad unumquodque singillatim adjecta sint* &c. Ergo non minus D. Lutherus, quam *D. Paulinus* & *D. Tersferus*, hæc verba ad integritatem Decalogi spectare docuit & ursit.

§. 4. Quæst. 52. pag. 317. Quid de *invocatione Sanctorum* sentiendum sit, explicat. (1.) dicit: *Sanctorum intercessionem imploramus, ut causam nostram apud DEUM tueantur.* (2.) *Non ut Deos, sed ut amicos DEI colimus.* (3.) *Sunt nobis necessaria ipsorum auxilia; non è propriis ipsorum viribus, sed à DEO interventu ipsorum profecta.* (5.) *quippe similiter à viventibus intercessiones desiderare docemur, exemplo Pauli* Rom. XV, 30. 2. Cor. I, 11. *qui & ipse pro aliis orabat.* Phil. I, 4. Et ex Act. XII, 5. *non tantum privatim, sed & publicè pro se orasse liquere.* Unde (5.) infert; *Sanctos magis id præstare, cum nulla re impediantur.* (6.) *Si ultionem postulant.* Apoc. VI, 10. *multò magis pro fratribus intercedent.* Ap. XI, 16. 18. (7.) Occurrit dein' objecti-

oni huic: *Sancti non cognoscunt preces nostras*, tali responso: *quanquam non à semetipsis, tamen per patefactionem divinam, exemplo Elisei*, 2. Reg. V, 26. (8.) subjicit: *porro & Angelos obtestamur ut patrociniis suis nobis adsint apud DEUM: atqui à morte sancti sunt instar Angelorum.* (9.) *Tantum abesse ut hic cultus offendat, ut potius si omittatur, in Divinam Majestatem peccetur à nobis, qui non honoramus servos DEI.*

§. 5. Ad pleniorem explicationem subdit: *Duo rectè cognoscenda: (1.) quod honos sanctis tribuendus per transitionem ad DEUM referatur;* idque conatur probare ex Ps. CXXXIX, 17. (2.) *per eos gratiam DEI obtineri exemplo amicorum Jobi, quibus ipse DEUS injunxit, ut eum adducerent, qui pro ipsis sacrificaret, ut ejus causa ipsis delictum condonaret*, cap. XLII, 8. (3.) *quod hoc praeceptum rem ullam creatam adoratione eâ, quam* Latriam *vocamus, adorari vetet. Sed nos* subjiciens, *non sanctos sanctissimo hôc honore colimus, sed modestè invocamus &c.* Hic Confessio eandem cum Pontificiis amplectens doctrinam, iisdem utitur argumentis; sed nullo tibicine fultis, ut facilè subruantur. Nam (1.) non opus est ut Sancti nostri curam gerant, cum DEO simus curæ. (2.) Honorem & nos exhibemus eis, sed non invocationis, qui soli DEO competit. Mat. IV. 10. (3.) Non opus est interventu ipsorum, cum sponte sua DEUS nobis & promittat & mittat auxilia. (4.) Viventium intercessio nititur manda-

dato divino, & ſanctorum exemplo; quod de defunctis dici non poteſt. (5.) *Sanctos in Eccleſia triumphante pro Chriſtianis in Eccleſia militante intercedere*, negare non volumus, cum Scriptura id dicat: ſed quod pro hoc vel illo in ſpecie, unus vel alter è Sanctis oret, nullo Spiritus Sancti teſtimonio evictum: contrarium elucet, ex Eſ. LXIII. v. 16. (6.) Concedimus totum, ſc. *pro fratribus in univerſum omnibus.* (7.) Objectioni non ſatisfecit dicendo: *per patefactionem id fieri.* Hoc enim erat probandum firmiore argumento, quam exemplo Eliſæi; cum talis patefactio reſpectu ſanctorum in cœlo, ſit in quæſtione & â nobis negetur, tacente Scripturâ nihil ejusmodi comminiſcendum ſtatuentes. Quid quod talis patefactio à Propheta Eſ. LXIII, 16. dicente: *Abraham non novit nos*, exploſa. Si enim illa locum haberet, utique quæ noſtra ſit conditio, quoad individua noviſſet. (8.) Invocatio Angelorum æquè prohibita ac Sanctorum. (9.) Cultus â DEO prohibitus, non poteſt non offendere Deum. Apoc. XIX. v. 10. Nonne ſufficit, nos *honorare ſervos DEI, eorum pietatem extollendo, imitando*; niſi accedat *invocatio idololatrica?*

§. 6. Quæ plenioris explicationis gratiâ affert, convincunt ipſos *Confeſſores* fuiſſe ſatis ſolicitos, ut idololatrias horrendum crimen â ſe amoliantur, dicendo (1.) *hunc honorem tranſire ad DEUM.* Sed quæ ex Pſalm. CXXXIX, 17. afferunt, nihil minus probant,

 quam

quam id de quo controvertitur. Nam (1.) LXX. Interpp. & hanc secuta *Moscovitica* & *Vulgata* translatio, locum perperam reddidêre: cum *Anglus, Batavus, Iremell.* & qui primo loco nominandus *Divus Lutherus*, cui consentit *Suecica & Danica*, reddentes hoc modo: *quamobrem apud me, quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ*, ô DEUS *fortis, quam numerosa sunt summæ earum*, *ut Tremellii* verbis utar, sequantur fontem Hebræum. Quod autem hodierna *LXX. Interp. versio* sæpissimè in *Psalmis* hallucinata, plus quam in aliis libris, observarunt *Dn. D. Gerb. Disp. Isag. III.* §.6. p. 85. *Calov. Crit. Sac. Diat.* 10. p. 579. Sed (2.) si vel maxime standum versionibus *LXX. & Moscov.* sic legentibus: *Mihi vero valdè honorati sunt amici tui*; nihil inde sequeretur aliud, *quam honorandos esse amicos DEI, & Sanctos*, quod nos negavimus nunquam. (2.) Job vivus intercedebat pro vivis, DEO mandante: quid hoc ad mortuos? (3.) Distinctio illa cultus *Latriæ*, & asseveratio quod hôc Sanctos non colant, non juvat malam ipsorum causam, cum sit figmentum cerebri humani. Est & notatu dignum, quod *Duliæ*, quo nomine Sanctorum invocationem insigniunt, DEO sæpius quam *Latria* in *Nov. Testamento* tribuatur. Illa enim XXXIX. hæc autem XXX. tantum vicibus de DEO usurpata legitur. *Conf. Dn. Schertz. Hulsem. Enucl.* c. 12. th. 16. p. 717. & *Siric.* c. 5. p. 45. de Rel. Moscov.

§. 7.

§. 7. Quæſt. 53. p. 314. Exhibet *ſecundum Præceptum*, Exod. XX, 4. *Non facies ſimulacrum, nec rei ullius imaginem, ſive quæ ſupra in cælo ſunt, ſive quæ infra in terra, ſive quæ in aquis ſub terra. Non adorabis eas, nec coles eas.* Quæſt. 45. p. 324. Docet quomodo *intelligendum*, & quidem (1.) *ſeparatum eſſe à primo, cum de externis Sacris & ceremoniis tractet; jubeatque nullum ſimulacrum ſculptile falſis Diis dedicandum, nec idola veneranda, nec ſacrificia divino culto illis facienda.* Contra *hoc præceptum delinquere* (1.) *eos de quibus agitur* Pſ. CXXXV. v. 15. (2.) *qui Avaritiæ dediti.* Col. III, 5. (3.) *Gurgites & belluones* Phil. III, 19. (4.) *qui incantationibus & præſtigiis utuntur.* (5.) *Qui Fortunæ & Fato fidem indubiam tribuunt.* (6.) *Qui Auguria & omnia obſervant,* (7.) *qui ex lineamentis manuum,* (8.) *ex Umbris Manibusque orco evocatis, ex pelvibus, aliisque hujusmodi hariolantur,* (9.) *qui homines natos in ovitulas, aliasque bruteis animanteis ſuis veneficiis immutant,* (10.) *qui Amuleta malis averruncandis geſtant,* (11.) *qui pittacia ſchedulasque circumſecus ſibi circundant, aut geſtant, eisque fidunt,* (12.) *ſive etiam oraculis ac vaticinationibus, aut characteribus iis inſcriptis: in quæ pittacia intuentibus, aut preculas quasdam ſuper ea muſſitantibus perſuaſiſſimum eſt, nihil ſibi tantiſper dum ea præſtò ſunt, à flammis aquisque, aut ferro ac telo noceri poſſe,* (13.) *qui ligaturas nodosque & cætera nefaria remedia (ab ipſa medendi arte damnata) uſurpant, ſive eadem in carminibus magicis ſita ſint;*

 ſive

five in characteribus, five rebus aliis, quas suspendunt, nexant, solvunt, uti sunt inaures in auriculis, aut annuli in digitis, aut alia hu similia Horum peccatorum plurima contra primum præceptum committi, nulli debet esse dubium; ut necessarium non sit hoc secundo loco ponere, cum sit primi tantum explicatio. Omnes namque Dii alieni eo prohibentur: At *imagines sunt Dii alieni*, Gen. XXXI, 30. Deut. XXVIII, 36. &c. Ergò gratis cum *Calvinianis* statuunt esse diversum. Quibus adstipulatur *Dn. Laur. Pet. Gothus*, qui in *Catech* lit. C. f. 3. secundum omissum vanus queretur.

§. 8. Pleraque modo recensita, contra secundum apud nos, pugnant, ut quæ 4. loco dicuntur *de incantationibus*, 8. *de Urbris evocatis*, 9. *de transformatione hominum imaginaria*, quæ fiunt adhibito nomine DEI, cujus abusus nostro secundo prohibetur. Hanc *transformationem verè fieri*, credere videntur *Confessores:* quæ tamen soli DEO adscribenda: cum *Magi* tantum *glaucomatis fascinatione, vel celeri substitutione, vel forti imaginatione, homines decipiant & fascinent* Conf. *Dn. D. Terseri* notas eruditiss. in Exod. VII, 11. & *D. Torselii Dissert. de Magia* sub præs. Nobliss. *Dn. Claudii Arrhenii* cap. 4. §. 2. in qua sana de Magia asseritur doctrina, quam *Dn. Thomasius in sua Disp. de Magia*, mirum in modum pervertit, & *Celeberrimo summèque Reverendo Gedanensium Theologo Dn. D. Schelguigio*

Fau-

Fautori colendo, dedit ansam conquerendi, eam tot & tam vesanis hypothesibus esse refertam, ut vix oculis suis crediderit, sub Magistratu Christiano, in Academia Christiana *(Hallensi)* ab homine, quem ipsum Christiani, quod in Baptismo susceperat, nomen Christiani officii admonere debebat, monstra talia, non Pontificiis magis, quam Evangelicis & Reformatis exosa, ex orco erumpere potuisse. Vid. ingressum *ad Wigandiana ipsius:* & licet *Dn. Schelguigius* loc. cit. gratias DEO egerit quod chartæ â *Rege Borussiæ & El. Brandeb.* tenebris adjudicatæ & prohibitæ fuerint; earundem non tantum patrocinium suscepit, sed & in linguam germanicam transferri curavit θαυμάσιος ille Thomasius, cujus scripta non nisi cum judicio legenda, & plurima vitanda, in orthodoxos Theologos plerosque, vivos & mortuos, summè injuria, quæ inter eminet quod de *Jure Principum circa controv. Theolog.* edidit, ad palpum Calvinianis potissimum obtrudendum Sed DEo vindici hæc committenda. Ceterum imaginationem in *Lycantropiâ* â morbo, copiæ atræbilis originem debente, proficisci, verissimum credimus: semper tamen in tali casu negotiosum esse Dæmonem non inficiamur. *Nabuchodonosoris fata* si quis objiciat, meminerit *feram factum, non corporis mutatione, sed animi corruptione.* Lycantropiam esse ex hoc morborum genere, optimè statuit & hoc argumen-

mentum explicat *Hofm. Lex. Cont. part.* 1. pag. 1059. cui consentit Nobiliss. *Dn. D. Hierne Archiat. Reg.* Fautor honoratiss. Quod (10.) *de Amuletis* affert, ad nostrũ 2. præceptum referas, cum varii sint generis, & si naturalia excipias, nomine DEI, vel locis Scripturæ insignita; Sic & reliqua quæ numeris 11. 12. 13. adducuntur omnia, sunt talia quæ in nostrum 2. impingunt, & â *Paganis ad Christianos* transiêre: licet ab ipsis Ethnicis Imperatoribus, quorum *Antoninus Caracalla, curiosarum artium ipse studiosissimus,* vel primus vel inter primos fuit, *Dione* teste, fuerint damnata. Horum *remediorum studium diutissimè hæsisse in animis veterum Christianorum,* testatur *Hofm. Lex. U. Cont.* part. 2. pag. 461, quos graviter monuit *Chrysostomus, satius esse obire morbo, quam sic sanitatem recuperare, qui & hujus vanitatis contemtum, martyrio aliquatenus comparavit,* ut vel sic hominibus eundem inspiret.

§. 9. Quæst. 55. pag. 317. *De Imaginibus dicta Confessio,* in ipsâ quæstione asserit; *Orthodoxam Ecclesiam colere & adorare imagines.* In Responsione (1.) *ingens inter Imagines & Simulacra statuit discrimen. Idola seu Simulacra esse figmenta* 1. Cor. VIII, 4. docet; *Imaginem repræsentamen exhibens rem veram, velut Imago Salvatoris &c.* (2.) Differentiam inter Idololatriam Gentilium & suum cultum exhibet. *Gentiles,* inquit, *aurum verum Numen esse existimabant; nos non adoramus illitos tabulis co-*

colores, aut ligna ipsa, sed Sanctos quos repræsentant. (3.) *Adorationis genus* indicat, *Duliam* nominans. (4.) explicat *objectum adorationis* exemplo: *dum Crucifixum adoramus, Christum in conspectu ponimus: Cum Virginis veneramur imaginem, ad Deiparam ascendimus.* Inde concludit *hoc cultu nihil præcepto derogari, potissimum cum non sit eadem adorationis species.* (5.) Firmat sententiam *exemplo Israelitarum, qui Cherubim licitè adorabant.* (6.) *Honorem quem Tabernaculo seu Arcæ fœderis exhibebant,* 2. Sam. VI, 13. *idem vincere;* existimans *DEUM ipsum illo exceptum.* (7.) *Cautionem* addit: *cuique Imagini addendam inscriptionem nominis, ut eo facilius intentioni animoque adorantis satisfieri possit.* (8) Provocat *ad VII. Synodum Oecumenicam, hunc cultum stabilientem, Iconomachos anathemate percellentem* Can. IX.

§. 10. Hic Pontificiorum inhærens sententiæ, eorumdem arat vitulâ in eâ tutandâ. Verum rationibus planè ficulneis rem suam stabiliunt, ad quæ responsio est facilima. Nam (1.) Differentia inter *Imaginem & Simulacrum*, quatenus adorantur, nulla est, utut id afferat cum *Bellarm. l. 2. de Imag. SS. cap.* 5. (2.) Licet differat *idololatria crassa Gentilium* ab hâc *subtiliori Christianorum:* Est tamen imaginum in cultum erectio idololatriæ species, primo præcepto interdicta. (3.) Distinctio inter *Latriam* & *Duliam* nugatoria est, & sæpius hæc DEO in Nov. Test. tribuitur, ut su-

ſupra monuimus. (4.) Cultus in *tranſitivum* & *terminativum* diſtincto, eſt cifra, judice *Dn. D. Sbertz*. Eſt enim ἄγραφος & ἀντίγραφος; cum omnis religioſus cultus, alii quam DEO exhibitus, ſit damnatus. Atqui *tranſitivus* eſt religioſus. E. (5.) Nec Arca nec Cherubim adorabantur, ſed DEUS, qui præſentiam ſuam ad Arcam Ex. XXV, 22. adſtrinxerat. (6.) Multum intercedit differentiæ inter *honorem ſeu reverentiam*, & *cultum religioſum*. Si Iſraelitas Arcam in honore & pretio habuiſſe dixeris; quæ inde ad cultum religioſum conſequentia, cujus in loco adducto mentio nulla; &, ſi eſſet, ipſi DEO præſenti exhibitus fuiſſet. (7. Cautioni nullus erit locus, ſi cultus imaginum aboleatur. Eam ſemper apud *Græcos & Moſcovitas* ſervari vix crediderim. Sed ſervetur; quid inde emolumenti ad illum qui literas neſcit? quemadmodum maxima Ruſſorum pars. His ne facilè eſt aberrare, in divinandâ hujus vel illius ſancti imagine. Quid ſi alio atque alio ſchemate idem Sanctus pingatur? quod apud ipſos æquè ac Pontificios fieri credibile.

§. 11. Notum eſt quippe quid hic Pictoribus atque Poëtis liceat. Sanè deprehenſum eſt apud *Pontificios*, eandem ſtatuam multos repræſentaſſe Sanctos. *Paulum* ubi cum *gladio* apparuit: Si ablato gladio, *claves* ſubſtitueris, *Petrum*; ſi his remotis *crucem* repoſueris, *Andream*; & ſic de cæters. Quomo-

modo hæc variatio intentioni adoraturi satisfacit, ipsi viderint. (8.) Dum autem provocat ad *Synodum Oecumenicam VII.* procul dubio intelligit *Concilium Nicenum II.* ab *Irene Imperatrice*, instigante *Papâ Adriano* celebratum, quod universale fuit appellatum, & circa *An. Chr* 788. damnavit εἰκονοκλάςας. Sed huic summo jure opponimus *Constantinopolitanum*, â *Constantino Copronymo*, etiam vulgo VII. universale dictum, jam *An. Chr* 755. coactum, in quo εἰκονολάτραι damnati, & omnis imaginum usus in Templis prohibitus. Quod posterius uti non probamus; ita non unâ ratione fulti, hoc *Concilium* illi præferimus. Videmus enim hoc *niti Scripturis*: illud Pseudonicænum *rationibus* partim *violentis & contortis*, partim *ridiculis & frivolis*, adeo ut *Pontificios* hodie earum pudeat. Quid quod illi ipsi *Concilio* nonnulli *Patres* interfuerint, fatentes *Idololatriam Gentilium hoc cultu confirmari: Turcas autem à recipiendis Christianorum Sacris arceri & absterreri.* Nec in *Constantinopolitano* tantum sententia nostra stabilita: verum etiam in *Syn. Francofurtanâ* sub CAROLO M. *An. Chr.* 794. convocata, quæ collatis priorum *Conciliorum Canonibus*, mediam elegit sententiam, *in templis & privatis locis ornatus & memoriæ causâ eas ferendas: cultu autem indignas judicandas; cum & â Fide Christianâ alienum, & Gentilium superstitioni congeuum.* Quæ moderatio cum *Romano Pontifici* minus arrideret, in *Concili-*

cilliabulo Tridentino Nicenæ II. Syn. acta calculo candido judicavit dignisfima, idque invitâ Sacrâ Paginâ. Vid. prolixius hæc exsequentes *Dn. D. Quenst. p. 4. Theolog. Did. Pol. cap. 11.* Quæst. 6. pag. 371. seq. *Dn. Shertz. Hulf. Enucl.* c. 12. th. 16. p. 717. & authores ab his magno numero adductos.

§. 12. Hic omnino locum habebit, quod *Confeſſio ſupra* quæst. 51. pag. 317. optimè statuit dicendo: *Brevi complectar. Contra hoc præceptum* sc. *primum, peccat, quiquis præter DEum verum aliud quidpiam, quocunque tandem modo, pro Numine ſuo adtollit; in illoque ſpem & fiduciam omnem reponit.* Hoc enim faciunt cultores imaginum, illas pro Numine quodam suo extollentes; & quanquam non omnem, magnam tamen in illis fiduciam reponentes. Tandem hinc inferimus, quod si aliud quidpiam pro Numine colentes, peccant contra præceptum primum, *Confeſſione* confitente; supervacuum erit illud quod secundum est ipsis, divellere â primo: cum omne quod violet secundum, etiam primum feriat, non dissentiente *Confeſſione*.

§. 13. Quæst. 56. Nostræ objectioni occursura *Confeſſio*, (1.) quærit: *Cur qui ſerpentem aeneum confregit,* 2. Reg. XVIII. 4. *quem Moſes ſublimem dedicaverat, laudem adeptus?* & (2.) se expedire tentat hâc responsione; quam integram subjiciemus. *Quoniam,* inquit, *Judæi deficere cœperunt ab adoratione veri DEI, ad-*

oran-

orantes serpentem pro vero DEO, illique thum & odores cremantes, teste Scripturâ; Chiskias malum, ne latius serperet, excisurus, serpentem confregit; ne quam amplius idololatriæ causam Israelitis daret. Cui antequam divinus Latriæ honos haberetur, nec Israelitas quisquam damnabat; nec serpentem fregit ac comminuit. At Christiani imagines haudquaqum pro Diis colunt, nec earum cultu à Latriâ DEO debita abscedunt, imo vero potius ope imaginum, quasi manu ducuntur ad DEUM, dum sub expressis Sanctorum imaginibus, Sanctos cultu Duliæ, ut DEI familiares honorant, ab iisque contendunt, ut DEUM sibi propitium reddant. Quod si fortasse an quisquam ex simplicitate sua, paulo aliter, quam hactenus expositum est, imagines veneretur; melius quidem certè fuerit, ut rectius ille in hoc negotio edoceatur, quam ut venerandarum imaginum adoratio ex Ecclesiâ proscribatur. Quid ad hæc reponendum, ex iis quæ ad quæst. præcedentem & 52. diximus satis est perspicuum: falsâ nititur ubique hypothesi.

§. 14. Hic tamen addendum: (1.) gratis dici, *quod serpentem pro vero DEO adoraverint*, neque enim tam stupidi fuêre, quemadmodum nec *Moscholatræ*, de quibus Exod. XXXII. nec *Michas* Jud. XVII. nec *Gideon*, Jud. VIII, 27. nec *Israelitæ*, Jud. II, 13. 1. Reg. XII, 27. &c. qui omnes prætendebant, *se in honorem DEI imagines colere & in imaginibus vero DEO honorem istum deferre*, (2.) Quod imagini-

ginibus opus non sit ut ad DEUM manuducamur; *Trium primorum post Christum seculorum experientia*, satis superque comprobat. Nam non legimus tum in Oratoriis Christianorum, fuisse ullam imaginem nec sculptam, nec textam, nec pictam; quod ideo factum, ne conversi ex Gentibus occasionem lapsus haberent; Sed sine imaginum cultu discerent adorare DEUM in Spiritu & veritate. Quod si intra usum historicum substitisset, nos á partibus suis habuisset. (3.) Quoniam proscribendus omnis cultus imaginum ex Ecclesia, de eo simpliciores ad salutem erudiri nec possunt, nec debent. (4.) Cum minima pars Laicorum in Moscovia, literas primis labris gustârit, & plerique nę quidem lecturam calleant, adeoque vix dignoscant cujus Sancti imaginem colant, omnes illi ex sententia confessionis idololatrias crimine teneri videntur. (5.) Imaginès â rudi plebecula pro Diis coli, & nobis & aliis sit verisimile quam quod maximè. De DEO vero quam jejuna sit eorum cognitio, lacrumis deplorari satis nequit. Quod de cultu rudis plebeculæ attulimus, lucem lucrabitur ex his notabilibus *Illustr. Dn. Baronis de Meyersb.* itinerarii in Moscov. pag. 27. *Simulacra omnia, preterquam in Ecclesiæ altari, Mosiovita respuunt.* (Non ergo omnes sculptas imagines aversantur, uti quibusdam creditum est:) *Sed à Græcę vel Russico penicillo* (non ergo aliarum nationum) *delineata Divorum iconibus tabu-*

bu-

bula, postquam eas pro auro, vel argento permutatas, (emere non licet) suas fecerint, & aqua asperserint lustrali, in tanta apud eos sunt veneratione, ut addubitare liceat, quonam eas cultu prosequantur. Hæc & plura de imaginibus ex hoc scriptore, in nostris oris rarissimo, dedimus *Exercit. nost.* p. 1. *Sect.* 1. c. 20. p. 126. §. 3. seq. addimus hic tantum ex eodem: *quod hospites imagines, ne profanentur, ê cubiculo peregrinorum ablatas in interiori abdant*, quod & dictus *Dn. de Mayersb.* expertus est.

§. 15. Qu. 57. p. 332. Tertii præcepti hunc tenorem Exod. XX, 7. esse dicit: *Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum; non enim pro insonte illum absolvet Dominus, qui nomen ipsius in vanum adsumserit.* Quæst. 58. doceri (1.) *nomen DEI honorandum, nec in re levicula aut iniqua proferendum.* (2.) *Nec, ut mendacio fides adstruatur, & perjurii reus quis fiat.* (3.) *Nec ansa nec consilium perjurio danda.* (4.) *Votum sanctè reddendum*, Deut. XXIII. v. 22. Contra hoc præceptum peccare *qui à fide se abduci sinunt propter commoda aut pericula. Pauli hujus defectionis periculo eximendi lætitiam*, ex 2. Tim. IV, 7. *Certamen pulcrum decertavi, curriculum absolvi, fidem servavi*; indicat.

§. 16. Quæst. 59. pag. 334. Quartum ex Exod. XX, 8. sic tradit: *Memento diei Sabbathi, ut illum sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, die vero septimo Sabbathum est. Domino DEO tuo, non facies eo die ullum opus tuis*

& filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, bos tuus, & jumentum tuum & quæ sequuntur. Illud Qu. 60. dicit sic intelligendum: *DEum è septenis unum constituisse diem, ut homines beneficiorum DEI memores, gratias illi agant & Majestatem ejus concelebrent.* Subdit: *DEUM tum in septimo die ab operibus suis requievisset, eundem sanctum esse jussisse, ut recordentur beneficii creationis. Sic Festum Paschatos, in memoriam liberationis ex Ægypto, ordinasse,* Exod. XII. *& alia Festa. Proinde totum hunc diem ab operibus laboribusque nostris omnibus feriati esse debebimus, ut hoc interim spatio orationi sacrisque meditationibus, vacuo animo, ob præstita nobis beneficia, operam studiumque impendamus: Itaque famuli servique cujusquemodi, nihil eo die operis facient, verum quiete otioseque rebus sacris, precibusque incumbent, DEumque collaudabunt.* (2.) Præterea ex hoc præcepto, *etiam cæteri dies omnes quos sacros haberi Ecclesia jusserat, observandi nobis sunt;* Cujusmodi sunt *feriæ panegyricæ, Nativitatis, Christi, Circumcisionis, Epiphaniorum, Occursus (Purificationis Beat. Virginis,) Resurrectionis, Adscensionis, & reliqua. Pariter & dies festi semper Virginis Mariæ, Apostolorum, Martyrum aliorumque Sanctorum.* Ceterum quo ritu celebrari conveniat diem Dominicum, *id sexta Synodus oecumenica uno & nonagesimo canone docuit.* Causam *translati in diem Dominicum Sabbathi* reddit (1.) *quod Christus Sabbathi Dominus est,* Matth. XII, 8. *quod si* igi-

igitur Christus Sabbathi Dominus, utique cum ratione traductum fuit in diem Dominicum. Tum (2.) ne quâ subjectione cuiquam obstrictus teneri Servator videatur. (3.) Tum quod eo ipso, non autem alio die, à mortuis resurrexit. (4.) Eoque mundi instauratio renovatioq;, secundum salutem æternam facta est. De tempore festa celebrandi, ut & de sanctificatione Sabbathi egimus prolixius, *Exerc. nost.* part. 1. Sect. I. p. 138. seq.

§. 17. Quæst. 61. Quintum præceptum ex Exod. XX, 12. dat: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene tibi sit, & ut longævus fias super terram illam bonam, quam Dominus DEUS tuus dat tibi.* Hæc ultima verba, cum tantum respiciant Israelitas, jure â *Luthero* exclusa. Quæst. 62. ita sensum ejus revelat: (1.) *Parentes honorare jubet & revereri;* addita ratione: *cum & genitores & educatores fuerint, idem naturalem rationem suadere, si nullum de eo exstaret mandatum. Summè iis devinctos esse liberos, nec vicem illis reddere eos posse.* Benè addit: *majorem illis debere amorem quam aliis.* (2.) *sub vocabulis patris matrisque omnes illos comprehendi, â quibus aliqua adepti sumus beneficia, uti sunt Patres spirituales, Magistri, Heri, Præcones, Reges, Magistratus, & qui his similes* ex Rom. XIII, 1. 7. *qui parentibus imparentes sunt, insipientes adpellari.* Rom. I, 31. hic errat. *Plus tamen DEO quam parentibus obediendum* Matth. X, 37. (3.) *Cum dicit, quod de omnibus superioribus id quoq; accipiendum*, non ei assentimur, nisi in certis

casibus. (4.) Docet *quod observantia & dilectio superioribus debita, elucere debent in benevolentia & subjectione, in verbis honorem praeferentibus, aliisque id genus.*

§. 18. Quæst. 63. p. 341. Sextum præceptum est; *Non occides:* quod Quæst. 64. sic dilucidat: *pio homini homicidium non perpetrandum, non tantum quâ corpus, sed etiam quâ animam. Et hæreticos & qui flagitiosa vita exemplum præbent, esse capitaliores homicidas*, ex Matth. XVIII, 6. Sed hujus homicidii nulla in hoc præcepto ferendo, â legislatore habita est ratio. Ast quæ sequuntur, huc spectant & cedro digna: (1.) *Cadem perpetrari non solum opere ipso, sed & suasu, auxilio, instigatione, consensu, (2.) omnes quoque affectus, qui cædis causa esse queunt, ea vetitos.* Dum autem *superbiam, invidiam, odium, avaritiam affectibus annumerat promiscuè, vitia & vitiorum fontes confudisse censenda est.*

§. 19. Quæst. 65. Septimum præceptum exhibet: *Non mæchaberis;* & qu. 66. hanc ei inesse sententiam existimat. (1.) *Asserit Dominum jussisse hoc præceptum perfectius â nobis custodiri.* Atqui de omibus id jam dixerat supra qu. 47. p. 309. Neque locus Mat. V, 28. præcepto majorem addit perfectionem; cum & adulteria cordis in V. T. æquè fuerint prohibita, Prov. XXIII, 32. Sir. IX, 8. (2.) *Duplex Adulterium* statuit: aliud *spirituale* aliud *corporale.* (3.) *Spirituale describit per lapsum in*

be-

haresin Psal. LXXIII, 27. (4.) *corporeum, per actionem impudicam cum uxore alius viri perpetratam.* (5.) Etiam *quamvis scortationem & lasciviam damnari.* (6.) *Lenocinia, cantilenas, choreas, indecoras & lusus turpiculos proscribi*, ex Eph. V, 3. Benè, si excipias, quæ de Spirituali adulterio affert; hæc enim alius sunt caveæ.

§. 20. Quæst. 67. Octavum præceptum ipsi est: *Non furaberis*, & qu. 68. Ejus hanc dat explicationem: [1.] *Non esse rem ullam alienam injustò modo occupandam, quod* [2.] *fit tum raptu*, [3.] *tum furto*, [4.] *tum violentæ detentione juris alieni.* Quod addit: *His accensendum, quando quis honorem famamque alteri eripit, ad sequens præceptum referendum.* [5.] *quando quis stipendiariis & vectigalibus suis nimis magna tributa nefariè extorquet, aut nimis asperum servitutis jugum iis imponit. Huc pertinet & fœnus.* Locus 1. Cor. VI. v. 10. pœnam transgressoribus denuntiat. [6.] *hoc etiam de omnibus justis contractibus ac pactis intelligi, in quibus fides strictè servanda est: ut ne alter alterum defraudet.*

§. 21. Quæst. 69. Nonum præceptum, Exod. XX. v. 16. *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum.* Qu. 70. illius sensum tradit: *probiberi, ne quis in proximum quidquam mentiatur: aut famam cujusquam ex malitia, studioq; vindictæ, arrodat; uno verbo: ut omnem noxium adfectum fugiamus: ne filii Diaboli, iisq; similes fiamus, quos allocutus est Dominus* Joh. VIII, 44. [2.] *monet Judices ne transgrediantur*

æquum justumque, alioqui filios Diaboli futuros, & æternæ gehennæ heredes.

§. 22. Quæst. 71. Decimum præceptum ex Exod. XX, 17. ita habet: *Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non jumentum, non ullum pecus ejus, non quæcunque proximi tui sunt.* Qu. 72, dicit: *Hoc inter omnia ad charitatem proximi pertinentia, summum esse perfectissimumque; non enim externas duntaxat actiones vetare, sed eas insuper, quæ interioris hominis sunt:* (abusive hic adhibet interioris hominis terminum, *cum alias pro motibus à Spiritu S. profectis & hominis renati actionibus, legi* DEI *consonis accipiatur*) *quæ à mente ipsâ, atque deliberatâ hominis voluntate, ad malum perpetrandum oriuntur; quod est proprium hominis exterioris:* [2.] *implet enim*, addit, *hoc præceptum Christiana perfectio.*

§. 23. Hic nota autem, nullum reperiri, qui ullum præceptum omnibus numeris impleat: multo minus hoc, quod interiores animorum motus compescit. Nulla enim in hoc mundo datur Christiana perfectio, in subjecto quodam, licet sanctissimo, Filio DEI excepto: quanqum negandum non sit, dari perfectionem Christianam in ideâ sive abstracto; ad quam tamen modis omnibus, utut nemo eò pervenerit, contendendum. Unde frustra dicitur in Confessione: *quod præceptum qui servat, ille jus omne proximo suo debitum ex-*

explesse censendus est. Nemo enim id implere poterit. [3.] Ut dicto audientes sint, hanc subjicit rationem: *quod tibi fieri non vis, id alii ne feceris.* Dum [4.] pergit dicere: *in eo Christianorum omnium salutem positam, ut ne expetat quis quidquam* DEO *proximoque suo adversum*; consolationem eripit miseris convictis, se nimis multum DEO proximoque adversum expetiisse. Tandem [5.] benè adjungit hisce hoc monitum: DEUM *supra quam semetipsum diliget: proximum autem juxta ac semetipsum.* De combinatione 9. & 10. præcepti multa essent dicenda, sed brevitas tractationis proposita, non permittit his immorari. Illud tacere non possumus: D. *Laur. Pet. Gothum*, cum dixisset, Decimo nostro eadem peccata prohiberi, quæ & nono; hanc subjicere quæstionem: *quare igitur non conjunguntur?* & respondere: *Sic usu venit, nam præceptum, non facies tibi sculptile &c. quod* Deut. V. *secundum locum obtinet, exclusum est, & tamen ut sint decem verba, ultimum divisum legitur, sequimur authoritatem Ecclesiæ* lit. c. fol. 2. Sed distincta esse præcepta vel ex distinctione objectorum patere poterit. Cum concupiscentia originalis, non tantum in genere, sed restrictè ad distinctum objectum, quin & actualis prohibeatur. Vid. Dn. D. *Gerhard. in loc. de lege.* D. *Chemnit. part. 2. L. C. p.* 246.

§. 24. Conclusio explicationis & totius operis ita formata; *Hæc officia si in hoc mundo,*

in gratia Domini DEIque nostri, recte atque ordine, cum Catholicâ & orthodoxâ fide, exsequimur, tum sanè citra hæsitationem ullam sperare possumus, nos in futuro seculo, summam charitatis perfectionem consecutos, in cœlo concelebraturos esse unum illum DEUM, *qui in Trinitate collaudatur: Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in secula seculorum Amen.* Nititur falsissimis hypothesibus de merito, & necessitate bonorum operum ad salutem: quas cum in superioribus â Spiritu Sancto damnatas evicerimus, hic actum agere nolumus. Cæterum ex his in 1. partis examine, æque ac harum 2. & 3. utut levi brachio tactis erroribus Confessionis, cuilibet affectuum præjudicio vacuo, facilimum erit concludere, quo jure titulo *Orthodoxa* superbiat & gaudere queat: scilicet nullo planè, adeoque illarum Ecclesiarum, numero & multitudine Sectatorum abundantium, vicem esse dolendam, quo vana fiduciâ de possessione veritatis tumidæ, multis dogmatibus ab æternâ veritatis regulâ, verbo DEI, aberrantibus mordicus inhæreant. Quibus ut clarior lux cœlitus effulgeat, vovemus animitus, quo abjectis errorum monstris & dispulsis Traditionum nebulis, eandem nobiscum amplexæ veritatem, genuinam exosculantes pietatem, DEUM essentia unum, Personis Trinum, è verbo sanctissimo agnitum, in his terris uno ore celebremus, tandemque Angelorum choro sociati, con-

ci-

cinamus nostrum Halleluja in secula nunquam terminanda!

§. 1. Ad complendam paginam, indicandum duximus, quod Theologiæ Moralis, quoad partes principes, prolixam reperire est explicationem, in libro cujus *Exercitat. part* 1. *Sect.* 2. *c.* 1 1. *p.* 1 16. mentionem fecimus, inscripto: *Mir Sbogom Tschelovekи:* qui sub hoc titulo: *Pax homini cum DEO, vel pœnitentia pacificans cum DEO hominem, Doctrina ex S. Scriptura & Patribus Ecclesiasticis desumta, in sancto magno miraculifico Monasterio Chiewo-cryptico, typis efformata, licentiâ, benedictione, & correctione honoratissimi in Christo Patris Innocentii Ghiselii, divinâ gratiâ Archimandritæ ejusdem sanctæ domus, in fixione crucis (seu Diœcesi) sanctissimi Universalis Patriarchæ Constantinopolitani Anno Mundi* 7177. *Christi autem* 1669. Vastum opus, duobus Volum. in folio constans. Cujus summa capita, quamquam ad manus sint, hâc vice communicare prohibemur. Partes indicasse sufficiat. *Instructio proœmialis tractat de conscientia, voluntate libera, gratia, justificatione, merito.* Pars 1. *de pœnitentia,* 2. *de pœnitente,* 3. *de sacerdote & confessore,* in multis Pontificiis favens.

§. 2. Ad promovendam pietatem conscriptus est quoque liber, qui vulgatus est sub hâc epigraphe: *Dioptra ili serzalo,* hoc est *Tubus opticus vel speculum cordis, descriptio vitæ humanæ in hoc mundo, studio Monachorum Mona-*

ste-

sterii Kuteniensis Ecclesiæ Sanctæ Epiphaniæ. Kutenis â nato Christo 1651. in 12. Præfatio addita est â *Joële Truzenitzio Hieromonacho Igumene seu Abbate*, nomine totius in Christo fraternitatis Monasterii Kuteniensis. Dividitur in tres Dioptras 1. *agit de contemtu vanitatum mundi continens cap.* 40. *ubi nota, quod inscriptio præcedens*, cap. 1. addat: *ex multis sanctis divinis Scripturis & Patrum dogmatibus composita.* 2. *de Mundi perversitate & defectibus in moribus suis*, cap. 40. *complectens.* III. Docet, *quomodo oporteat contemtores vanitatum mundi bujus digne servire JESU Christo.* Subjungutur dein *preces collectæ ex divina Scriptura, & plures ex S. Ephremo, volentibus iisdem uti quoad beneplacitum suum, adversus passiones animi & voluptates illicitas.*

§. 3. Ut constet, quam vanus sit Leonis Allatii jactatus inter Pontificiam & Græcam Ecclesiam consensus, subjicimus *Formulam abjurationis*, quâ se *Romanæ Ecclesiæ* adstringere tenentur *Græci*, ad eam transire volentes, *ê Polonico* fideliter translatum â *Perillustri* Dn. Sparfwenfeldt *Fautore & amico colendo.* Extat autem in *Stanislai Orichovii* tractatu de *Baptismo Ruthenorum*; ubi in *Bulla Alexandri de non rebaptizandis Ruthenis*, hujus abjurationis fit talis mentio: *errores prædictos abjurare volentes, ad præfata Latinæ Ecclesiæ unitatem, & ad eorum hujusmodi abjurationem* recipiat &c.

Ego N. contemplans separationem (ab Eccle-

clesia vera) retentus laqueo Diaboli, & mendosâ corruptione, in qua hærebam: Tandemque ipse animo mecum perpendens, & rectè examinans, alacri atque sanâ mente, absque omni coactione, tantum ex speciali gratiâ DEI, reversus sum, & accessi ad unitatem Christianæ religionis, pariterque ad Ecclesiam Christianam Romanam, renuntians omni errori & schismati. Ut igitur omni suspicione caream erroris, quasi revera non accesserim ad illam Ecclesiam Romanam ejusq; obedientiam & servitium, promitto & polliceor, sub juramento, & æterna damnatione, tibi Pater venerande Episcope, & similiter Sancto Petro Apostolorum Principi, primo Papæ, & moderno Sancto Papæ Julio II. *omnibusque ejus posteris & Vicariis Domini nostri JESU Christi, quod nullo modo, nulloque instinctu ad pristinam mendosam corruptelam revertar, ex quâ per DEI gratiam sum ereptus. Verum firmiter perseverabo in unitate Sanctæ Ecclesiæ Christianæ, & in obedientia & imperio Papæ & Episcopi Romani. Qua de causâ promitto, sub juramento DEI omnipotentis, & per Sancta ejus Evangelia, in prædicta obedientia & unitate, me constanter usque ad finem vitæ perseveraturum. Et si, quod DEUS avertat, ego aliquo pacto, ab hac Ecclesia Romana & ejus obedientia, me sejungerem; voveo, ut secundum perjurium & fallaciam meam, sors mea sit cum reliquis schismaticis, aut fidei fractoribus, in æterna damnatione. Ita me DEUS adjuvet, sancta crux, & sancta Evangelia, Amen,*

§. 4.

§. 4. Huic addamus exemplar literarum, quibus Sacerdotes ritè ordinatos & constitutos testantur, quarum nonnullas â Patriarchis & Metropolitis Nicone, Apphophonia, Mogila, Macario scriptas, in Linguam Sueticam, Ger. & Latinam translatas, ê Consistorii Narvensis Actis describi fecimus; Sed quia omnes exhibere hâc vice non licet, & nobis videatur inter ceteras eminere illas, quas Sueticè translatas habemus, eas Latinè, ut nostræ linguæ ignaris facilius contenta illarum innotescant, hic dabimus: *Humilis* Cornelius *Metropolita magnæ Novogradiæ & magnæ Luckæ.*

Gratiâ Spiritus S. & vivificantis, ejusdemque dono & potestate, quæ nostræ humilitati data sunt, â magno nostro & supremo Sacerdote & Domino JESU Christo, hunc pium virum Procofer Rodonoff accuratè & diligenter examinavimus, & â fide dignis testibus certiores facti, interposita quoque cautione confessionarii ipsius, eum dignum judicavimus, cui officium sacerdotale committatur. Proinde nunc mediante benedictione nostra, secundum ritum Orientalis Apostolicæ Ecclesiæ, quoad ejus gradus rite est ordinatus, ut obeat munus Apocrisiarii, Lectoreis, Cantoris, Subdiaconi, & Diaconi. Ex ejusdem sancti & vivificantis & omnia perficientis Spiritus gratia, eum elegimus & manus ei imposuimus, ut sit sacerdotali munere fungens in Wotski Petin, Ratinski Pogost (districtu Wotskiensi & parœcia Retlnskiensi) in templo Sancti Martyris Georgii, dantes illi horum omnium supra enu-

enumeratorum testimonium, coram omnibus in quorum manus hæ literæ incidere queant, Eum esse sacerdotio dignum, non tantum ut sacra in templo peragat in usum Ecclesiæ suæ, sed & ut confessiones eorum excipiat, qui ad eum accesserint, & eorum conscientias excitet, & potestate gaudeat, secundum mandatum DEI, solvendi & ligandi peccatorem, judicandi ex præscripto regularum Sanctorum Apostolorum & piorum Patrum, & constitutionem St. Eccl. Orientalis, & nostræ humilitatis impositionem, instructionem & mandatum. Sed quoad peccata graviora, de quibus non facile ferri poterit sententia, de illis ad nos Cornelium, sacratum Metropolitam magnæ Novogardiæ & magnæ Lucka, referre tenebitur. Nullo modo ipsi licitum erit, deserere parochiam illam, ad quam benedictionem accepit; & si alii loco, seu Ecclesiæ, ministerium suum addixerit, absque nostra sacrati Metropolitæ indulgent. (hic videtur omissum: *officio privabitur, uti ex aliis constat*) *secundum tertium Canonem factum Antiochiæ: neque duabus parœciis simul præerit, ex ordinatione Canonis 17. Synodi Alexandrinæ, ne videatur exercere cauponariam cum rebus Sacris, sed præsit uni suggestui & altari, libertate plenaria gaudens in templo; non tamen in Ecclesia divitiis alligatus, erit cum eo nomine easdem rejiciat eadem Synodus Alexandrina 13. Canone. Ad mandatum nostrum, & sponsionem suam, tenebitur ex totis animæ viribus esse solicitus de salute animarum, & secundum exhortationem Apostolorum sese exercebit in Pietate, Sobrietate, Temperantia. Erit mo-*

modestus & liberalis, non temulentus, nec lucri cupidus, nec contentiosus, sed pacificus, vigilans, non invidus, nec avarus, sed ad docendum aptus, obligatus ad docendum auditores in Ecclesia, & omnem populum in vera Pietate & lege DEI omni die, Dominica inprimis, uti 19. Canon Syn. Alex. jubet. Nihil ad caput suum explicabit, sed prout Lumina Ecclesiæ & Doctores in Scriptis suis explicârunt. Quod si qui actionum suarum curam non habuerit, nec docilem se præbuerit, sed in torpore hæserit, hunc excommunicabit. Reliquas partes officii sacerdotalis cum tremore, quasi in conspectu omnia videntis DEI sedulo explebit, ut accipiat prudentum & fideliũ servorum mercedem ex ipsius manibus, qui tribuit unicuique secundum opera sua, nec necessum habeat suffundi rubore, in tremendo Domini nostri die Judicii. Quod si autem his insuper habitis, egerit ea, quæ non decent Sacerdotium ipsius & Regulis S. S. Apostolorum, S. Patrum & nostræ benedictionis prohibita sunt, privatus erit officio suo sacerdotali, quamprimum ipsius crimen innotuerit. Ut hæc omnibus pateant, datæ sunt ipsi in testimonium hæ literæ, nostro Sigillo munitæ; quod factum in civitate â DEO liberata magna Novogardia, & Domo omniscientiæ divinæ Anno Mundi 7194. Maji die 22. Loc. Sigil.

Translatum è Muscovitico

1. Jul. 1686.

FINIS.

[illegible]

ПО

[illegible]





005658246

